UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Dissertationes Ad Jus Publicum Romano-Ecclesiasticum

Bessel, Johann Franz

Coloniæ, 1715

VD18 14847493

urn:nbn:de:hbz:466:1-61383


Visual Library

Th. 4738.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

M. II
9.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN




Sint tibi
sicut Ethnicus et Publicanus
nec ave eos
dixerito 2 Joan. 1.
nec Portæ inferi
prævalebunt
adversus eam.
Non tolerati in Imp.

DISSERTATIONES
AD
JUS PUBLICUM
ROMANO-ECCLESIASTICUM
COMPLECTENTES
STATUM ECCLESIÆ ROMANÆ,
DIGNITATEM, POTESTATEM, CU-riam & Electionem Summi Pontificis & Reliquorum Ecclesiæ Membrorum, Cardinalium, Primatum, Archi Episcoporum, Episcoporum, & totius Cleri Prærogativas, Subordinationem & Jura,
COLLECTÆ
EX JURE DIVINO, CANONICO, ET CIvili, tum Publico, tum Privato.

Nuper in Archi-Episcopali Universitate Erfurtensi in lucem datæ & Publicè pro gradu Doctorali sine Præside defensæ.

A

JOANNE FRANCISCO BESSEL
BUCHHEIMENSI.

Jam autem ad petitionem Amicorum auctæ, Correctæ, & noviter editæ

Collegii Societatis A Jesu Paderbornæ. 1719.

GREGORIO à MERZENFELDT
Benedict. ad S. Felicit. in Münster Schwartzach/SS. Theol. & J.U.D.
in Elect. universit. Erfurtensi Facult. Theol. Assessore & Professore Publico.

COLONIÆ,
Sumptibus WILHELMI METTERNICH Bibliopolæ
sub Signo Gryphi, Anno M.D.CC.XV.
Cum Permissu Superiorum.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Approbatio Sacræ Facultatis Theologicæ.

PRæsens liber quinque Dissertationibus ad *Jus Publicum Romano-Ecclesiasticum* comprehensus, fuit omni diligentia relectus & examinatus, & quoniam nihil orthodoxæ fidei contrarium aut bonis moribus adversum in eo fuerat repertum, quin potius concinna serie, præclarâ variarum ac utilium quæstionum deductione sit insignis, ideo illum publicâ luce & prelo dignissimum judicavimus. Erfordiæ die 11. Maji, Anno MDCCXIV.

Ita testor

Hieronymus Panton, Monasterii ad S. Jacobum Scotorum Superior, Philosophiæ & SS. Theologiæ Doctor, Utriusque Facultatis Assessor ac Professor Publ. Facultatis Theologicæ p. t. DECANUS.

Approbatio Inclytæ Facultatis Juridicæ.

PRæsentes Dissertationes ad Jus Publicum Romano-Ecclesiasticum cum nihil contineant orthodoxæ fidei aut bonis moribus adversum, quin magis jucunda methodo sint compositæ ac specialis industriæ præbeant argumentum, eas publicâ luce & prelo dignissimas judico. Erfordiæ die 10. Maji, Anno MDCCXIV.

Loco Spectabilis D. Decani.

Joannes Philippus Streit / J. U. D. Eminentissimi Principis Electoris Moguntini Consiliarius Regiminis, & Facult. Jurid. Assessor Primarius.

BENE-

BENEVOLO LECTORI.

QUisquis præsentem Tractatum intueberis, illud te primo rogatum velim, ne suspiceris: quidquam vel minimo amaritudinis Zelo, aut animo quemquam calumniandi esse in his paginis positum aut expressum; & sicut amice Lector intueberis, quantum potui, omnem mordacem scribendi methodum ac pungentem calamum, studui declinare. Quod verò in hac præsertim Universitate proponam Jus Publicum sivè Leges & ordinationem Status Ecclesiastici Catholici, quis indignabitur me ea proposuisse, quæ publica authoritate sunt munita, aut me scripsisse de iis, à quibus dependeo, & omne sortis meæ emolumentum debeo præstolari. Ea igitur intentione, qua librum hunc tibi legendum offero, eundem interpretare, præsertim dum ferè universi Juris Canonici celebriores materias compendio quasi propono. Omnia amice suscipe & vale.

PROLE-

COROLLARIA.

I. JUrisprudentia est Scientia practica humanorum actuum, juxta præscriptum legis, directiva.

II. Justitia Vindicativa nequit condemnare ad mortem, vel gravem corporis mutilationem, probatum sontem, quem certo scit innocentem.

III. Jus naturæ est ipsa lex æterna Dei, nobis per dictamen rationis promulgata.

IV. Penitus rejicienda est divisio Juris gentium in primævum & secundævum.

V. Jus gentium nomen veræ legis non meretur.

VI. Lex in præsumptione fundata etiam obligat in conscientia.

VII. Ad inducendam consuetudinem non sufficit tacitus Principis consensus, sed adest expressus.

VIII. Minor septennio valide contrahit sponsalia, si usus rationis ætatem suppleat.

IX. Matrimonium consummatum ex nulla planè nec adulterii, nec alia ratione, quoad vinculum dissolvi potest.

X. Legitimatio per subsequens Matrimonium neutiquam procedit, si tempore conceptionis inter partes non potuit consistere matrimonium, bene verò tempore nativitatis.

XI. Ad legitimationem per subsequens matrimonium requiritur consensus legitimandorum.

XII. Legitimatio per subsequens matrimonium non tribuit Jus primogenituræ.

XIII. Adoptio non tribuit nobilitatem.

XIV. Elector Imperii filio suo primogenito impuberi testamento tutorem dare potest, alium quàm proximum agnatum.

XV. Servus non solum Domino, sed etiam sibi stipulando acquirere potest.

XVI. Tutor ob culpam latam remotus fit infamis.

XVII. Qui occupat feram in fundo alieno, eam facit suam, nec furti tenetur; estque fera laqueum ponentis, vel lethaliter Vulnerantis, non autem laqueo eximentis aut Vulneratam occupantis.

XVIII. Clericis nullo jure prohibita est moderata Venatio; Ei tamen cui competit Venatio alta, die hohe Wildtbahn/ non necessario infertur deberi Venationem bassam, die kleine/ oder niedere Jagtbarkeit; pro eo quoque qui habet Jus forestæ das Forst-Recht/ est præsumptio quòd etiam habet Jus Venandi.

XIX. Vasallus nequit in fundo feudali constituere servitutem in Præjudicium directi Domini; neque Dominus proprium fundum sibi reddere servientem.

XX. Ad Præscribendam servitutem titulus non requiritur, & servitus sive continua sive discontinua præscribitur 10. vel 20. annis.

XXI. Testamentum destitutum solennitatibus, non tantum est nullum pro foro

externo, sed etiam interno, etiamsi illud sit ad pias causas.

XXII. Jus accrescendi transit in Emptorem Hæreditatis.

XXIII. Minor sine authoritate Curatoris contrahens nequidem naturaliter obligatur.

XXIV. Si venditor sciens Valorem rei Venditæ infimo pretio eam distraxit, non habet locum remedium l. a. C. de rescind. Vend.

XXV. Periculum & fructus rei Venditæ protinus pertinent ad Emptorem, etsi res nondum sit tradita.

XXVI. Mandans Vulnerari, disertè tamen prohibens occisionem, adhuc reus est mortis, secuto homicidio.

XXVII. Rectè oppignorari possunt servitutes tam rusticæ quàm Urbanæ.

XXVIII. Actiones rei persecutoriæ lite non Contestata, non aliter dantur adversus hæredes, quam quatenus aliquid ad eos pervenerit.





PROLEGOMENA.

JURIS PUBLICI ROMANO-ECCLESIASTICI.

SUMMARIA.

1. Jus quotuplex. 2. Jurisprudentia publica alia Ecclesiastica alia profana. 3. Principia Juris publici Ecclesiastici. 4. Jus publicum quid significet. 5. Definitur.

1 JUs omne, quo utimur, aut publicum aut privatum. §. *fin. Inst. de J. & J.* prius respicit felicitatem & ordinem Reipublicæ in genere, ceu finem suum immediatum; Posterius vero pro fine immediato habet commodum privatorum. Quemadmodum vero Respublica dividi potest in Ecclesiasticam & politicam sive profanam, quarum utraque morali capite & membris instructa, in utraque per congruam subordinationem nexus & felicitas conservatur; Non immerito Jurisprudentia publica ab objecto suo Republica nimirum ecclesiastica & profana dividi poterit in *ecclesiasticam & profanam.* 2 De Jure publico tum Imperii Romani tum aliorum Regnorum varii prodierunt Commentarii, Vitriarii, Carpzovii, Cocceji, Andleri, Schwederi, & aliorum, de Statu etiam Ecclesiæ Romanæ dispersim varii scripsere, nunquam tamen ex instituto ac eo fine, ut ordinem & nexum Regiminis Ecclesiastici separatim depingerent. Materia sane ardua & subtilis est tractare de Juribus Ecclesiæ, quæ vel ideo plures absterruit, ne simili tractatui calamum admoverent. Jurisprudentiam vero publicam Romano-Ecclesiasti-

cam (cujus finis est felicitas & ordo Ecclesiæ Romano-Catholicæ) maximæ utilitatis esse nemo diffitebitur, qui solum considerat, quam jucundum sit novisse Statum Ecclesiæ Romanæ, quibus membris ea animetur, quando ea coaluerit, quanta sit hujus corporis ecclesiastici dignitas, quænam hujus Regiminis sit potestas.

Quemadmodum vero disciplina quævis sua tenet fundamenta & principia, ad quæ recurrit, & quibus ceu basi innititur, ut Jurisprudentia Civilis Romana Leges veneratur Romanas, Jurisprudentia publica Romano-Germanica auream Bullam, Capitulationes Imperatorias, Recessus Imperii, Pacificationes varias velut sua adorat incunabula, quibus ortum adscribit & natales. Ita pariter Jurisprudentiæ Romano-Ecclesiasticæ sua non desunt principia, quibus Status Ecclesiastici compaginem vel natam vel adoleviſſe demonstret. In hoc Statu Ecclesiastico duplicem invenimus rationem, spiritualem videlicet & profanam, quin prior Juri divino novo omnem authoritatem suam saltem quoad originem ferat in acceptis, ex dicendis infra negare non licet, si vero quæstionem mere politicam, quales sunt de ordinatione & stylo tribunalium Romanorum, de numero & Majoritate Cardinalium, de ritu eligendi ac coronandi summum Pontificem, de Jure Territoriali summi Pontificis, aliisque plurimis quæstionibus moveatur controversia, illa ex Jure humano erit decidenda;

Principia igitur & fons Juris pub- 3
lici ecclesiastici sunt

1. Lex divina novi Testamenti.
2. Constitutiones Pontificiæ.
3. Recessus & Privilegia Imperatorum ac Regum cum summis Pontificibus inita.
4. Historiæ Ecclesiasticæ a Sede Apostolica approbatæ.

Dixi: *Lex divina Novi Testamenti.* Equidem Synagoga & Sacrificium Veteris Testamenti est abrogata, sic ordinatio & Sacrificium novæ Ecclesiæ, non ex Veteri sed Novo Testamento est haurienda. 2. quamvis utique Ecclesia Romana agnoscat Legem moralem V. T. quia tamen hæc Lex moralis potius respicit actus privatorum, ideo Jus publicum Ecclesiasticum ex eo non desumimus; imo Jus publicum Ecclesiafficum potius spectaret ad Leges ceremoniales & judiciarias. 3. Sicut Ecclesia Romana est fundata in lege nova, merito huic potius innititur. Inter Leges vero fundamentales accipimus illas: *Tu es Petrus & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam.* item. *Pasce oves meas.* &c. Vide infra. Quin tamen Lex moralis V. T. sit venerationi habenda, non negatur.

Quoniam vero Juris publici vo- 4
cabulum varias præ se fert significationes, hinc

Nota 1. Jus publicum deductum est

est ab eo, quod manifestum & non occultum sit, & quidem 1. a causa efficiente vocatur Jus publicum, id quod authoritate publica constitutum est, quo intellectu ad Jus publicum revocatur *in l. 29. ff. de testam. tut.* tutela *in l. 3. ff. qui testam. fac. poss.* testamenti factio *in l. 15. §. 1. ff. ad leg. falcid.* beneficium legis falcidiæ, & inde *in l. 38. ff. de pactis l. 27. de R. I.* pronunciatum habemus, ea quæ Juris publici sunt, conventione privatorum imutari, aboleri aut infringi non posse; Appellatur 2. Jus publicum ab usu & effectu, quod omnibus est commune ac universos concernit cives, qua ratione *in l. 116. §. 1, ff. de R. I. l. 2. C. ne Uxor pro marito.* Jus publicum opponitur privilegio, quod non pertinet ad universos sed ad singulos, 3. Jus publicum denominatur à fine, utilitate publica totius Reipublicæ, quam immediate respicit, & curare, reparare, aut conservare intendit; qui sensus est proprius & hujus tractationis.

5 Definiri potest Jus publicum Ecclesiasticum, quod sit ordinatio rationis immediatè in bonum commune publicum totius Ecclesiæ ab ejusdem supremo capite promulgata.

Dicitur 1. *Ordinatio rationis*, quo ostenditur Jus publicum esse veram legem, in recta ratione fundatam, legem inquam vel divinam vel humanam.

Dicitur 2. *Immediate in bonum commune & publicum totius Ecclesiæ*, & hæc ratio differentialis, qua Jus publicum secernitur ac distinguitur ab omnibus aliis juribus, licet enim omnis lex feratur in bonum commune, nimirum ultimato & mediatè, attamen immediatè in bonum commune totius Ecclesiæ nullum aliud jus publicum ordinatur; nempe quæ à lege publica sanciuntur, in Executione primo in utilitatem publicam redundant, ac per consequentiam ad singulos profluunt, quæ vero lege alia statuuntur, in executione prius ad singulos, deinde ad totam Rempublicam ex consequenti dimanant.

Dicitur 3. *ab ejusdem supremo capite promulgata* Christo scilicet invisibili & principali capite Ecclesiæ, qui Ecclesiam instituit, & supra Petram fundavit, tum ab ejus Vicario & visibili Ecclesiæ capite S. Pontifice Romano, quoad ordinationes magis particulares & saltem remotè ex jure divino desumptas in materia merè spirituali: Sunt equidem & aliæ ordinationes Pontificiæ, quæ ut merè politicæ sunt agnoscendæ, de quibus singulis in decursu ex infra dicendis constabit.

DISSERTATIO I.

DE

DIGNITATE SUMMI PONTIFICIS.

§. I.

AN DETUR STATUS ECCLESIASTICUS?

SUMMARIA.

1. Status Ecclesiasticus quid significet? 2. Quid sit Ecclesia? 3. An detur vera Christi Ecclesia? 4. Solvuntur Objectiones. 5. Notæ veræ Ecclesiæ. 6. An Status Ecclesiasticus Romanus sit Monarchicus.

1 STatus Ecclesiasticus hic aliud non significat, nisi ipsam ordinationem & conditionem Ecclesiæ, quo sensu loquitur Rubrica *ff. de Statu hominum*, alio plane sensu, sed impropriè appellatur Status Ecclesiasticus, der Kirchen-Staat / ipsum Territorium & Patrimonium Petri; Dum ergo quæritur, an detur Status, sive conditio & ordo Ecclesiasticus, primo quæri potest, *An detur Ecclesia, sive Respublica Ecclesiastica vera?*

2 Nota Ecclesiam dupliciter accipi posse, 1. pro illa sola Ecclesia particulari, quæ olim Romæ fuit, & nunc est, 2. pro collectione omnium fidelium, qui toto orbe dispersi, adhærebant olim Romano Pontifici, & nunc etiam adhærent, & hoc posteriori sensu habet varia nomina. 1. Dicitur Catholica seu Universalis, quia toto orbe diffusa. 2. Pontificia, quia Pontifici subjecta 3. Romana, a nobiliori sui parte.

3 Resp. Ecclesia Romana est vera Christi Ecclesia; Prob. 1. Ecclesia Romana fuit olim vera Ecclesia Christi, ergo adhuc est, antec. admittunt Protestantes, sed dicunt eam defeciisse. Probatur ergo consequentia. Ecclesia Christi nequit deficere, ergo si ex concessis Ecclesia Romana semel fuit vera Christi Ecclesia, adhuc erit, prob. antec. aliàs Portæ inferi prævaluissent adversus eam contra illud *Matth. 16.* item *Matth. 25.* Christus ait: *Ecce ego vobiscum sum usque ad consummationem sæculi. Joh. 14. Ego rogabo patrem, & alium Paratlitum dabit vobis, ut maneat vobiscum NB. in æternum, Spiritum veritatis, ille docebit vos omnia.* item Ecclesia dicitur *1. Thimoth. 3.* Firmamentum & Columna veritatis, ergo debet esse in fide stabilis. Aug. *Lib. 1. de Symb. c. 7.* ait:

Pugna-

Pugnari quidem potest, expugnari non potest.

4 Objicies 1. Synagoga Judæorum olim defecit, ergo etiam Ecclesia Christianorum potest deficere Resp. 1. Dist. antec. Synagoga tota N. non tota C. non omnes adorarunt vitulum *Exod. 32.* nec tempore Eliæ, Isaiæ, Jeremiæ defecit Regnum Judæ & *3. Reg. 19.* septem millium virorum genua non sunt curvata ante Baal. Resp. 2. T. antec. N. Conseq. Synagogæ non erat promissa firmitas, uti Ecclesiæ Christi.

Objicies 2. Ecclesia comparatur lunæ, atqui luna deficit, ergo & Ecclesia. Dist. Maj. comparatur lunæ in omnibus N. in aliquibus C. comparatur quatenus Ecclesia jugiter crescit & lumen accipit à sole Christi.

Objicies 3. *Danielis 9.* Deficiet hostia & Sacrificium, ergo & Ecclesia deficit. Explico antec. hostia Veteris Testamenti, vel tempore Anti-Christi, quoad publicum cultum in aliquibus locis C. hostia Novi Testamenti vel ubique ante finem mundi N. imo ex his nondum probatur defeciisse de præterito.

Objicies 4. Totus orbis ingemuit, & se Arianum esse miratus est, ergo defecit. Explico, totus orbis exaggerative & in sensu accomodo sumptus C. totus orbis simpliciter. N.

Objicies 5. Saltem juxta doctrinam Pontificiam crevisset materia fidei post Apostolorum tempora, ergo Ecclesia Romana non amplius est Apostolica ac consequenter mutata. Resp. Dist. crevit quoad substantialia vel secundaria prius non revelata N. crevit in quorundam prius revelatorum distincta notitia & applicatione revelationis antiquæ C. Ecclesia igitur Pontificia non condidit novos articulos, neque proponit quidquam, quasi de novo revelatum, sed declarat ut jam olim revelatum per verbum DEI scriptum aut ab Apostolis traditum. Sic *Trid. Sess. 6. in fin. proœm. de Justific.* affirmat se aliud non intendere, quam exponere omnibus Christi fidelibus veram sanamque doctrinam ipsius justificationis, quam sol Justitiæ Christus fidei nostræ & conservator docuit, Apostoli tradiderunt, & Ecclesia Catholica Spiritu Sancto suggerente perpetuo retinuit.

Instas multa sunt determinata in Conciliis, quæ ante impune licuit negare, Ergo Ecclesia antiqua est mutata. Dist. antec. multa sunt determinata quoad declarationem explicitam, quæ antea continebatur in implicita quadam universali C. quod novam substantialem revelationem N.

Prob. 2. Ex notis veræ Ecclesiæ, 5 quæ sunt sequentes ex Concilio Nycæno & Constantinopolitano, & quidem 1. Ecclesia Romana est *una*, 2. est *sancta*, 3. est *catholica*, 4. est *Apostolica*. Et quidem *una* est, quia ubique habet unam eandemque doctrinam, eadem Sacramenta,

idem Sacrificium, idem Caput visibile. Est *sancta*, nimirum sanctitate fidei, doctrinæ, mediorum, quibus re ipsa plures Catholici per singula sæcula ad eximiam sanctitatem pervenerunt. Est *catholica* sive universalis tam ratione loci non unius aut alterius provinciæ finibus clausa, tum ratione dogmatum, continens omnia ad salutem necessaria. Est Apostolica tum in successione Pontificum ab ipso primo Pontifice Petro inchoata, de qua successione in §. *seq.* tam quoad doctrinam, cujus author & ortus post Christum ostendi non potest alius, quam Apostolicus vid. Becan. *Manual. controvers. Lib. 1. cap. 3. n. 11.* Thyrsum Gonzalez. *part. 1. lib. 3. c. 1. §. 2. & 3.*

6 Quæres. 2. *An Status sive Regimen & Ordinatio Ecclesiæ Romanæ sit Monarchicus?*

Status Reipublicæ potest considerari triplex, Monarchicus, Aristocraticus, Democraticus. Monarchia consurgit, quando suprema imperandi potestas uni committitur; Aristocratia obtinet, quando summum Imperium penes plures, quos optimates dicunt existit, Democratia viget, quando universus populus imperat.

Resp. Status Ecclesiæ Romanæ est Monarchicus, sive in Ecclesia Romana est vera Monarchica. Ratio. Quia ex §§. *seqq.* constabit, quod suprema imperandi potestas sit commissa soli summo Pontifici, unde etiam *summus Princeps Ecclesiasticus* salutatur, D. Robertus König *de Constit. §. 5. n. 5.*

Quæ autem objiciuntur à Reinking *de Regim. Eccles. & sæcul. lib. 3. class. 1. c. 10.* Samuele Puffendorff. *Introduct. ad Hist. univ. statim in limine* ubi *de Monarchiâ Pontificis Romani ex seqq.* diluentur.

§. II.

AN NECESSARIUM SIT CAPUT ECCLESIÆ, ET QVISNAM SIT?

SUMMARIA.

1. *An necessarium sit Caput Ecclesiæ?* 2. *Solvuntur objectiones.* 3. *An natura religionis Christianæ requirat Caput Ecclesiasticum?* 4. *An S. Petrus fuerit a Christo constitutus Caput Ecclesiæ.* 5. *An Primatus Petri fuerit cum Petro extinctus.* 6. *Quis dicatur Papa.* 7. *An Episcopus Romanus sit successor Petri in Primatu.* 8. *Recensentur summi Pontifices.* 9. *Impugnatur series Pontificum.* 10. *An Primatus Petri sit ex Institutione Xti Episcopatui Romano annexus?*

Quæres

1 Quæres 1. *An necessarium sit Caput Ecclesiæ?*

Resp. Affirmative. Ratio est 1. quia in qualibet Republica datur Caput & summa quædam potestas politica, qua subditi communis subsidii causa in unum cœtum coalescentes regantur ad finem naturalem, & si aberraverint, reducantur. Ergo etiam in Republica Ecclesiastica datur caput & summa quædam potestas ecclesiastica, qua fideles in ordine ad felicitatem æternam in unum congregati instruantur, qualiter actiones suas instituant, & si a tramite veritatis deflexerint, corrigantur, corripiantur.

Ratio 2. In Evangelio comparatur Ecclesia *mari. Matth. 13. v. 47.* assimilatur *Civitati Matth. 5. v. 14. Regno diffuso Psalm. 71. v. 8. Luci. Math. 5. v. 15.* Atqui mare nauclerum, qui clavum teneat, Civitas Rectorem, qui fasces habeat, Regnum Regem, qui sceptra rotet, lux solem, à quo lumen emutuet, desiderat, ergo etiam Ecclesia caput & jus dicentem postulat.

Ratio 3. quia in doctrina morum & fidei magnæ & multæ emergunt controversiæ, lites, dubia, ad quæ decidenda opus est judicio & capite ceu judice, qui summam potestatem habeat, & ultra quem nullus dubitare, nullus appellare audeat; spiritus equidem privatus periculosus, varius & incertus est, juxta illud *Proverb. 14. v. 12. est via, quæ videtur homini justa, novissima autem ejus deducit ad mortem.* Si.

Dicas non ad caput Ecclesiæ, sed ad Scripturam esse recurrendum.

Contra. Scriptura complectitur multa difficilia & ardua intellectu 2 Petri 1. ibi, quædam difficilia intellectu, quæ indocti & instabiles depravant, adeoque interpretem authenticum & caput infallibile efflagitant, ergo penes Ecclesiam est caput, quod jus dicat in singulis causis circa mores & fidem controversis.

Objicies 1. cum Puffendorff. qui 2 rationem & dignitatem capitis ecclesiastici non distinguit a capite & Principe merè politico habente superitatem territorialem. Argumentatur sic: Neque ex natura Religionis ut sic, neque ex genio Christianæ Religionis proficiscitur, quod caput ecclesiasticum & politicum sint separata, non primum, quia nihil impedit, quo minus quis populum ad divina simul & politica dirigat, cum ab initio quilibet Paterfamilias in suos domesticos utrumque munus & potestatem exercuerit, quæ deinde cum plures familiæ in communitatem perfectam coiverint, ad caput communitatis transiit. Non secundum, quia Christianæ Religionis Principes ea, quæ ad instructionem fidelium in fide pertinent, viris doctis & eruditis demandare possunt, suprema potestate ac dignitate sibi reservata. Non tertium, quia in sacris

sacris paginis idoneum aliquod argumentum non reperitur.

Resp. Tum divina institutio tum natura Religionis generica & specifica exigit jurisdictionem in uno aliquo capite, quod caput sit ecclesiasticum non laicum. De institutione divina dicetur mox infra. Natura Religionis sic exigit, quia quævis Religio ut sana & sancta sit unitatem desiderat, est enim religio creatura spiritus sancti, qui est spiritus unitatis, adeoque & ipsa debet esse una, atqui nisi sit unum caput Ecclesiæ, sive si summa jurisdictio ecclesiastica sit penes plures dominos territoriales, tunc tollitur unitas, totque sunt diversa circa res fidei sensa, quot capita. Si

Dicas. Saltem in statu legis naturæ non fuit necessarium Caput Ecclesiasticum, ergo natura Religionis generica non exigit unum caput Ecclesiæ R. C. antec. quia in illo statu valde pauca fuerunt hominibus proposita ad credendum explicitè, adeoque non fuit tanta necessitas constituendi unum Principem, qui toti præesset Ecclesiæ. Hinc dist. Conseq. ergo natura religionis generica non exigit per se & directe N. per accidens subinde & indirecte C.

Hinc verum non est, quemlibet Patremfamilias (excepto statu legis naturæ. ex *dd.*) jus quoad sacra in suos domesticos habere, quia illud jus oritur ex altiori potestate, scilicet divina, adeoque illi solum de sacris disponere possunt, quibus id à DEO concessum est.

Quod etiam natura Religionis Christianæ & Catholicæ unum Caput desideret, penes quod *privative* summa jurisdictio ecclesiastica resideat testantur sole clariora scripturæ loca, in quibus unitas fidei, sacramentorum, capitis, obedientiæ requiritur, sic ad *Eph. 4. v. 6.* dicitur, *Unum esse corpus, unus spiritus, una spes vocationis, unus Dominus, una fides, unum baptisma* eod. loco. *v. 3.* admonentur fideles, *state in uno spiritu unanimes*, item *Joan. 10. v. 12.* pronuntiatur, *fiet unum ovile & unus Pastor*, item *Act. 4. v. 32. multitudinis credentium erat cor unum & anima una.* Atqui ubi non est Caput sive summus Princeps Ecclesiæ, sed jurisdictio & potestas summa in plures Dominos, scilicet Territoriales, dispersæ, nulla fidei, Sacramentorum, capitis, obedientiæ &c. unitas, sed mera schismata, scissuræ, discordiæ, confusiones, errores sunt, ergo natura Religionis Christianæ in specie exigit unum caput, & unum summum Principem in statu Ecclesiastico, sive Ecclesia Christianâ.

Alterum quod dicit Puffendorff, instructionem in fide aliis demandari posse, reservata jurisdictione penes summum Principem, verum est, si Princeps ille sit unus & Ecclesiasticus, à quo potestas & omnis doctrina petatur, & ad quem omnia, quæ circa fidem & Religionem occurrunt, dubia referantur, quo

quo referendum est, quod ait S. Cyprianus, *in Tr. de unitate Eccles.* relatus *in can. loquitur 18. causa 24. quæst. 1.* ibi. *Episcopatus unus est, cujus à singulis in solidum pars tenetur. Ecclesia una est, quæ in multitudinem latius incremento fœcunditatis extenditur, quomodo solis multi radii, sed lumen unum, & rami arboris multi, sed robur unum, tenaci radice fundatum, & cum de fonte uno rivi plurimi defluunt, numerositas licet diffusa videatur exundantis copiæ largitate, unitas tamen servatur in origine. Avelli radium solis in corpore, divisionem lucis unitas non capit, ab arbore frange ramum, fructus germinare non poterit, à fonte præcide rivum, præcisus arescet, sic & Ecclesia domini luce perfusa, per orbem totum radios suos porrigit, unum tamen lumen est, quod ubique diffunditur, nec unitas corporis separatur, ramos suos in universam terram copia ubertatis extendit, profluentes largiter rivos latius pandit, unum tamen NB. caput est, & origo una & una mater, fœcunditatis successibus copiosa, illius fœtu nascimur, illius lacte nutrimur, spiritu ejus animamur, adulterari non potest sponsa Christi, incorrupta est & pudica, unam domum novit, unius cubiculi sanctitatem casto pudore custodit.*

Deinde nefas semper fuit regibus & principibus sacris se negotiis immiscere, veluti Ozias incensum domini volens adolere, ac propterea lepra percussus, nec non templo & populo exclusus fuit, 2. *Paralipp. 26.*

Quæres 2. *An detur aliquod Caput Ecclesiæ visibile?* 4

Resp. 1. Petrus fuit à Christo constitutus Caput Ecclesiæ. *Matth. 18. Tu es Petrus & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam*, uti apud Bellarm. explicant Patres græci & latini, & totum Concilium Calcedonense *Act. 3.* appellat Petrum petram & crepidinem Ecclesiæ.

Objicies 1. Christus dedit etiam reliquis Apostolis immediatè jurisdictionem in omnes gentes, & potestatem prædicandi & Ecclesias fundandi. Ergo solus Petrus non fuit Caput Ecclesiæ.

Resp. Dist. antec. dedit potestatem ordinariam & ad successores transituram N. delegatam & cum ipsis extinguendam C. certè supremam potestatem Petrus exercuit in electione Matthiæ, *Act. 1.* & primorum Diaconorum *Act. 8.* & in definitione controversiæ de legalibus, *Act. 15.* quatenus cæteros Apostolos convocavit, & in Concilio primus sententiam dixit.

Instas. Apostoli *Act 8.* miserunt Petrum in Samariam, ergo Petrus fuit reliquis subditus & consequenter non caput Ecclesiæ. Explico antec. Miserunt imperio N. consilio & suasione quatenus rex mittitur ad bellum à suis consiliariis C. Si

Instas: Christus est petra Ecclesiæ, ergo non Petrus. Dist. antec. Christus est petra principalis C. secundaria N. secundaria est Petrus.

5 Resp. 2. Primatus Petri non fuit cum Petro extinctus, sed hodiedum datur.

Ratio 1. ita definivit concilium Constantiense *Sess. 8. 15. & 27.* & consentiunt Patres apud Bellarminum & Suarez.

Ratio 2. Christus constituit Petrum caput, petram, Pastorem Ecclesiæ perpetuo duraturæ, ergo dedit ei potestatem ordinariam in ejus successoribus continuandam, alias Ecclesia non esset perpetuo fundata in petra, sed portæ inferi prævalerent adversus eam.

3. Potestas Pastoris universalis non fuit collata Petro propter ipsum, sed propter oves non solum tunc existentes, sed etiam futuras usque ad consumationem sæculi, quæ æque indigent pastore, ac illæ olim, has vero Petrus pascere non potest per se, sed per successores. Ergo

Quæres 3. *An Episcopus Romanus sit Petri successor in Primatu Dignitatis?*

Nota 1. Summus Pontifex sic dictus est à præcipua potestate faciendi vel sacrificandi, quia verbum facere tam apud Ethnicos, quam Christianos persæpe pro *sacrificare* usurpatum est, D. Lorichius *in thes. novo theol. litt. P. V. Papa. n. 2.*

6 Nota 2. Summus Pontifex alio nomine appellatur *Papa*, quod à Græco deductum, patrem significat, & quamvis idem nomen ab initio commune fuerit omnibus Presbyteris, postea tamen solis Episcopis tributum, ac tandem per excellentiam soli summo Ecclesiæ Principi & universali Patri tributum est. Lorichius *l. c. n. 2.* Titulum *Pontificis maximi*, ait Vitriarius jur. publ. *lib. 1. tit. 4. n. 1.* sibi olim assumpsisse Imperatores, ubi refert hunc Titulum, *Pontifex Maximus, Dominus Consul Flavius*, & addit rationem sub *litt. A.* quod majorum fuerit consuetudo, summum judicem seu Regem, simul Sacerdotem atque Pontificem esse, ac quod propterea domus, in qua Pontifex habitabat, regia fuerit vocata, & pergit, si primordia Reipublicæ Romanæ consideremus, *Numam Pompilium*, licet Rex fuerit, sacrificiis *flamini Diali* commissis esse defunctum, testem vocat *Liv. Lib. 1.* imo eundem titulum *à Cajo Julio Cæsare* atque *Augusto* fuisse usurpatos, hunc vero titulum desiisse in *Gratiano* Imperatore, qui primus stolam Pontificalem deposuit, dicendo, talia laico non competere, sed soli Papæ. Hunc titulum pariter fuisse quæsitum à Maximiliano I. emptis jamjam plurimorum Cardinalium capitibus, eo atrâ morte sublato; refert idem author *loc. cit.* nummum æneum, ex cujus altera parte hæc legitur inscriptio;

Imp. Cæs. Vesp. P. M. Tr. P. PP. Cos. item inscriptionem Romæ Ponti à Trajano impositam. *Aug. Germ. Pont. max.*

Providentia Augusti vere Pontificis, virtus Romana quid non domet sub jugum; Ecce rapitur & Danubius.

Item

Item Romæ in pede obeliſci ab Auguſto in Campo Martio erecti apparere ſequentia.

Cæſar Divi J. F. Auguſtus Pontifex Maximus, Imper. XII. Coſ. XI. Trib. pot. XIV. Ægypto in poteſtatem populi Romani redacta, ſoli donum dedit.

Item Inſcriptionem Patavinam hanc legi: *Dn. Imp. Conſtantino Man. P. F. Victori Aug. Pont. Max. Tri. P. XXIII.*

Item in veteri monumento: *Dn. Cæſar Juſtin. Pius, Felix, Victor, Triumphator, ſemper Aug. Pont. Max. Franc. Max.*

Verum quod refert Vitriarius de gentilibus Imperatoribus, qui titulo ſummi Pontificis abutebantur, id exinde factum, tum quia gentilium inſanus faſtus, & ſuperbia quævis obvia ſibi attribuit, prout apud authores alii & plures miri leguntur tituli, ubi ſe fratres ſolis & lunæ dixerunt, gentiles igitur Imperatores ex eo vocarunt ſe ſummos Pontifices, ut inſinuarent ſe ſumme eſſe deditos ſacrificiis, & idem ſignificat ac maximos Sacrificatores, quod verò cit. author dicit Gratianum Imperatorem hunc titulum Pontificis & ſtolam Pontificialem depoſuiſſe, nugæ ſunt, majus vero ſomnium eſt, quod refert de Maximiliano I.

7 Reſp. Aff. Epiſcopus Romanus eſt verus Petri ſucceſſor, in Primatu.

Ratio 1. ex modo dictis, datur aliquis Petri ſucceſſor in Primatu: non alius, quam Romanus Epiſcopus, nam Antiochenus non eſt, cum Petrus Sedem Antiochenam deſerens, Primatum ſecum Romam tranſtulerit, ibi mortuus. Unde Antiochenus ſibi Primatum nunquam uſurpavit, imo in ſecunda Synodo Nycæna tertius tantum locus ei inter Patriarchas conceſſus eſt, ſcilicet poſt Romanum & Alexandrinum, alius, cui competat Primatus Eccleſiæ, multo minus eſt aſſignabilis, ergo Romanus Epiſcopus eſt Petri ſucceſſor.

Ratio 2. Concilium Nycænum primum *c. 6.* ait: Romana Eccleſia ſemper habuit Primatum. Idem Concil. *can. 39.* ait: *Qui tenet Sedem Romæ, Caput eſt & princeps omnium patriarcharum.* S. Aug. *Epiſt. 162.* ait: *In Romana Eccleſia ſemper Apoſtolicæ Cathedræ viguit principatus;* In Synodo Florentina anno 1439. ita habetur: *Definimus ſanctam Apoſtolicam ſedem & NB. Romanum Pontificem in univerſum orbem tenere Primatum, & ipſum Pontificem NB. Romanum, ſucceſſorem eſſe Beati Petri Principis Apoſtolorum & verum Chriſti Vicarium, totiusque Eccleſiæ NB. caput.*

Ratio 3. Quia Imperatores ſemper in Epiſcopo Romano agnoverunt Primatum Eccleſiæ, ut colligitur ex *novell. 131. cap. 2.* ibi: *ideoque ſancimus ſecundum earum definitiones ſanctiſſimum ſenioris Romæ Papam primum eſſe omnium Sacerdotum.* Et ante mille annos id referunt Pontifices Concilii Chalcedonenſis & Synodi ſeptimæ, ergo Eccleſia Romana bene exercet munus univerſalis Paſtoris in totam Eccleſiam,

passim instituendo Episcopos in toto orbe, confirmando, Sedi suæ restituendo, omnesque graviores causas judicando.

Ratio 4. desumitur ex continua Romanorum Pontificum successione & serie, quæ est sequens.

S. Petrus, origine Judæus, ex Bethsaida Galilææ, rexit annis 25. obiit Martyr die 29. Junii Aô Christi 69.

S. Linus, Hetruscus, rexit annis 11. Mens. 2. dieb. 23. fit Martyr anno Christi 80.

S. Cletus, Romanus, rexit annis 12. mens. 7. diebus 2. fit Martyr anno 95.

S. Clemens I. Romanus, rexit annis 9. mens. 6. d. 6. fit Martyr 102.

S. Anacletus, Græcus, Atheniensis, rexit annis 9. mens. 3. fit Martyr anno 112.

S. Evaristus, Syrus Bethlehemita, rexit annis 9. mens. 10. fit Martyr anno 121.

S. Alexander I. Romanus, rexit annis 10. mens. 5. dieb. 20. fit Martyr anno 132.

S. Sixtus I. Romanus, rexit annis 10. fit Martyr 142.

S. Telesphorus, Græcus Anachoreta, rexit annis 12. fit Martyr anno 158.

S. Hyginius Athenienſis ex Græcia, rexit annis 4 fit Martyr an. 153.

S. Pius I. Aquilegiensis Italus, rexit annis 9. mens. 6. fit Martyr anno 161.

S. Anicetus, Syrus, rexit annis fere 9. fit Martyr anno anno 175.

S. Soter, Italus Campanus, rexit annis 4. fit Martyr anno 179.

S. Eleutherius, Nicopolitanus Græcus, rexit annis 15. fit Martyr anno 194.

S. Victor I. Afer. rexit annis 9. fit Martyr anno 703.

S Zephirinus, Romanus, rexit annis 18. fir Martyr anno 221.

S. Calixtus I. Romanus, rexit annis 5. Martyrio coronatus an. 226.

S. Urbanus I. Romanus, rexit annis 6. mens. 7. fit Martyr an. 233.

S. Pontianus, Romanus sedit annis 4. mens. 4. fit Martyr anno 237.

S. Antherus, Græcus, rexit mense uno, fit Martyr anno 238.

S. Fabianus, Romanus, rexit annis 15. fit Martyr anno 253.

S. Cornelius, Romanus, rexit annis 2. fit Martyr anno 261.

S. Lucius I. Romanus, rexit anno 1. mens. 3. fit Martyr 257.

S. Stephanus, Romanus, rexit annis 3. fit Martyr 260.

S. Sixtus II. Athenienſis Græcus, rexit anno 1. fit martyr anno 161.

S Dyonisius, Græcus, rexit annis 11. mens. 3. fit Martyr anno 272.

S. Felix I. Romanus, rexit annis 2. fit Martyr anno 275.

S. Eutychianus, Thuscus, rexit annis 8. fit Martyr anno 283.

S. Cajus, Dalmata, Imperatoris Diocletani ex fratre Nepos, rexit annis 12. passus est anno 296.

S. Marcellinus, Romanus, rexit annis 8. passus anno 304.

S. Marcellus, Romanus, reitx annis 5. mens. 6. passus anno 309.

S. Eu-

S. Euſebius, Græcus, rexit annis 2. menſ. 7. paſſus anoo 311.

S. Melchiades, Africanus, rexit annis 7. obiit anno 313.

S. Sylveſter, Romanus, rexit annis 22. obiit anno 335.

S. Marcus, Romanus, rexit menſibus 8. obiit 336.

S. Julius I. Romanus, rexit annis 15. obiit anno 352.

Liberius, Romanus, rexit annis 15. obiit anno 367.

S. Damaſus, Hiſpanus, rexit annis 17. obiit 384.

Siricius, Romanus, rexit annis 13. obiit anno 398.

S. Anaſtaſius I. Romanus, rexit annis 4. obiit 402.

S. Innocentius I. Albanus Italus, rexit annis 15. obiit anno 417.

S. Zoſimus, Græcus, rexit anno 1. obiit anno 418.

S. Bonifacius I. Romanus, rexit annis 5. obiit anno 423.

S. Cœleſtinus I. Romanus, rexit annis 9. obiit anno 432.

S. Leo, Toſcanus, rexit annis 21. obiit anno 461.

S. Hilarius, ex Sardinia, rexit annis 7. obiit anno 467.

S. Simplicius, Tiburtinus, rexit annis 19. obiit anno 483.

S. Felix II Romanus, ex familia Aniciorum, rexit annis 9. obiit a. 492.

S. Gelaſius, Afer, rexit annis 5. obiit anno 496.

Anaſtaſius II. Romanus, rexit annis 2. obiit anno 498.

S. Symachus, ex Sardinia, rexit annis 15. obiit anno 514.

S. Hormisda, Campanus, rexit annis 9. obiit anno 523.

S. Joannes I. Toſcanus, rexit annis 3. fit Martyr. 526.

S. Felix III. Italus, rexit annis 4. obiit anno 530.

S. Bonifacius II. Romanus, rexit anno 1. obiit anno 531.

Joannes II. Romanus, rexit annis 4. obiit anno 535.

S. Agapetus I. Romanus, rexit annis fere 2. obiit Conſtantinopoli anno 536.

S. Sylverius, Italus, rexit annis 3. fit Martyr anno 540.

S. Virgilius, nobiliſſimus Romanus, rexit annis 16. obiit in Sicilia anno 555.

Pelagius I. Romanus, rexit annis 5. obiit anno 559.

S. Joannes III nobiliſſimus Romanus, rexit Eccleſiam annis 13. obiit anno 572.

S. Bendictus I. Romanus, rexit annis 4. obiit anno 577.

S. Pelagius II. Romanus, rexit annis 12. obiit anno 590.

S. Gregorius I. cognomento Magnus, nobiliſſimus Romanus, rexit annis 13. obiit 604.

Sabinianus, Tuſcus, rexit Eccleſiam menſibus 5. obiit anno 606.

S. Bonifacius III. Romanus, rexit 9. menſibus, obiit anno 606.

S. Bonifacius IV. Vaſerienſis Italus, rexit annis 6. obiit anno 614.

S. Deusdedit, Romanus, rexit annis 3. obiit anno 611.

S. Bonifacius V. Neapolitanus, rexit annis 8. obiit anno 625.

Honorius I. Campanus Italus, rexit annis 12. obiit anno 638.

Severinus Romanus rexit anno fere uno, obiit anno 639.

Joannes IV. Dalmata, rexit annis fere 2. obiit anno 641.

Theodorus I. Hierosolymitanus, rexit annis 7. obiit anno 649.

S. Martinus I. Tudertinus Italus rexit annis 5. fit Martyr anno 654.

S. Eugenius I. Romanus, rexit mensibus 6. obiit anno 655.

S. Vitalinus, Campanus Italus, rexit annis 14. obiit anno 669.

Adeodatus, Romanus, Ord. S. Bened rexit annis 7. obiit anno 676.

Domnus, Romanus, rexit anno 1, mens. 5. obiit anno 678.

S. Agatho, Siculus, Ord. S. Bened. rexit annis fere 5. obiit anno 682.

S. Leo, Siculus, rexit mens. 10. obiit anno 684.

S. Benedictus II. Romanus, rexit Ecclesiam mensibus 8. obiit anno 685.

Joannes V. Syrus, rexit anno 1. obiit anno 688.

Cuno seu Canon ex Thracia, rexit mensibus 11, & diebus 23. obiit anno 687.

S. Sergius I. Antiochenus, rexit Ecclesiam annis 14. obiit anno 701.

Joannes VI. Græcus, rexit annis 3. obiit anno 705.

Joannes VII. Græcus, rexit annis 2. mens. 7. obiit anno 707.

Sisinius Antiochenus, rexit diebus 20.

Constantinus, Syrus, rexit annis 6, obiit anno 714.

S. Gregorius II. Romanus, rexit annis 17. obiit 731.

S. Gregorius III. Syrus, rexit annis 11. obiit anno 741.

S. Zacharias, Græcus, rexit annis 10. obiit anno 752.

Stepanus II. Romanus, rexit diebus 4.

Stephanus III. Romanus, rexit annis 5. obiit anno 757.

S. Paulus I. Romanus, rexit annis 10. obiit anno 767.

Stephanus IV. rexit annis 3. mens. 5. obiit anno 772.

Hadrianus I. nobilissimus Romanus rexit annis 23. mens. 10. obiit anno 795.

S. Leo III. Romanus, rexit annis 20. mens. 5. obiit anno 816. author Imperii ad Germanos translati.

Stephanus V. Romanus, rexit mens. 7. obiit anno 817.

S. Paschalis I. Romanus, rexit annis 7. obiit anno 824.

Eugenius II. Romanus, rexit annis 3. obiit anno 827.

Valentinus, Romanus, rexit mens. 1. diebus 10. obiit anno 827.

Gregorius IV. Romanus, rexit annis 16. obiit 843.

Sergius II. Romanus, rexit annis 3. obiit anno 847.

S. Leo IV. Romanus, rexit annis 8. obiit anno 855.

Benedictus III. Romanus rexit annis 2. mensibus 6 obiit anno 858.

Nicolaus I. Romanus rexit annis 9. mens 6. obiit anno 867.

Hadrianus II. Romanus, rexit annis 4 mensibus 10, obiit anno 872.

Joannes

Joannes VIII. Romanus, rexit annis 10. obiit anno 882.

Marinus aliis Martinus II. Hetruscus, rexit anno 1. obiit anno 884.

Hadrianus III. Romanus rexit anno 1. mens. 3. obiit anno 885.

Stephanus III. Romanus, rexit annis 6. obiit anno 891.

Formosus, Romanus, rexit annis fere 6. obiit anno 896.

Bonifacius VI. Romanus, rexit diebus 15. obiit exul.

Stephanus VII. Romanus, rexit annis 4. obiit anno 900.

Romanus, Toscanus, rexit mensibus 4. obiit anno 901.

Theodorus II. Romanus, rexit diebus 20. obiit anno 901.

Joannes IX. Tiburtinus Italus, rexit annis tribus, obiit anno 905.

Benedictus IV. Romanus, rexit annis 3. obiit anno 907.

Leo V. Ardeatinus Italus, rexit diebus 40. obiit anno 907.

Christophorus Romanus, rexit mensibus 7. obiit anno 908.

Sergius III. Romanus, Comes Tusculanus, rexit añis 3. obiit an. 910.

Anastasius III. Romanus, rexit annis 2. obiit anno 912.

Lando, Sabinus Italus, rexit mensibus 6. obiit anno 912.

Joannes X. Romanus, rexit annis 16. obiit anno 928.

Leo VI. Romanus, rexit mensibus 6. obiit anno 929.

Stephanus VIII. Romanus, rexit anno 1. obiit anno 931.

Joannes XI. Romanus, rexit annis 5. mens. 10. obiit anno 936.

Leo VII. Romanus, rexit annis 3. mensibus 6. obiit anno 939.

Stephanus XI. Germanus, rexit annis 3. obiit anno 942.

Marinus alias Martinus II. Romanus, rexit annis 3. mensibus 6. obiit anno 946.

Agapetus II. Romanus, rexit annis 10. obiit anno 955.

Joannes XII. Romanus, rexit annis 9. obiit 964.

Benedictus V. rexit anno uno, mense 1. obiit anno 965.

Leo VIII. Romanus, rexit anno fere 1. obiit anno 965.

Joannes XIII. Romanus, rexit annis 7. obiit anno 972.

Domnus II. Romanus, rexit mens. 3. obiit anno 972.

Benedictus VI. Romanus, rexit anno 1. mens. 6. obiit anno 974.

Benedictus VII. Romanus, rexit annis 9. obiit anno 984.

Joannes XIV. Papiensis, rexit anno 1. obiit anno 985.

Joannes XV. rexit annis 10. obiit anno 996.

Gregorius V. ex Ducibus Sueviæ, rexit annis fere 3. obiit anno 999.

Sylvester II. Aquitanus, rexit annis 4. obiit 1003.

Joannes XVI. Romanus, rexit mensibus 5. obiit anno 1003.

Joannes XVII. Romanus, rexit annis 5. obiit 1009.

Sergius IV. Romanus, rexit annis 3. obiit anno 1012.

Benedictus VIII. Italus, rexit annis 12, obiit anno 1924.

Joannes

Joannes XVIII. Romanus, rexit annis fere 10. obiit anno 1033.

Benedictus IX. Romanus, rexit annis 11. obiit anno 1045.

Gregorius VI. Romanus, rexit anno 1. resignavit anno 1046.

Clemens II. Saxo, rexit mensibus 6. obiit anno 1047. sepultus Bambergæ.

Damasus II. Bavarus, rexit diebus 23. obiit anno 1048.

S. Leo IX. Germanus, Comes de Daxberg, rexit annis 5. mens. 2. obiit anno 1054.

Victor II. Suevus, Comes de Calb rexit annis 2, mensibus. 3. obiit anno 1057.

Stephanus X. Dux Lotharingiæ, rexit mensibus 8. obiit anno 1058.

Nicolaus II. Sabaudus, rexit annis 2. obiit anno 1061.

Alexander II. Milanus, rexit annis 11. mens. 6. obiit anno 1073.

Gregorius VII. Florentinus, rexit annis 12. obiit anno 1085.

Victor III. ex Ducibus Beneventanis, Ord. S. Benedicti, antea Abbas in monte Cassino, rexit electus anno 1. mens. 6. ut coronatus vero mens. 5 obiit anno 1087.

Urbanus II. Gallus, rexit annis fere 12. obiit anno 1099.

Paschalis II. Italus, Ord. S. Bened. rexit annis 18. mens. 6. obiit anno 1118.

Gelasius II. Ord. S. Bened. ex monte Cassino, Italus, rexit anno 1. obiit 1119.

Calistus II. Dux Burgundiæ, rexit annis 6. obiit anno 1124.

Honorius II. Italus, rexit annis 5. obiit anno 1130.

Innocentius II. Romanus, rexit annis 14. obiit anno 1143.

Cœlestinus II. Italus rexit mens. 5. obiit anno 1144.

Lucius II. Bononiensis, rexit mens. 11. obiit anno 1145.

Eugenius III. Italus, Ord. Cisterciensis, rexit annis 8. obiit anno 1153.

Anastasius IV. Romanus, rexit anno 1. obiit anno 1154.

Hadrianus IV. Anglus, rexit annis 5. obiit anno 1155.

Alexander II. Italus, rexit annis fere 22. obiit anno 1181.

Lucius III. Hetruscus, rexit annis 4. obiit anno 1185.

Urbanus III. Milanus, rexit anno 1. mens. 10. obiit anno 1187.

Clemens III. Romanus, rexit annis 3. obiit anno 1191.

Cœlestinus III. Romanus, rexit annis 7. obiit anno 1198.

Innocentius III. Italus, ex Comitibus de Signia, rexit annis 18. mens. 6. obiit anno 1216.

Honorius III. Romanus, rexit annis 10. mens. 7. obiit anno 1227.

Gregorius IX. Agnaninus, ex Comititibus de Signia, author 5. librorum Decretalium, rexit annis 14. obiit anno 1241.

Cœlestinus IV. Milanus, rexit diebus 18. obiit anno 1241.

Innocentius IV. Genuensis, ex Comitibus de Lavania dictis Flisci, rexit annis fere 12. obiit anno 1254.

Alexander IV Italus ex Comitibus de Signia, rexit annis 7. obiit an. 1261.

Urbanus

Urbanus IV. Campanus, rexit annis 3. obiit anno 1264.

Clemens IV. Narbonenſis Gallus, rexit annis 4. obiit anno 1268.

Gregorius X. Placentinus Italus, rexit annis 4. obiit anno 1276.

Innocentius V. Tarentaſius Burgundus, rexit menſ. 6.

Hadrianus V. Genuenſis, rexit menſe uno, obiit anno 1276.

Joannes XIX. aliis XX. Luſitanus, rexit menſ. 8. obiit anno 1277.

Nicolaus III. Romanus, ex Principibus Urſinis, rexit annis 3. menſ. 8. obiit 1280.

Martinus IV. Gallus, rexit annis 4. obiit anno 1285.

Honorius IV. Nobiliſſimus Romanus, ex ſtirpe Sabellorum, rexit annis 2. obiit anno 1287.

Nicolaus IV. Italus, rexit annis 4. obiit anno 1292.

S. Cœleſtinus V. Italus, Ord. S. Bened. rexit menſ. 5. reſignavit devotiſſimus anno 1294.

Bonifacius VIII. Agnaninus, author libri ſexti Decretalium, rexit annis 8. menſ. 9. obiit anno 1303.

Benedictus X. aliis XI. Tarviſinus Italus, rexit menſ. 8. obiit an. 1304.

Clemens V. Burdigalenſis Gallus, rexit annis 8. menſ. 10 obiit an. 1314.

Joannes XXII. legitimus tamen Pontifex hujus nominis ſolummodo XXI. Cadurcenſis Gallus, rexit annis 19. obiit anno 1334.

Benedictus XI. aliis XII. Gallus, rexit annis 7. obiit anno 1342.

Clemens VI. Lemovicenſis Gallus, Ord. S. Bened. rexit. 2. 10. obiit. a. 1352.

Innocentius VI. Lemovicenſis, Gallus, rexit annis fere 10. obiit anno 1362.

Urbanus V. Miſmatenſis Gallus, Ord. S. Benedicti, rexit annis 8. obiit anno 1370.

Gregorius XI. Lemovicenſis, rexit annis 7. obiit anno 1378.

Urbanus VI. Neapolitanus, rexit annis 11. obiit anno 1389.

Bonifacius IX. Neapolitanus, rexit annis 15. obiit anno 1404.

Innocentius VII. Sulmonenſis, rexit annis 2. obiit anno 1406.

Gregorius XII. Venetus nobiliſſimus, rexit annis 2. obiit anno 1410.

Alexander V. Cretenſis rexit menſibus 10. obiit anno 1410.

Joannes XXIII. verè tamen ex legitimis Pontificibus, ſolùm XXII. & apud Buſſieres in floſculis hiſtoriarum, chronologia Pontificum, Pontifex XXII. rexit annis 5. reſignavit anno 1415. obiit an. 1419.

Martinus V. ex Principibus de Columnâ, Romanus, rexit annis 14. obiit anno 1431.

Eugenius IV. Venetus, rexit annis 16. obiit annō 1447.

Nicolaus V. Italus, rexit annis 8. obiit anno 1455.

Calixtus III. Valentinus, rexit annis 3. menſ. 4. obiit anno 1458.

Pius II. Italus Sinenſis, rexit annis 6. obiit anno 1464.

Paulus II. Nobiliſſimus Venetus, de Barbi, rexit annis 7. obiit anno 1471.

Sixtus IV. Savonenſis Italus, rexit annis 13. obiit anno 1484.

Innocentius VIII. Genuensis, rexit annis 8. obiit anno 1492.

Alexander VI. Valentinus, rexit annis 11. obiit anno 1503.

Pius III. Senensis, rexit diebus 26. obiit anno 1503.

Julius II. Savonensis Italus, rexit annis 9. obiit anno 1513.

Leo X. Florentinus, rexit annis 8. mens. 8. obiit anno 1521.

Adrianus VI. Ultrajectensis Germanus, rexit anno 1. mens. 8 obiit anno 1523.

Clemens VII. Italus, ex gente Principum de Medices, rexit annis 10. mensibus 10. obiit anno 1534.

Paulus III. Italus, ex stirpe Farnesiorum Principum, rexit annis 15. obiit anno 1549.

Julius III. Italus, rexit annis 5. obiit anno 1555.

Marcellus II. Politianus Italus, rexit diebus 22.

Paulus IV. Italus, ex Comitibus modo Principibus de Caraffa, rexit annis 4. mens. 2. diebus 27. obiit anno 1559.

Pius IV. Italus, ex nobilissima Familia Medicæa, rexit annis 5. obiit anno 1565.

S. Pius V. Italus, rexit annis 6. obiit anno 1572.

Gregorius XIII. Bononiensis Italus, rexit annis 12. mens. 10. obiit anno 1535.

Sixtus V. Italus, rexit annis 5. obiit anno 1590.

Urbanus VII. Romanus, rexit diebus 12. obiit anno 1590.

Gregorius XIV. Milanus ex Comitibus Sfondrati, rexit mens. 10. dieb. 10. obiit anno 1591.

Innocentius IX. Bononiensis, rexit mens. 2. obiit anno 1591.

Clemens VIII. Florentinus, rexit annis 13. obiit 1605.

Leo XI Italus, ex Principibus Medicæis, rexit dieb. 27. obiit 1605.

Paulus V. Romanus, ex gente Burghesiorum, Patritiorum Genuensium, rexit an 15. mens. 8. obiit 1621.

Gregorius XV. Bononiensis, rexit annis 2. mens. 5. obiit anno 1623.

Urbanus VIII. Florentinus, ex gente Barberinorum, rexit annis 21. obiit anno 1644.

Innocentius X. Pamph. rexit annis 10. mens. 3. obiit anno 1655.

Alexander VII. Senensis, rexit annis 12. mens. 1. obiit an. 1667.

Clemens IX. Pistorienſis, rexit annis 6. mens. 1. obiit anno 1676.

Clemens X. Romanus nobilissimus d'Altieri, rexit annis 6. mens. 1. obiit anno 1676.

Innocentius XI Comanus, nobilissimus Odeschalchi, rexit annis 12. mens. 11 obiit anno 1689.

Alexander VIII. Venetus ex gente nobilium d' Ottoboni, rexit anno 1. mens. 3. obiit anno 1691.

Innocentius XII. Neapolitanus, ex nobili gente Minerbina, de domo Pignatelli, rexit annis 9. mens. 2. obiit anno 1700.

Clemens XI ex illustrissima familia Albanorum, Ecclesiæ Romanæ summus Princeps hucusque gloriosissimè regnans ab anno 1700. Cujus inter tot Ecclesiæ tempestates,

Europæ

Europæ Sciſſuras, Magnatum diſcordias, anxia regendi ſollicitudo & prudentia felicitetur ab aſtris, & cujus *memoria in benedictione erit.*

Objicies ex hac ſerie Pontificum Romanorum non probatur conſtans eorum ſucceſſio, ergo nec probatur, quod Epiſcopus Romanus ſit caput Eccleſiæ. N. antec. prob. in hac ſerie Pontificum ſæpius plures fuerunt, qui dignitatem Pontificiam ſibi ſimul aſſeruerunt, & quilibet eorum ſe jactabat Pontificem ergo ex hac ſerie nihil certi probari poteſt. Antecedens conſtat ex a. 955. usque ad 965. ubi Joannes XII. & Leo VIII. ſimul erant Pontifices, item mortuo Joañe Benedictus V. & idem Leo VIII. ſolium Pontificium ſimul prætendebant; Vide Bellarm. *de R. P. lib. 2. c. 29.* item anno 1409. tempore Gregorii XII. ſimul duo alii Pontifices adhuc fuerunt, quorum quilibet ſuis nitebatur Aſſeclis, nimirum Alexander V. in concilio Piſano contra Gregorium electus & tertiò Benedictus XIII, qui in Gallia morabatur, & contra duos priores ſucceſſionem Petri prætendebat; item Joannes X. per auxilium ſuæ concubinæ ad Papatum eſt promotus, an vero taliter electus ſit legitimus Petri ſucceſſor? vide *Romam glorioſam* P. Chriſtoph. Ott. *fol. 259.*

Quoad 1. partem objectionis de ſimultaneâ plurium pſeudo Pontificum uſurpatione, Reſp. Tali caſu ſemper unum tantum fuiſſe legitimum, & eum quidem, qui ab univerſaliori Eccleſia fuit acceptatus & agnitus talis. Sic erat legitimus Petri ſucceſſor Joannes XII, quia agnitus ab univerſaliori Eccleſia, ſed Leo VIII. quamvis ab Imperatore Ottone habitus & agnitus Pontifex, attamen nondum erat talis, quousque univerſalis Eccleſiæ conſenſus accederet, hinc Joannes XII. propter ſcandaloſam vivendi rationem, ut ait author *Romæ glorioſæ fol. 264.* depoſitus fuit, Joanni vero immediatè ſucceſſerat Benedictus V. quo etiam reſignante poſtea Leo VIII. ab Eccleſiâ fuit acceptatus, ut verus Pontifex, adeoque neque duo Pontifices eo tempore fuerunt, neque dubium eſt, quis fuerit legitimus Pontifex, nimirum ille, quem univerſalior Eccleſia agnovit, quæ Eccleſia nunquam duos agnovit.

2. Gregorius XII. erat legitimus Pontifex, quousque ab Eccleſia talis agnitus, nimirum usque ad Electionem Alexandri V. è contra Petrus de Luna, qui ſe appellabat Benedictum XIII. nunquam verus erat Pontifex, nec unquam ab Eccleſia agnitus; ſic licet vivente Gregorio XII. Electus fuerit Joannes XXIII. ſolus tamen Joannes erat legitimus, usque dum ille in Concilio Conſtantienſi reſignaverit, eique ſurrogatus fuerit Martinus V. in eodem Concilio. Quoad ſecundam partem objectionis, quod *Joannes* X. per auxilium ſuæ Concubinæ fuerit ad ſolium Pontificium promotus. Reſp. The-

dora apud Marchiones Toscanos intercessit, ut præfati Marchiones Joanni auxilium præberent, quibus mediantibus Joannes eligeretur, cum ergò Joannes postea fuerit electus, & insuper ab Ecclesiâ acceptatus, (quæ acceptatio est secunda electio Ecclesiæ) fuit proindè legitimus Pontifex; An vero perversus & scandalosus Pontifex sit legitimus, infra discutietur *de Infallibilitate Pontificis.*

Objicies 2. Alii Episcopi non sunt solum Vicarii Episcopi Romani, ergo Episcopus Romanus non est Episcopus universalis Ecclesiæ.

Resp. Dist. conseq. non est Episcopus universalis hoc sensu, quod Episcopus Romanus non habeat potestatem supremam in omnes N. hoc sensu, quod non sit solus & proprius omnium Ecclesiarum Episcopus ordinarius C.

Objicies 3. cum Puffendorff *Introduct. ad Histor. de Monarch. Roman.* qui ait: Post obitum Christi & Apostolorum excessum Regimen Ecclesiasticum, quod apud primitivos Chistianos viguit, non jure proprio, sed provisorio quodam modo, à Clero & populo fuisse usurpatum, eo quod Imperatores, quorum propria fuisset Ecclesiæ gubernatio, nolentes Christianorum sacris accedere, eam gubernationem neglexerint, & quasi abjecerint. Deinde ex conniventiâ Constantini Magni & reliquorum Imperatorum ad vexilla Christi jurantium remansisse quandam circa sacra potestatem penes Clericos, per hoc tamen supremam Legum & Conciliorum Ecclesiasticorum prærogativam, quæ fluit ex Majestate Imperatoria, Imperatori adimi non posse; Adhæc barbariem primorum sæculorum & veræ politiæ ignorantiam effecisse, ut Pontifex Romanus pro universali Episcopo agnitus & leges ipsius velut universales receptæ sint; Præterea primatum super reliquos Episcopos Bonifacium III. sibi primitùs arrogasse, adstipulante Phoca Imperatore, qui Constantinopolitano Episcopo, quod eædem Mauritii comprobare detrectaret, vehementer indignatus, eundem antehac de primatu certantem Romano Episcopo postposuit; Denique variis astibus & artibus successorum Pontificum summum Imperium pedetentim in universum orbem stabilitum; inde tamen authoritati Principum sæcularium eo minus derogatum fuisse, quo minus in abdicationem Regiæ suæ potestatis consenserunt.

Resp. 1. falsum esse, quod post Christum & Apostolos Regimen Ecclesiasticum exspiraverit. 2. Falsum esse, quod potestas ecclesiastica unquam fuerit penes Principes sæculares. 3. Falsum esse, Bonifacium Tertium primò usurpasse primatum supra reliquos Episcopos, ut constat ex Synodo Romana anno 324. *cap. ult. ibi: Romanum Pontificem omnium mortalium judicem,* ex Synodo 1. Constantinop. an. 381. ubi

ubi PP. tribuunt Damaſo Pontifici competere poteſtatem *examinandi, confirmandi concluſa conciliaria*; Ex Synodo Chalcedonenſi año 451. ubi Pontifex *Pater, Caput, Director, Judex univerſalis Eccleſiæ* ſalutatur, quæ concilia longe anteceſſerunt Bonifacium III. qui obiit anno 666. & rexit ſolùm 9. menſibus.

9 Quæres 4to. *An Primatus Epiſcopatui Romano ſit annexus ex Inſtitutione Chriſti?*

Reſp. Affirmative, ac proinde non eſt annexus primatus ex eo præciſe, quod Petrus ſua voluntate ſedem ſuam Romæ fixerit usque ad mortem, nec eſt in poteſtate Eccleſiæ hunc primatum cuivis Epiſcopatui annectere, vel ab omni ſeparare.

Ratio. Marcellus ad Epiſcopos Antiochenæ Provinciæ ſcribit: *Petri ſedem jubente Domino Romam translatam eſſe.* quâ authoritate S. Ignatius Martyr Regem Abuſſiæ Eccleſiæ Romanæ conatus eſt adjungere. Anacletus *Epiſt. 3. ad omnes Epiſcopos* ait: *Romanam Eccleſiam non ab Apoſtolis ſed ab ipſo Salvatore primatum obtinuiſſe.* Nicolaus I. *Epiſt. ad Michaelem Imperatorem, iſta*, inquit, *Privilegia Eccleſiæ Romanæ à Chriſto ſunt donata, à ſynodo autem non donata, ſed celebrata & honorata.* Lateranenſe *cap. damnamus*, ait: *Romana Eccleſia Domino diſponente eſt cunctorum fidelium Mater & Magiſtra.*

Objicies. Nequit dici, quando 10 Chriſtus voluntatem ſuam de conjunctione primatus cum Epiſcopatu Romano manifeſtaverit, ergo non conjunxit ita. Reſp. N. antec. probabiliter ex Suarez diu poſt aſcenſionem, non antea ſaltem explicitè manifeſtavit. Sed T. antec. N. conſeq. neſcitur etiam origo plurium aliorum Jurium & ſubſtantia tamen ſcitur certo.

§. III.

AN CAPUT ECCLESIÆ EPISCOPUS ROMANUS SIT SUPRA CONCILIUM?

SUMMARIA.

1. *Quid ſit Concilium, & quotuplex?* 2. *Concilium generale quid requirat?* 3. *Quando cœperint Concilia?* 4. *An Concilium ſit infallibile ſine Pontifice?* 5. *Solvuntur objectiones.* 6. *An Concilium ſaltem cum Pontifice ſit infallibile?* 7. *Recenſentur Concilia generalia.* 8. *An Pontifex ſit ſupra Concilium?* 9. *Solvuntur objectiones.* 10. *A Pontifice nequit appellari ad Concilium generale.* 11. *Recenſentur caſus excepti, quibus Concilium cognoſcit ſuper cauſa Pontificis.* 12. *Cujus nomine & authoritate edantur decreta Conciliorum?* 13. *Summus Pontifex nec ſponte ſe Concilio ſubji-*

cere poteſt. 14. *Solvuntur objectiones.* 15. *A Concilio generali recte appellatur ad ſummum Pontificem.* 16. *An Pontifex ſine Concilio ſit infallibilis in doctrina morum?* 17. *An in Deciſionibus & materia fidei?* 18. *Ponuntur objectiones.* 19. *Recenſentur quidam Pontifices ſcandaloſi.* 20. *An Pontifex ut Doctor privatus errare queat?* 21. *An & quando in quæſtionibus facti particularis?* 22. *Quando Pontifex dicatur loqui ex Cathedrâ?*

1 Nota 1. Concilium eſt Congregatio Prælatorum Eccleſiæ ad ea, quæ ad fidem vel mores ſpectant, decidenda. Nam Concilia ſunt Comitia Eccleſiaſtica. Et dividitur 1. in *generale* ſeu *œcumenicum*, ad quod convocantur omnes (moraliter ſaltem) Epiſcopi totius orbis, nullo per ſe excluſo, præſidente ſummo Pontifice, vel per ſe, vel per ſuos Legatos. 2. *Nationale*, ad quod conveniunt Epiſcopi unius Regni, vel nationis præſidente primate Patriarcha. 3. *Provinciale*, ad quod Epiſcopi unius provinciæ conveniunt, præſidente Metropolitano ſive Archi-Epiſcopo, quæ duo poſteriora improprie vocantur generalia. 4. *Diœceſanum*, ad quod presbyteri unius diœceſeos conveniunt, præſidente Epiſcopo; juxta Bellarminum vix meretur nomen Concilii, quia ſoli Epiſcopi jure ordinario habent jus decidendi, Theologi velut Advocati veritatis habent ſuffragium tantum conſultivum; quibusdam tamen Abbatibus ex privilegio conceditur deciſivum; ideoque hi cum Epiſcopis ſignant ita:

Epiſcopus definiens ſubſcripſi,
reliqui verò:
Conſentiens ſubſcripſi.

2 Nota 2. Concilium œcumenicum ſeu generale deſiderat 1. mandatum ſeu approbationem Pontificis. 2. illius vel Legati præſentiam, 3. Convocationem omnium Epiſcoporum. Sfondrati *Regal. ſacerdot. lib. 2. §. 1.*

3 Nota 3. Non tantum in Eccleſiâ Romana ab ipſis Apoſtolorum temporibus ad noſtra usque ſæcula, ſed etiam in Eccleſia Hebraica, quin & in ritibus gentium de rebus majoris momenti fidem ac ſalutem concernentibus, conventus generales fuiſſe inſtitutos, quemadmodum docet ac probat idem author *d lib. 2. §. 2.*

Nota 4. Quæſtio hæc: *An Pontificia poteſtas ſupra Concilium ſe extendat?* Exordium ſumpſit cum ſchismatibus poſt mortem Gregorii XI. quando plures ſimul Pontifices Cathedram Petri ambiebant. Sfondrati *d. lib. 2. §. 3.* Sententia tamen negativa poſt concilium Conſtantienſe vix à quoquam Catholicorum fuit defenſa, donec Pariſienſes Politici in ſcholas totius Galliæ ante annos non multos eam intruſerunt. Sententia autem affirmativa eſt antiquiſſima & in *Concilio Tridentino* ex decem partibus Patrum à novem aſſer-

asserta, ut narrat Palavicinus *lib. 24. c. 2. n. 12.*

Nota 5. Ab Alexandro VIII. fuit anno 1690. damnata sequens propositio: *Futilis & toties convulsa est assertio de Pontificis Romani supra Concilium œcumenicum authoritate, atque in fidei quæstionibus decernendis infallibilitate.*

4 Quæres 1. *An Concilium sit infallibile sine Pontifice?* Resp. Ante sententiam & confirmationem Papæ concilium generale non est infallibile sed errare potest. Ita Bellarminus & Cajetanus & est communis contra Gallos quosdam.

Ratio 1. Talia concilia mittuntur ad Pontificem, qui potest approbare vel reprobare, ut constat ex Synodo Nycæna, quæ anno 325. inchoata, & in annum tertium duravit. ibi: *præter sententiam Romani Pontificis non debere concilia celebrari*, ex Synodo 1. Constantinop. de anno 381. agnoverunt PP. Damaso Pontifici competere potestatem *examinandi & confirmandi concluſa Conciliaria.* Ex Synodo Nycæna II. de anno 786. Patres magno numero conscripti ingenuè professi sunt: *Modum Legesque à summo Pontifice præscribi Concilio*, ergo illa concilia non sunt infallibilia sine Pontifice.

Ratio 2. Infallibilitas concilii nascitur ex conjunctione corporis cum Ecclesiæ capite, atqui ante sententiam & confirmationem Papæ nondum est talis conjunctio, nam Pontifex, qui est caput, nondum aperuit suam sententiam.

Ratio 3. Basileense concilium *Sess. 2.* una cum Legato Pontificio definivit communi consensu, concilium esse supra Papam, quod tamen negat sanior sententia, ergo Concilium generale ante sententiam & confirmationem Pontificis non est infallibile. Sic etiam licet universale Concilium Ephesinum II. extirpandæ hæreseos gratiâ fuerit legitimâ authoritate inchoatum, nihilominùs Leo Papa minimè probavit ipsius Concilii definitiones, imò illas in sequenti Concilio Chalcedonensi tanquam hæreticas damnavit, ut refert Turrecremata *in Summa de Ecclesiâ lib. 2. c. 100.* sic pariter erravit Concilium Cabilonense *in c. de puellis 6. in c. placuit 11. caus. 11. q. 2.* ut notat Abbas, *in c. significasti n 31. de Electione.* Turrecremata *in c. Anastasius in fin. dist. 19.* Cardinal. Alban. *de potestate Papæ & concilii part. 2. n. 107.* Hinc Concilium sine Pontificis authoritate congregatum est Acephalum, ut dicit textus *in c. subnectitur dist. 21.* conciliabolum *c. multis dist. 17.* schismatica conventicula, & Synagoga Sathanæ, ut legitur in Bulla indictionis Concilii Lateranensis sub Julio II. *in princ. tom. 4. concil. part. 2. pag. 14.* idem habetur in eodem concilio sub Leone X. *Sess. 1. eod. tom. pag. 110.*

Objicies tale concilium ante- 5
quam accedat sententia Pontificis adhuc est Ecclesia, atqui Ecclesia est infallibis, ergo tale concilium ante sententiam & approbationem ponti-

Pontificis est infallibile. Resp. Dist. Maj. adhuc est Ecclesia perfecta & completa N. imperfecta & incompleta C. atqui Ecclesia est infallibilis Dist. si sit completa C. min. incompleta & imperfecta N. Min. & conseq. imo T. major, scilicet tale concilium esse Ecclesiam, tale concilium tamen non est absolutum, priusquam sententia Papæ accedat, & consignet.

Instas. Concilia priusquam confirmentur, dicunt anathema contrarium sentientibus, ergo sunt infallibilia sine Pontifice. Dist. antec. 1. Dicunt anathema statim habens vim N. modo habiturum vim dum confirmatum fuerit C. sic dum judex à quo appellari potest, fert sententiam intelligitur talis sententia habitura vim, nisi princeps mutet sententiam. Urges: Christus dixit Apostolis & Ecclesiæ, accipite spiritum sanctum &c. *Joh. 20. & Matth. ult.* ergo penes Ecclesiam est infallibilitas sine respectu ad Pontificem. Resp. N. conseq quia ibi fuit Petrus ut papa & caput Ecclesiæ, adeoque ibi ponitur Ecclesia cum capite.

Instas. *Cum venerit Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem Joan. 16.* item *visum est spiritui sancto* & *NB. nobis. Act. 15.* item Aug. contra *Epistolam Manichæi* dicit, ego autem non crederem Evangelio, si non crederem Ecclesiæ. ergo Ecclesia etiam sine Pontifice spectata falli nequit. Resp. Hos & similes textus intelligi de Ecclesiâ cum suo capite & de Apostolis cum Petro Apostolorum principe.

Quæres 2. *An Concilium saltem cum Pontifice sit infallibile?* 6

Resp. Affirmativè. Ratio si Pontifex cum concilio generali repræsentante totam Ecclesiam errare posset, portæ inferi prævalerent adversus Ecclesiam, nec adesset Ecclesiæ Christus & Spiritus sanctus, usque ad consummationem sæculi, quod est contra illud *Matth. 16.* item *Matth. 25.* ubi Christus ait: *Ecce ego vobiscum sum usque ad consummationem sæculi*, vide *supra* §. 1.

Ratio 2. Quod in concilio generali approbato per S. Pontificem est definitum & toti Ecclesiæ propositum, semper habitum fuit pro infallibili, uti etiam constat ex *Novella 31. cap. 1. de Ecclesiast. tit.* ubi Imperator Justinianus ita scribit:

Sancimus igitur vicem Legum obtinere sanctas Ecclesiasticas Regulas, quæ à sanctis quatuor Conciliis expositæ sunt, aut firmatæ, hoc est in Nycæna trecentorum decem & octo, & Constantinopolitana sanctorum centum & quinquaginta Patrum, & in Ephesina prima, in qua Nestorius est damnatus, in Chalcedonia in qua Eytiches cum Nestorio anathematizatus est, prædictarum enim quatuor Synodorum dogma sicut sanctas NB. scripturas accipimus, & regulas sicut Leges observamus.

Porro,

Porro Concilia generalia fuerunt ſequentia:

7 Concilium Hieroſolymitanum ſub S. Petro anno *chriſti 51.*

Generale primum Nicææ habitum 318. Epiſcoporum in quo Arius damnatus fuit. Anno Chriſti 325.

II. Synodus generalis, prima Conſtantinopolitana, contra Macedonium & alios negantes divinitatem ſpiritus ſancti. Anno 381.

III. Synodus generalis habetur Epheſi anno 431 contra Neſtorium.

IV. Synodus generalis habetur Chalcedone anno 551. Eutichetem & Dioſcorum.

V. Synodus generalis Conſtantinopolitana II. Anno 553.

VI. Synodus generalis Conſtantinopolitana III contra Monotheli-tas, anno 680. celebratur Synodus Quini ſexta, unde ſunt Canones Trulliani, quam Beda merito errati cam vocat.

VII. Synodus generalis Nicæna II. anno 787.

VIII. Synodus generalis Conſtantinopolitana IV. contra Photium pro S. Ignatio Patriarcha anno 869.

XI. Concilium generale Lateranenſe I. anno 1121. ſub Calixto II. Pontifice.

X. Concilium generale Lateranenſe II. ſub Innocentio II. año 1139.

XI. Concilium generale Lateranenſe III. ſub Alexandro VI. an. 1180.

XII Concilium generale Lateranenſe IV ſub Innocentio III. an. 1215.

XII. Concilium generale Lugdunenſe I. ſub Innocentio IV. in quo deponitur Fridericus Imperator, & decernitur expeditio pro terra ſancta recuperanda. Anno 1245.

XIV. Concilium generale Lugdunenſe ſub Gregorio X. pro unione Græcorum cum Latinis. Anno 1274.

XV. Concilium generale Viennenſe ſub Clemente V. in quo deletus fuit Ordo Templariorum.

XVI. Concilium generale Conſtantienſe pro ſchiſmate tollendo, in quo Gregorius XII. reſignavit. Anno 1414.

XVII. Concilium generale Florentinum, ſub Eugenio IV. pro unione Græcorum cum Latinis. Anno 1439.

XVIII. Concilium generale Lateranenſe V. inchoatum ſub Julio anno 1511. finitum ſub Leone 1518.

XIX. Concilium generale Tridentinum inchoatur anno 1545. concluditur ſub Pio IV. anno 1563.

Quæres 3. *An Pontifex ſit ſupra Concilium?* 8

Reſp. Affirmative. prob. 1. ex conciliis quæ Pontificem à ſe judicari non poſſe, ſed potius ſemet Pontifici ſubeſſe fatentur, adeoque profitentur Pontificem eſſe ſupra concilium. Id affirmat Synodus univerſalis ſub Leone III. & Carolo magno congregata, dum ait: *Nos Sedem Apoſtolicam, quæ eſt Caput omnium DEI Eccleſiarum, judicare non audemus, nam ab ipsâ nos omnes & Vicario ſuo judicamur, ipſa autem à nemine judicatur, quemadmodum antiquitùs (non quaſi novum eſſet commentum) mos fuit, ſed ſicut ipſe ſummus*

mus Pontifex consuevit, jubeat, canonicè obediemus.

Synodus Romana de anno 324. *c. fin.* idem definivit, & ait: *Romanum Pontificem omnium mortalium judicem à nemine judicari posse, neque ab omni Clero, neque à Regibus, neque à populo:* In Synodo Nicæna I., quæ anno 325. inchoata & in annum tertium duravit, concluſum eſt: *præter ſententiam Romani Pontificis non debere Concilia celebrari, omnesque Epiſcopos, qui in quibusdam gravioribus pulſantur, quoties neceſſe fuerit, liberè ad Apoſtolicam Sedem appellare debere, cujus diſpoſitioni omnes Majores Eccleſiaſticas cauſas antiqua Apoſtolorum, eorumque ſucceſſorum, atque Canonum authoritas reſervavit.*

In Synodo Chalcedonenſi anno 451. ſummus Pontifex Romanus audire meruit, quod ſit *ſanctiſſimus & Beatiſſimus Archi Epiſcopus antiquæ Romæ & univerſalis Papa*, univerſalis Princeps Paſtorum, primæ Sedis Antiſtes univerſalis Eccleſiæ, ſtans ſupra firmam fidei petram.

In Synodo Conſtantinopolitana IV. de año 869. negant Legati Sedis Apoſtolicæ: ſe unquam univerſalis Concilii judicio ſubjectos fuiſſe.

In Synodo Florentina (aliis brevitatis ſtudio prætermiſſis) de anno 1439. ita habetur: *Definimus Apoſtolicam Sedem & Romanum Pontificem in univerſum orbem tenere Primatum, & ipſum Pontificem Romanum ſucceſſorem eſſe Beati Petri Principis Apoſtolorum, & verum Chriſti Vicarium, totiusque Eccleſiæ Caput, & omnium Chriſtianorum Patrem & Magiſtrum exiſtere, & ipſi in B. Petro paſcendi, regendi & gubernandi univerſalem Eccleſiam à Domino noſtro Jeſu Chriſto plenam poteſtatem traditam fuiſſe.*

Prob. 2. ex SS. PP. Athanaſius *in Epiſt.* ad Felicem II. Papam ſcribit: Majores ſuos dogmata & ordinationes à Sede Romana accepiſſe, ad eamque quaſi ad matrem recurriſſe, ejus uberibus nutriendos, Canonibus quippe ſancitum eſſe, ut absque Romano Pontifice in majoribus cauſis decerni nihil debeat. Iſidorus *præfat. in opus concil.* inquit: nec ullam Synodum legi ratam fuiſſe, quæ non fuerit authoritate Sedis Apoſtolicæ congregata vel fulta:

Prob. 3. ex Jure Canonico: ubi ſæpius definitum fuit, Romanum Pontificem eſſe ſupra Concilium, videlicet ab Innocentio *c. nemo judicabit*, à Symmacho, *c. aliorum.* ab Anthero *in c. facta ſubditorum*, à Gelaſio *c. cuncta per mundum cauſ. 9. q. 2.* à Bonifacio Martyre *in c. ſi Papa, diſt. 40.* à Pio II. *in Conſtitutione* quæ incipit: *in minoribus agentes editâ. 6. Calendas Maji 1463.* in Bullar. tom. 1. pag. 322. *c. ad Apoſtolicas de ſent. & re judicat. in 6. c. cuncta. 4, cauſ. 9. quæſt. 3.*

Prob. 4. authoritate DD. tum Theologorum tum Canoniſtarum, inter quos eſt Petrus de monte, Epiſcopus Brixienſis, *in ſuâ Monarchia ſeu tractatu de poteſtate Papæ, in Rubr.* de Concilii præeminentia à *num. 6. verſ. his ita expeditis.* Andreas Barboſ,

Barbos. *in Clement. ne Romani de Elect.* ubi *à n. 31. usque ad 86.* pro superioritate Papæ in concilium adducit 87. argumenta. Turrecremata *in c. si Papa dist. 40.* & *in summa de Eccles. lib. 2. per tot.* Fagnanus *in c. Antigonus de pact. à num. 50.* aliique ab eo relati.

Prob. 5. ex ratione, Papa est Caput visibile non tantum Ecclesiarum particularium, sed etiam Ecclesiæ universalis simul collectæ, & quidem institutum immediate à Christo *ex dd.* atqui caput præest membris & illis non subditur, ergo in Ecclesia separatâ à S. Pontifice non est formaliter vel suppletivè potestas summa Ecclesiastica, nec ex scripturâ nec ex traditione; sed potius contrarium juxta illud: *Pasce oves meas, tu es Petrus & supra hanc petram &c.* quod si vero concilium aliquid definit sine capite, non pascuntur oves à pastore, sed pascunt se ipsas, neque Ecclesia est fundata in petrâ sed seipsâ.

Objicies 1. omnibus data est hæc 9
lex: *Math. 18. Si peccaverit in te frater tuus, dic Ecclesiæ;* ergo & Pontifex subjicitur huic legi. Ergo subjicitur Ecclesiæ tum activè tum passivè; Activè: id est, si in Papam quis peccaverit, dicere debet Ecclesiæ, & rem ei ut tribunali majori committere; Passivè, id est: si Papa peccet, debet id dici Ecclesiæ, ut eum puniat.

Resp. 1. Non agitur hic de Petro & conciliis generalibus, aliàs ob quemvis defectum Christiani cogendum esset concilium, quod falsum est, ergo ex hoc textu non evincitur intentum.

Resp. 2. Dist. conseq. ergo & Pontifex subditur huic legi, in quantum ab ipso servari potest C. secus N. scilicet subjicitur quoad monitionem fraternam à Prælatis habendam, non autem eo sensu, quod sepositâ superioritate, quam habet immediate ex Jure divino, possit se subjicere coactivè conciliis; est quidem Pontifex membrum Ecclesiæ, sed principale, est propter gregem pastor, sed gregi non subjicitur:

Objicies 2. *Act. 15.* ajunt Apostoli *Visum est Spiritui sancto & nobis &c.* ubi nulla fit sigillatim mentio Petri, sed Collegii Apostolici, ergo in Petro non agnoscebatur superioritas, imo communi nomine expediebantur litteræ Apostolicæ, sicut etiam de facto & subinde nomine conciliorum expediuntur Decreta, licet illis Papa præsideat. Resp. & dedit tamen ibidem Petrus in contextu indicia primatûs, convocando concilium, ferendo primam sententiam &c. C. secùs N. porro cujus nomine expediantur Decreta concilii generalis dicetur mox infra *hoc 8.*

Objicies 3. à Pontifice potest pro- 10
vocari & appellari ad concilium, quemadmodum non semel esse provocatum præsertim à Galliæ Regibus, antiqua & recens historia perhibet. Resp. N. quod appellari possit, & ab eo quod Reges Galliæ

fuerint peſſimo exemplo, malum ducitur argumentum, ſiquidem talis appellatio nunquam fuit admiſſa, quin potius ſub pœna excommunicationis in Bulla cœnæ *caſ. 2.* ſit prohibita.

Inſtas: Conſtitutiones appellationem à ſententiâ papali damnantes, ab ipſismet Papis in causâ propriâ emanarunt, ergo nihil probant

Reſp. C. antec. N. conſeq. quia enim deficit ſuperior à quo Pontifex ſibi Jus dici patiatur, bene ut ſupremus princeps in ſua cauſa jus dicere poteſt, nec etiam deſunt rationes, ſic à Principe, qui Majeſtate nitet, non licet ad concilium vel regnum appellare:

11 Objicies 4. *c. Papa 6. diſt. 40.* ubi Papa ſubjicitur concilio generali, quando reperitur à fide devius, nec non concilium Conſtantienſe *Seſſ. 4. & 5.* in caſu ſchismatis concilio œcumenico tribuit univerſalem jurisdictionem.

Reſ. Caſum hæreſeos & ſchismatis exceptum eſſe, nam ſi Pontifex per poſſibile vel impoſſibile in hæreſin incideret, non tam judicaretur à concilio, quatenus eſt Pontifex, quam qui eſt Pontifex, cum per hæreſin ipſo jure deſinat eſſe Pontifex, qui ſine fidei profeſſione ad exemplum D. Petri, non incepit eſſe Pontifex. vel Diſt. Papa ſubjicitur concilio, & hæreticus factus poteſt deponi: juridicè cum jurisdictione in perſonam N. impropriè, cum Eccleſia declarat indignum papatu, quo facto immediate privatur à Deo ſuâ poteſtate C. ſicut etiam factâ electione confertur ipſi immediate à Deo poteſtas, ut ſi Papa fieret hæreticus, ante ſententiam hominum à Deo immediate privatur papatu, & ſic tantum ab Eccleſia in eum fertur ſententia declaratoria criminis, ipſo autem jure divino deſinit eſſe Papa.

Idem evenit ſi plures Pontifices in ſchismate creentur, nec conſtet, quis ex pluribus ſit legitime electus, tunc enim, cum omnes ſimul & ſemel præeſſe nequeant, niſi Eccleſiam monſtroſam quis dicere velit, neque etiam uni, quam alteri potiora jura ſuffragari ſupponantur, oportet arbitrium eſſe penes concilium, quisnam pro univerſali paſtore agnoſcendus, aut Anti-Papa rejiciendus ſit; & hæc eſt definitio concilii Conſtantienſis modo cit.

Objicies 5. Quando Pontifex ducit vitam muneri ſuo difformem, oportet adeſſe judicem, à quo corrigatur, ne in pernicem totius Eccleſiæ peſſimo exemplo graſſari præſumat, ergo oportet concilium habere aliquam correctionem & jurisdictionem ſupra Pontificem, ad imitationem Pauli, qui non erubuit Petrum in faciem corrigere, ut conſtat ex *2. ad Galath. 5.* ubi dicit: *Cum autem veniſſet Cephas Antiochiæ, in faciem ei reſtiti, quia reprehenſibilis erat.*

Reſp.

Resp. Valde periculosum esse subditis munus judicandi adversus dominum permittere, pessimo enim articulo res Principum consisterent, si cum omnium vota explere non possint, omnium invidiæ & criminationi paterent. Si in Principem graffari liceat, ait Cardinalis Sfondrati *lib. 2. §. 13. num. 4.* obtentu criminis, quem tu reperies throni securum? semper inter vera, quæ hominem non deserunt, aut imaginaria delicta, quæ multo veris plura sunt, Majestate dubia & vicina; & ideo sacræ paginæ Principibus etiam malis discolisque obtemperari volunt, *Matth. 23. Luc. 12. 1. Petri 2.*

Quod si, pergit cit. Author Pontificum mores adeo fædi essent & deperditi, ut in publicam perniciem exirent, velut si aliena invaderent, injustissimas leges conderent, Principum jura & regna turbarent &c. tunc nec concilio nec ejus supra Pontificem majoritate opus est, cum jus naturale omnia illa permittat, quæ ad justam defensionem pertinent; si ergo Pontifex invadat res meas, repellam, si aggrediatur, resistam, si censuris & interdictis fulminet, ostendam illo ferro & igne sano corpori opus non esse, si regno minetur, minis innocentiam & armatam opponam, quid ergo opus provocatione ad futurum concilium? hæc ille.

Ad factum D. Pauli Resp. correctionem, qua reprehendit Petrum, non prodiisse ex jurisdictione, qua superior inferiorem solet compescere, sed ex charitate, quæ etiam subditis defert munus, amicè potius, quam authoritate superiorem admonendi, ut faciat, quæ sui sunt officii; & certè Paulus non fuit totum concilium, adeoque ex facto illius non bene infertur jus jurisdictionis, quasi id concilio competeret:

Objicies 6. Concilia vel sunt necessaria vel non sunt? si sint, ergo jurisdictionem habent, qua contra Pontifices utantur; si non sunt, ad quid ergo coguntur?

Resp. Concilia simpliciter necessaria non esse, cum Ecclesia florere possit & ultra 300. annos in prima nascentis Ecclesiæ vere inter innumeras hæreses & persecutiones floruerit, licet concilia non fuerint indicta; esse tamen concilia subinde valde utilia, quia plurium concilio res prudentius agi creditur, aut quia ex omnium Nationum conventu certior Status Ecclesiastici habetur experientia, aut quia minus suspectum est judicium, quod totius fere orbis Christiani consensu perficitur. Sfondratus *loc. cit. §. 21. n. 10.*

Quæres 4. *Conciliorum statuta cujus nomine edantur, & cui sint adscribenda?* 12

Resp. Constitutiones conciliorum adscribenda sunt summo Pontifici, & ejus nomine edi debent.

Ratio 1. Quia denominatio sumitur à tribuente authoritatem, non à condente, c. *Apostolicæ de præ-*

bend. in 6. c. cum aliquibus de reſcript. l. 1. §. ſed neque C. de V. J. E. & actus tribuitur primæ cauſæ. *c. in litteris de reſcript. l. item eorum §. decuriones ff. quod cujus univerſ. nom.* atqui Pontifex ſtatutis conciliorum tribuit authoritatem, *c. ſignificaſti de Elect. c. multis, c. concilia diſt. 17.* ergo nomine Pontificis ſunt edenda, eique adſcribenda ſtatuta conciliorum. ſic in ſexta actione concilii Chalcedonenſis dicitur: in omnibus Synodis Apocriſarii Apoſtolici decretas ſententias propter ſummam authoritatem ejusdem Apoſtoli & Sedis, confirmabant; unde Patres concilii Nicæni *c. omnes, c. ſicut, diſt. 15.* humiliter petierunt, ut omnia ſua geſta ac dnfinita confirmarentur à B. Sylveſtro, ut conſtat ex litteris Patrum & decreto confirmationis *tom. 1. p. 1. concil. p. 284.* idemque cum Leone Papa obſervarunt Patres concilii Chalcedonenſis, quorum Epiſtola ſeu relatio itidem refertur *tom. 2. concil. part. 1. pag. 353.* Epiſtola autem & confirmatio Leonis paulò poſt *pag. 366. col. 1.* ſic etiam noviſſimè Patres concilii Trid. eodem modo petierunt, & obtinuerunt confirmationem à Pio IV. ut in Decreto de fine concilii & confirmatione petendâ à ſereniſſimo *Seſſ. 25. & in Bullâ ejusdem Pii IV.* quæ incipit *benedictus Deus.* Denominatio autem fieri debet à ſuperiore confirmante. *c. ſi eum. de præbend. in 6.* Unde Baldus ſcribit *in L. ex placito in 3. coll. C. de rerum permut.* ſtatuta ſpoletana confirmata perPapam dici ſtatuta papalia, quod etiam dixit Rota coram Gregorio XV. *deciſ. 267. num. 6.* & coram Cardinale Cavalerio *deciſ. 438. num. 3.* Non vero dici ſtatuta ſpoletana; ſic etiam tutor datus à patre filio emancipato, ſi confirmatus à prætore, dicitur dativus, non teſtamentarus, ut notat gloſſa *in fin. Inſt. de tut.* ergo etiam ſtatuta concilii confirmata à Papa dici debent papalia, ejusque nomine inſcribi ac promulgari.

Prob. 2. ex praxi, ſic conſtitutiones inſertæ clementinis tribuuntur Clementi V. in concilio Viennenſi, vide *Clement. quia contingit de religioſ. domib.* & ſeptuaginta capita generalis concilii ferè omnia tribuuntur Innocentio III.

Objicies. Conſtitutiones concilii generalis fuiſſe editas nomine concilii, patet ex *c. definivit cauſ. 17. quæſt. 8. c. 1. de judic. c. 1. de ſponſal.* Sic etiam Tridentina Synodus ſæpius utitur his verbis: *Sancta Synodus diffinit, ſtatuit, mandat, prohibet,* & aliis hujusmodi; ſic verba hæc leguntur, *ſacro ſuadente concilio. in c. licet Græcos de Baptiſm.* ſacri authoritate concilii *c. nimis de jurejur.* ſacro præſente concilio, & cum concilii deliberatione præhabita, *c. ad Apoſtolicæ. de ſent. & re jud.* item inſcribuntur ex concilio generali, ex concilio lateranenſi, *c. nonnulli, de cler. non reſid. c. 2. de ſtatu Monach.*

Reſp. Quod multæ conſtitutiones à concilio fuerint denominatæ, exinde factum eſt, quia Romani Pontifices ad imitationem B. Petri, quan-

quandoque ex humilitate consenserunt, ut gesta, quæ sibi tribuenda essent, adscriberentur concilio, & ita procedit textus *in c. fin. caus. 2. quæst. 1.*

13 Quæres 5. *An Romanus Pontifex saltem sponte se Concilio subjicere possit?*

Resp. Negativè Ita tenent Bellarminus *in c. in Synodo. dist. 63 n 6.* Fagnanus *in c. significasti de Elect. à n. 72.* & plures alii ab eo relati.

Prob. 1. Pontificia potestas est à Deo, *c. 1. dist. 22.* atqui Romani Pontifices huic potestati renuntiare aut pontificiæ Majestati quidquam derogare non possunt. Ergo. 2. nemo potest judicare Pontificem, nisi sit superior *dist. 21. per tot.* atqui ut aliquis sit major aut superior Papa, nemo potest facere nisi solus Deus. Ergo

Prob. 2. ab exemplis, sic etsi Marcellinus in concilio conspersus cinere clamasset clara voce, dicens: *peccavi coram vobis*, atque ita quodamodo se suppossuisset judicio Synodi, eum tamen judicare ausus est nemo, eâ ratione: *quia prima Sedes à nemine judicatur*, ut clare indicat *c. nunc autem. dist. 21.* ubi tota de Marcellino historia refertur, vide insuper *tom. 1. contil. general. & provinc. part. 1. pag. 182. & seqq.* idem colligitur ex *c. hinc etiam. dist. 17.* ubi Synodus congregata contta Symmachum authoritate Theodorici Regis, duo objiciebat eidem Theodorico, primum: quod concilium absque jussu accusati Pontificis congregari non posset, secundum, quod primæ Sedis Antistes inferiorum judicio non subjiceretur; quasi diceret, etiamsi concilium præcedente Apostolica authoritate convocaretur, nobis tamen, qui inferiores sumus, contra Pontificem maximum terre sententiam non liceret. Unde quamvis primum objectum postea sublatum esset, accedente demum Symmachii authoritate, tamen, quia supererat secundum, quod minori fas non esset in majorem Jus dicere, Episcopi non sunt ausi in eum jus dicere, sed dixerunt: *Symmachius Papa sedis Apostolicæ præsul ab hujusmodi oppositionibus impetitus, quantum ad homines respicit, sit immunis ac liber, cujus causam totam judicio DEI reservamus.* Certè non aliâ de causâ, nisi ut ostenderent hominibus in eum, qui supra homines est, & qui DEI vices gerit, jus dicere non licere, sic etiam concilium in resolutione non fuit usum verbo *absolvimus* & liberamus, ut mos est judicum in sententiis absolutoriis *l. 3. C. de sentent. & interloc. omn. Judic.* sed dixerunt: ipse, qui est Papa & Apostolicæ Sedis præsul, quantum ad homines respicit, sit immunis ac liber, perinde ac si dixissent: non sit liber, quasi eum nostrâ sententia liberemus, neque sit immunis, quasi eum nostrâ authoritate absolvamus, sed quia ipse est Papa & Apostolicæ Sedis præsul, nos vero homines sumus, quibus non licet de eo sententiam ferre; nemo enim,

enim, qui condemnare non potest absolvere potest *l. nemo ff. de R. I.* deniq; hoc ipsum adhuc clarius probatur *in c. nunc autẽ dist. 21.* nam in eâ parte quâ adducit exemplum Sixti, hic Canon loquitur de concilio quod Valentiniani Augusti jussu convenerat, cui quidem concilio Sixtus à Martiniano accusatus se sponte subjecerat, ut ait textus *in c. mandasti cauſ. 2. q. 5.* & tamen textus *in d. c. nunc autem.* dicit: eum in concilio tanquam ab inferiori judicari non potuisse, atque ita ipsum concilium declarasse, ergo ibi est textus irrefragabilis juncto *d. c. mandasti.* probans Pontificem maximum etiam volentem à Concilio judicari non posse. Processus & acta accusationis Sixti III. habentur *tom. 1. concil. general. & provinc. p. 2. pag. 488.* & ejus spontanea submissio judicio Synodi *pag. seqq. c. 4. & 5.*

14 Objicies 1. *Textum in c. si nos incompetenter. cauſ. 2. q. 7.* ubi Leo Papa se subjecit judicio Ludovici Imperatoris. ibi: *Nos si incompetenter aliquid egimus & subditis justæ legis tramitem non conservavimus, vestrorum cuncta volumus emendare NB. judicio, quoniam si nos, qui aliena aebemus corrigere peccata, pejora committimus, certè non veritatis discipuli, sed (quod dolentes dicimus) erimus præ cæteris erroris magistri, inde magnitudinis vestræ clementiam magnopere imploramus, ut tales, adhæc quæ diximus, perquirenda missos in his partibus dirigatis, qui Deum per omnia timeant, & cuncta (quemadmodum si vestra præsens fuisset Imperialis gloria, diligenter exquirant, & non tantum hæc sola, quæ superiùs diximus, quærimus ut ex amussim exagitent, sed sive minora, sive etiam majora illis sint, de nobis indicata negotia, ita eorum cuncta legitimo terminentur examine, quatenus imposteri m nihil sit, quod ab eis indiscussum vel diffinitum remaneat.* plura habentur in contextu *præcit. can.*

Resp Papa ibi ex humilitate se subjecit Imperatori, ut acciperet correctionem tanquam monitionem, non quasi Imperatorem suum judicem constituisset, sic etiam judicium in *text. cit.* sumitur pro discretione, secundum Joan. Andream *in c. Ecclesia S. Mariæ n. 5. de Constit.* quem refert & sequitur Fagnanus *in c. significasti de Elect. n. 75.*

Objicies 2. *per l. est receptum. ff. de jurisdict. omn. judic.* Judex major potest se subjicere minori, vel æquali jurisdictione contentiosa, ergo etiam Pontifex. Resp. N. conseq. quia *per d. l.* superior ibi potest prorogare jurisdictionem inferioris, & non dicitur tunc minor judicare majorem, quia prorogatio facit de minore majorem & è converso, quod Pontifici applicari nequit, equidem ut mortalium aliquis sit major Apostolico, nemo facere, nisi solus Deus potest, ut dictum est *supra*; simile etiam habetur in Clerico, qui se Laico subjicere nequit, nec illius jurisdictionem prorogare. *c. si diligenti. c. significasti de de foro compet.*

Corol-

15 Corollarium. Ex his fluit, quod cum appellatio sit ab inferiore judice ad superiorem provocatio. *l. 1. §. si quis ff. de appellat. c. 2. de Consuet. in 6.* à sententia Concilii generalis possit appellari ad summum Pontificem, sed non è converso a summo Pontifice ad concilium, quia esset a superiore appellare ad inferiorem contra naturam appellationis. Textus est *in c. cuncta per mundum cauf. 9. q. 3. c. qui se scit. cauf. 2. q. 6.* Quin imò appellantes à Romano Pontifice ad futurum concilium, eorumque consiliarii & fautores, pœnis excommunicationis, criminisque læsæ Majestatis divinæ & humanæ subjiciuntur à Pio II. *in Constit.* quæ incipit *Execrabilis. edita anno 1459. 15. Calend. Febr.* item excommunicantur quot annis in die cœnæ Domini in Bullâ Gregorii XIII. *Consueverunt de anno 1583. pridie Nonas Aprilis.* imò addit Fagnanus *d. loc. n. 61.* cum aliis à se relatis, appellari non posse ad Christum à sententia Papæ, cum Christi & Papæ ejus Vicarii sit idem tribunal. *c. 2. de Consvet. in 6.*

16 Quæres 6. *Cum Pontifex sit supra Concilium, neque sponte sua se ei subjicere possit, an sine Concilio igitur sit infallibilis in præceptis morum?*

Cum *ex dd.* à Pontifice ad concilium nequeat appellari, & Pontifex sit caput ac supremus Princeps Ecclesiæ, adeoque leges etiam contradicente concilio condere, concilii statuta immutare & corrigere possit, *c. significasti de Elect, c. statutum de rescriptis in 6.* quod pluribus confirmat Turrecremata *in summa de Ecclesia lib. 3. c. 24. & c. 44.* dicendum est, Pontificem etiam solum esse infallibilem, in præceptis morum, quæ dat pro tota Ecclesia, saltem quantum ad honestatem morum, & quoad substantiam; quoad circumstantias enim excedendi, *verb. gr.* in rigore pœnæ, multiplicatione præceptorum, ait Suarez non esse inconveniens committere humanum defectum.

Ratio hujus secundi est, quia hoc non est contra Ecclesiæ puritatem. Ratio primi est, quia approbare turpia pro honestis, vel reprobare honesta pro turpibus, repugnat puritati & sanctitati Ecclesiæ, adeoque in illis non potest errare Papa, & sic erronea præcipere Ecclesiæ, unde ait: *c. cuncta per mundum, cauf. 9. quæst. 3. Apostolica Sedes sine ulla Synodo præcedente & solvendi, quos Synodus inique damnaverat, & damnandi nulla existente Synodo, quos oportuit, habuit* facultatem. adde *can. nunc autem dist. 11.* Nec obstat *c. Anastasius dist. 19.* quia est Apocryphus & falso tribuitur Anastasio, ut convincitur ex notis, quæ immediate habentur post *d. c. in verb. Anastasius.*

17 Quær. 7. *An Pontifex sine Concilio sit infallibilis in decisionibus & materia fidei?*

Resp. Affirmative. ut late probatur ex *c. sunt quidam cauf. 25. q. 1. c. ult. dist. 15.* sic Pontifex non puri hominis sed Dei agit in terris. *c. quanto de translat. Episcop.* adeoque

errare non potest, quando definit ex cathedra tanquam Magister & Caput Ecclesiæ, quia licet Deus ei non dederit impeccabilitatem in agendo *c. non nos. penult. dist. 4* dedit tamen infallibilitatem in diffiniendo. *c. majores de Bapt. c. hæc est fides cauf. 24. q. 1.* egregie S. Thom. *2.2. quæst. 1. art. 10. in corp. ad cujus authoritatem pertinet finaliter determinare ea, quæ sunt fidei, ut ab omnibus inconcussa fide teneantur. Hoc autem pertinet ad authoritatem Pontificis, ad quem majores & difficiliores Ecclesiæ quæstiones referuntur, ut dicitur in decret. dist. 17. c. multis. unde & Dominus Lucæ 22. Petro dixit: quem summum Pontificem constituit:* Ego pro te rogavi Patrem, ut non deficiat fides tua, & tu aliquando conversus confirma fratres tuos. Et hujus ratio est, quia una fides debet esse totius Ecclesiæ secundum illud *1. ad Corinth. 1. id ipsum dicatis omnes, ut non sint in nobis schismata*, quod servari non posset, nisi quæstio fidei de fide exorta determinetur per eum, qui toti Ecclesiæ præest, & ejus sententia à totâ Ecclesiâ firmiter teneatur, & ideo ad solam authoritatem summi Pontificis pertinet nova editio symboli, sicut & omnia alia, quæ pertinent ad totam Ecclesiam. adde *c. hæc est fides, can. à recta, cauf. 24. q. 1.*

Prob. etiam ex ratione, Pontifici ut supremo Pastori & Petri successori tenetur Ecclesia obedire, & credere ex text. cit. Si igitur Pontifex posset falli, teneretur credere falsum, & errare tota Ecclesia; dum ergo Christus *Luc. 22.* dixit ad Petrum: *Rogavi pro te Petre, ut non deficiat fides tua*, per hoc aperte insinuavit donum infallibilitatis in Petro, ut est petra Ecclesiæ & caput illius, quod similiter erit intelligendum de successoribus Petri, cum & ii sint caput Ecclesiæ. 2. Pontifices hanc potestatem infallibilem in se agnoverunt, & illa usi sunt damnantes Origenem, Apollinarem, Jovinianum, Bajum, Jansenium, & recentius Innocentius XI. Molinos Quietistam, non autem credibile est, usuros fuisse illâ potestate, si eam non habuissent, cum fuerint eximiè sancti, qui ea usi sunt. 3. Concilia Provincialia confirmata à summis Pontificibus recepta sunt à totâ Ecclesiâ, ut infallibilia *v. gr.* Millevitanum, Arausic. Toletana, Carthaginensia, Lateranensia, ergo Pontifex sine concilio potest decernere aliquid esse de fide infallibiter. 4. Potestatem Pontificis definiendi in fide alligari concilio generali non expediebat, quia regulariter est difficillimum congregare concilia æcumenica, vel propter bella, vel ob sumptus vel ob alia impedimenta, & aliunde potest instare ac urgere necessitas damnandi novam insurgentem hæresim, vel declarandi aliquam veritatem necessariam, erat enim utilius ad majorem Ecclesiæ unitatem & amolienda plura schismata, hanc potestatem tribui Pontifici etiam solitariè sumpto.

Obji-

18 Objicient adversarii 1. Ipse Petrus (cujus successores volunt esse Pontifices Romani) non fuit pro infallibi agnitus à S. Paulo, cum ei restiterit, ergo multo minus reliqui Pontifices Romani erunt agnoscendi infallibiles. Resp. & Cephas sive Petrus toti Ecclesiæ jam proposuit credendum N. & nondum ita proposuit C. Pontifici igitur tribuimus infallibilitatem, quando aliquid proponit toti Ecclesiæ credendum, sive dum loquitur de cathedra, prout infra constabit.

2. In veteri Testamento summus Pontifex Caiphas & tota Synagoga cum illo erravit non recipiendo veram doctrinam, cur non igitur & Pontifex novi Testamenti errare possit? Resp. enim N. conseq. quia eo tempore Synagoga jam erat in occasu, finiebatur cum Christi morte, quæ ratio non militat contra Christi Ecclesiam.

3. Si Pontifex sit infallibilis etiam absque concilio, ergo frustranea erunt concilia, ad quid enim adhiberentur, cum sententiæ Pontificis majus robur & infallibilitatem non addant. Resp. Absit, quod concilia sint frustranea, sic & Apostoli erant infallibiles, & tamen collegerunt concilium. Colligitur itaque concilium, tum, quia non ita clare apud omnes de fide est, Pontificem solitarium esse infallibilem; tum ut reliquis monstretur Pontificem non temerè procedere.

4. Omnis homo est errori obnoxius, & cur Pontifex hac necessitate & lege fragibilitatis humanæ esset exemptus? Resp. Verum quidem esse, quod omnis homo sit errori obnoxius, nisi specialiter protegatur à divina providentia C. si tamen specialiter protegatur N. certe dum DEUS Ecclesiam suam vult præservare ab universali errore, primo necesse erit, ut caput erroribus non subjiciat.

S. Cyprianus pertinaciter restitit Pontifici volenti, ut non rebaptizentur illi, qui jam baptizati erant ab hæreticis, adeoque etiam S. Cyprianus non agnovit in Pontifice infallibilitatem. Sed adversarii meminerint, quod S. Cyprianus ideò arguatur à pluribus peccati mortalis, quod deinde delevit pœnitentia & martyrio; ab aliis verò excusari S. Cyprianum, eo quod ex ignorantia restitit, quia Papa nondum definiverat tanquam de fide, licet jusserit non repabtizari, & sic servari antiquam consuetudinem. alii verò dicunt, quod S. Cyprianus judicaverit Papam loqui ut hominem privatum, & sic errare, adeoque censuit se non teneri obedire.

6. Ipse Petrus, quem Papistæ dicunt primum suum Pontificem negavit Christum, licet Christus pro eo rogavit: ut non deficeret ejus fides, & cur inquiunt: Clemens XI. non posset errare? Verum: Resp. Petrus negavit Christum, antequam esset factus Pontifex & ore tantum negavit C. Negavit postquam esset institutus Pontifex

(quod munus accepit modò post resurrectionem) & corde negavit N.

39 7 Sed experientia & historiæ satis loquuntur de erroribus Pontificum, sic Marcellinus, qui papatui fuit præfectus anno 296. thus adolevit idolis, eaque adoravit, ut ipse postmodum in publico concilio confessus est, & retractavit. Vide *Romam glorios.* P. Christoph. Ott. *fol. 61.* Liberius Papa Papatui præfectus anno 352. Constantii Imperatoris edicto de relegando Athanasio subscripsit. Arianis Episcopis Ursacio & Valenti erat adeò familiaris, & denique formulæ confessionis Arianæ subscripsit. Vigilius omnibus Theodoræ Imperatricis insolentiis ac malitiis consensit, eique promisit restitutionem expulsi & relegati Anthimi. Sergius III. condemnavit acta Formosi Papæ & addictissimus famosæ meretrici Maroziæ; ubi in condemnatione vel erravit Sergius, vel in actis erravit Formosus? dein sordescere in libidine vel maxime est errare. Joannes XI. juxta confessionem Maroziæ filius Sergii III. Pontificis, matris suæ adulteræ mores imitatus tandem papatu dejicitur. Vide Baronium *ad annum 933.* Benedictus IX. simoniaeè electus scandalosè & impudicè vixit, vide *Romam glorios. fol. 287.*

Resp. 1. Quod factum Marcellini attinet, verum est, quod is metu mortis & blanditiis Imperatoris adactus una cum ipso Imperatore templum vestæ ingressus, Jovis simulacro thus adoleverit; verum: non fuit hic error intellectûs, sed peccavit contra fidei professionem, & solo metu externo fidem negare visus est, interiore autem actu nihil contra fidem credidit, aut docuit, cujus evidentissimum exemplum horribilis pœnitentia, quam postea peregit, Pontificatu sponte dimisso & martyrio ob fidem suscepto. vide Baronium *lib. 4. de Roman. Pontif. c. 9.*

2. Factum Liberii quod attinet, verum est, quod is banno Athanasii subscripserit, dum in Thraciam ab Imperatore Constantio erat relegatus & pusillanimitate ductus Romam redire suspiravit, verum etiam, quod in sua captivitate magnam habuerit familiaritatem cum Arianis Episcopis Ursacio & Valente, quos Imperatori Constantio gratos esse noverat, verum tertio, quod formulæ confessionis Arianæ Syrmii ab hæreticis Arianis confectæ subscripserit, ad id dolose inductus, sed meminisse oportet, quod Liberius banno Athanasii subscripserit coactus, prout excusat ipse Athanasius, & eandem subscriptionem postea, dum ex captivitate liberatus fuerat, revocarit, quod etiam familiaris fuerit Ursacio & Valenti Arianis, ex eo provenit, quod hi duo Episcopi Ariani sese subdole finxerint genuinos Catholicos. Formula denique confessionis Arianæ adeo dolose concepta erat, ut nonnisi Catholica videri potuerit, sicut S. Hilarius

Hilarius antiquus & subtilis ille Doctor Ecclesiæ eandem admiserat, (deceptus) ut catholicam; adeoque Liberius non erravit in fide, (quæ est actus intellectus) sed in confessione, & quidem non ut Pontifex loquens ex cathedra, sed ut Doctor privatus. Pariter, quod dictum de Vigilio, erravit is & peccavit non ut Pontifex sed Doctor privatus. Idem dicendum de scandalis Sergii III. Joannis XI. Benedicti IX. quorum errores & scandala fuerunt errores facti & peccata, non errores fidei, facta inquam ut privatorum, non ut legitime definientium. Sic etiam nemo dicit Pontifices peccare non posse, sed dicitur eos in authenticis definitionibus fidei errare non posse.

Objicies. Pontifices de facto ex cathedra definierunt plura fidei nostræ contraria. Nam Greg. III. *in can. 18. cauſ. 32. quæſt 7.* docuit publicè, Viro ob infirmitatem mulieris, licere aliam conjugem ducere. Gelasius *in can. 13. de Consecrat. dist. 2.* tradidit: sine Sacrilegii reatu non posse in S. Communione Corpus Domini sine calice sumi. & *in can. 24. de Consecrat. dist. cit.* tenuit: Baptismum in Sanctissimæ Trinitatis aut Christi nomine, absque trium personarum expressione collatum valere. Alexander III. *in c. 3. de Sponſ. duor.* fatetur à suis prædecessoribus aliquando fuisse judicatum, matrimonium cum unâ contractum & ratum, per aliud cum aliâ contractum & consummatum dissolvi. Innocentius III. *cap. 7. de divort.* refert à quodam Antecessore suo, matrimonium ex eo dissolvi posse, judicatum, quod unus ex conjugibus in hæresin vel gentilitatis errorem labatur.

Resp. Errores qui opponuntur vel non sunt errores, vel non contra fidem ex cathedra propositi. Siquidem *cit. can. 18.* decidit casum infirmitatis tantæ, quæ impotentiam perpetuam ad copulam conjugalem importat, ac si matrimonium antecedat, illud facit irritum, sin verò sequatur & quidem ante consummationem, causam sufficientem dispensationi Pontificiæ præbet. Secundò *cit. can. 13.* ut insinuat illius summarium, loquitur de sacerdote, quod *Corpus Christi sine ejus sanguine non debet accipere.* Tertio *cit. can. 24.* præterquam quod explicationem competentem non respuat, ad casum particularem per rescriptum particulare emanavit, ac in materiâ quidem, quæ nondum à Sede Apostolicâ certò decisa est. Quarto *cit. c. 3. de ſponſ. duor.* non dicit Alexander quomodo & qualiter judicaverint sui Antecessores in quæstione propositâ de duobus matrimoniis, utrum ratum prius per posterius dirimatur? Unde valde incertum est, an etiam casu, quo sententiam affirmativam altè memorati Pontifices amplexi fuissent, ex cathedra sententiam dixerint; ut notat Gonzalez *in Comment. d. c. 3.* etsi cum Wagnereck *in Exegeſi ejusd. cap.* responderi

possit, dissolutionem prioris matrimonii rati per posterius consummatum non tam ex jure communi, quam speciali dispensatione Pontificiâ dirimi, idque tacito nomine Pontifices sensisse. Quintò *c. 7. de divort.* similiter non exprimit, in quo prædecessor Innocentii contrarium & quomodo senserit. Quin nec Innocentius III. tanquam fidei dogma definit, non licere conjugi ad secundas nuptias convolare, quando alter in hæresin vel Ethnicismum est prolapsus, ut colligitur ex *verb. non credimus*, tametsi postea concilium *Trid. Sess. 24. de Matrim. c. 5.* definiverit. Barbosa *in cit. cap. n. 2.* Wagnereck. *ibid. in princ.* Gonzalez. *ibid. in not. n. 2.*

20 Corollarium 1. Pontifex non est infallibilis ut doctor privatus, sive doctrinam suam verbo sive scripto tradat, imo neque ut Pontifex in quæstionibus facti particularibus, non pertinentibus ad comunem Ecclesiæ fidem, religionem & morum sanctitatem, nec ullam habentibus connexionem cum quæstione Juris, aut doctrinæ fidei & morum, *verb. gr.* an cum hac vel illa persona circa votum aut matrimonium ex tali informatione sit dispensandum, vel dum aliquem excommunicat, aut alteri censuræ Ecclesiasticæ subjicit, quo casu fieri potest, ut innocentem condemnet; & ratio est, quia in tali judicio non exercet munus universalis pastoris, nec si erret in hoc, errat tota Ecclesia, cum talis sententia non proponatur definitive è cathedra, ut recipienda à tota Ecclesia; dicitur tamen illos actus exercere ut Pontifex, quia robur suum habent à pontificia potestate, non tamen in casu Ecclesiam docet, adeoque nec requiritur specialis assistentia Spiritûs sancti.

Dixi: *In quæstionibus facti particularibus, non pertinentibus ad communem Ecclesiæ fidem, religionem & morum sanctitatem, nec ullam habentibus connexionem cum quæstione Juris.* 21 Est inquam fallibilis in quæstionibus facti particularibus, quorum decisiones non proponit toti Ecclesiæ tenendas; si equidem toti Ecclesiæ tenendas proponat, errare non potest, alias tota Ecclesia errare posset; sic Pontifex sæpe decidens quæstionem facti, mandat etiam sub anathemate eam decisionem recipere, consequens est, quod tali casu Pontifex errare non possit, ne alias tota erraret Ecclesia. Sic etiam quando Alender VIII. & Anno 1705. Clemens XI. declararunt sensum obvium libri Jansenii, qui inscribitur Augustinus, esse hæreticum, & obvio sensui quinque damnatarum propositionum prorsus conformem, tenentur omnes interno mentis assensu adhærere Pontifici, ut infallibili, quia constitutione Clementis XI. aperte definitur, quod sensus quinque propositionum libri Jansenii sit hæreticus, & sub Anathematis pœna præcipitur, ut omnes & quidem cum juramento subscribant formularium

in

in eam rem ab Alexandro VIII. conditum, ac declaratur, quod absque illa persuasione perjurium foret; jam vero quomodo posset quis formulario huic cum firma persuasione subscribere, nisi Pontifex esset infallibilis in quæstionibus facti, tunc saltem quando illas decidit ex cathedra, sive quando illarum quæstionum decisiones proponit toti Ecclesiæ tenendas? imo quomodo potuisset Pontifex sub Anathematis pœna talem assensum & talem subscriptionem cum tali juramento ab omnibus exigere, si se fallibilem esse sentiret? verum Pontifex genus quoddam violentiæ ac Tyrannidis exerceret, si fallibilitatis suæ conscius nihilominus vindicaret sibi supremam in hominum mentes imperium, non secus ac si esset infallibilis.

Quod si forte reponas ad subscribendum sincere formulario Alexandri VIII. & novissimæ constitutioni Clementis XI. requiritur aliqua persuasio de hæreticitate libri Jansenii, non tamen illa in summo gradu, quæ excludat omnem formidinem, & quam sola gignere potest infallibilis authoritas, sed sufficit judicium opinativum actualem dubitationem excludens, quale niti potest authoritate licet fallibili, ergo in damnandis libris Pontifex & Ecclesia falli possunt. Sed Dist. ad subscribendum cum juramento non requiritur persuasio in summo gradu, quæ excludat formidinem omnem N. ad subscribendum sine juramento T. licet igitur authoritas Pontificis fallibilis sufficeret ad ad assensum probabilem sive opinativum de hæreticitate vel Catholicitate alicujus libri, non tamen sufficit ad assensum plane firmum, qualis in jurante requiritur; sic aliqua prudenter possumus vel debemus credere ex aliorum testimonio, licet id absolute infallibile esse non putemus *verb. gr.* ex quibus parentibus quisque nostrum sit, quod rite baptizatus fuerit, quæ nemo sanus in dubium revocat, etsi cum juramento ea asseverare nequeat.

Corollarium 2. Pontifex tunc di 22
citur loqui ex cathedra, quando ut pastor universalis authentice definiens obligat universam Ecclesiam ad aliquid tenendum vel credendum, & ad hanc locutionem definitivam, sive ex cathedra, requiritur 1. ut objectum non sit factum particulare, sed quidpiam pertinens ad fidem vel morum honestatem. 2. Ut ejus assertio sit directa responsio ad quæsitum, ea enim, quæ per modum explicationis aut confirmationis obiter ex occasione interseruntur, non censentur definita. 3. Verba directa, quibus asserat: hoc esse de fide, esse traditionem Apostolicam, contrarium esse hæreticum &c. 4. Legitima & sufficiens promulgatio, ut si decretum fuerit solenniter publicatum in acie Campi Floræ, affixum in columna illius fori, & ad valvas S. Petri per tempus legitimum. Sed

Dices:

Dices: Si Pontifex ita definit infallibiliter, ergo etiamsi temere definiat sine concilio, erit credendum? sed memento suppositum negari, quod scilicet DEUS in hoc decretorum ordine possit permittere, ut temere definiat, qui enim promisit finem, debet curare ut & media adhibeantur. Deinde certum est, adhibendam esse aliquam diligentiam & consultationem cum viris doctis, quia in re tanti momenti procedendum modo humano & prudenti, & sicut Deus confirmans hominem in gratia, non aufert ab eo obligationem diligentis observationis periculorum peccandi, ita ob promissam infallibilitatem non aufert à Pontifice obligationem diligentis inquisitionis. Sed si ulterius

Rogas, quid si ergo non adhibeat inquisitionem, sicuti omissio diligentis inquisitionis facile accidere posset? ad hoc tibi respondeo, adhuc esse infallibilem, quia infallibilitas non oritur ex diligentia Pontificis, sed à Deo vi promissionum, unde Deus semper assistit ad unum è duobus, vel ne omittatur debita deliberatio, vel ne erret, si absque deliberatione definiat; sic Joannes XXII. cum statuisset definire, quod animæ Beatorum ante diem judicii Deum non viderent, repentino casu mortuus est.

§. IV.

AN DIGNITAS SUPREMA SPIRITUALIS, ET VICARIATUS CHRISTI SIT PRÆFERENDUS DIGNITATIBUS MERE TEMPORALIBUS?

SUMMARIA.

1. *Quid sit Majestas?* 2. *Pontifex habet Majestatem Ecclesiasticam.* 3. *In Pontificem committitur crimen læsæ Majestatis.* 4. *An Pontifex habet Majestatem politicam in suo Territorio.* 5. *Impugnatur jurisdictio politica S. Pontificis.* 6. *Respondetur ad argumenta contraria.* 7. *Quid sentiendum de donatione Constantini.* 8. *An utile sit Pontificem fulgere Majestate etiam politica?* 9. *An Pontifex habeat præcedentiam præ reliquis Principibus?* 10. *Ponuntur argumenta contraria.* 11. *Pontifex est supra reliquos Principes quoad jurisdictionem Ecclesiasticam.* 12. *Recensentur argumenta adversariorum.* 13. *An Imperator possit deponere Pontificem?* 14. *An à Pontifice possit appellari ad Imperatorem & Reges?* 15. *An summa jurisdictio Ecclesiastica unquam fuerit penes Imperatores & Reges?* 16. *Refertur transactio inter Calixtum II. & Henricum V. ac explicatur.* 17. *In Exordio Ecclesiæ penes quem fuerit facultas eligendi Episcopos?* 18. *An S. Pontifex habeat etiam aliqualem jurisdictionem politicam saltem indirectam & extraordina-*

nariam in principes christianos? 19. *Ponuntur objectiones.* 20. *An Pontifex transtulerit Imperium Roman. à Græcis in Germanos.* 21. *Quis fuerit primus Imperat. Imperii Romano-Germanici?* 22. *Quid acquisiverit Carolus Magnus per translationem Imperii.* 23. *An summus Pontifex habeat jus eligendi Romanorum Imperatorem?* 24. *Quando Imperium Romanum caperit esse electivum?* 25. *An aliquo casu jus eligendi Imperatorem devolvatur ad Papam?* 26. *An electus Imperator debeat confirmari à S. Pontifice?* 27. *Ponitur secunda sententia.* 28. *Quotuplex sit corona & coronatio Imperatoris?* 29. *An summus Pontifex habeat jus coronandi Imperatorem?* 30. *An hoc jus sit contraria consuetudine & præscriptione extinctum?* 31. *An summus Pontifex possit creare Reges & territoria erigere in regna?* 32. *An Papa creare possit Principes, Marchiones, Comites, Nobiles, Equites? ubi recensentur ordines Equestres à Pontifice creati.*

Quæstio hæc, an Pontifex sit supra Principes? dupliciter accipi potest: 1. An sit superior quoad dignitatem. 2. quoad jurisdictionem eamque vel spiritualem vel temporalem.

Quæres 1. *An summus Pontifex habeat Majestatem?*

1 Majestatis vocabulum sumi potest vel pro summa dignitate, reverentia atque authoritate, nemine in Ecclesia existente, qui summum Pontificem non recognoscat pro Ecclesiæ capite, vel pro summa potestate, quæ à nemine dependet, & cohiberi non potest, & hoc sensu Majestas sive Jus Majestaticum à variis objectis varia accipit nomina *verb. gr.* quando Majestas leges fert, dicitur hoc Jus, *Jus ferendi leges.* Scilicet potestas Leges universales condendi est potestas majestatica sive Majestas. Quando Majestas politica tributa imponit: dicitur hæc Majestas *Jus tributa imponendi*, sive, quod in idem recidit, vox Majestatis vel denotat summum sub Deo Imperium vel designat dignitatem à summo Imperio promanantem. Vitriarius *Lib. 1. tit. 4. §. 9. litt. A.* igitur ad quæstionem

Resp. *Affirmativè.* Ratio: ei com- 2
petit Majestatica dignitas sive Majestas, cui competit summum sub Deo Imperium, atqui ex dictis competit Pontifici summum sub Deo (saltem Ecclesiasticum) Imperium, cum sit caput Ecclesiæ, supra concilium, ex dd. ergo

Ratio 2. In concilio Romano anno 324. Constantinus Magnus agnovit: *Romanum Pontificem omnium mortalium judicem, à nemine judicari posse, neque à Clero, neque à Regibus, neque à populo.*

In Concilio Constantinopolitano anno 680. Constantinus Pagonatus *in Epistola* ad Agathonem Papam scribit: *Sanctissimo & Beatissimo Archi-Episcopo antiquæ nostræ Romæ & universali Papæ.* Atqui is, qui habet

ſupremum Imperium, qui eſt univerſale caput, is etiam fulget Ma-
3 jeſtate. Ergo. Sic etiam in Pontificem committitur crimen læſæ Majeſtatis, prout declaratur à Pio II. *in conſtit. quæ incipit execrabilis, edita anno 1459. 15. Calend Februarii.*

4 Quæres 2. *An ſummus Princeps Eccleſiæ habeat Majeſtatem non tantum ut Eccleſiaſticus, ſed etiam ut Princeps politicus?*

An ſummus Pontifex habeat Majeſtatem ut Princeps politicus, intelligi poteſt 1. an habeat ſummum Imperium, & quidem univerſale, de quo ſtatim infra.

2. An habeat ſummum & independens Imperium ſaltem in ſuo territorio, adeoque & ut Princeps politicus & reſpectu ſui territorii habeat Majeſtatem? Litem ſummo Pontifici hic movent plurimi conjurato agmine, omnemque ei ſæcularem jurisdictionem adimere præſumunt; arguunt illi cum Einſidel. *tract. de regal. c. 1. num. 35.*
5 contra Pontificem 1. quod regnum ipſius ſicut Chriſti non ſit de hoc mundo, ac Vicarius non gaudeat ampliori poteſtate quam Principalis, neque alia vivendi ratio debeat eſſe familiaris Papæ, præter illam, quam Petrus & Apoſtoli rerum temporalium affluxu deſtituti tenebant.

2. Quod jurisdictio ſæcularis & ſuprema, ſi quæ eſſet Pontifici, ab aliquo ſupremorum Principum debuiſſet fuiſſe collata, & forte à Conſtantino Magno. verum ut ſcribit Daniel Otto *Juris publ. c. 4. pag. 82.* donatio, quæ Conſtantino tribuitur, falſa, fictitia, commentitia, atque ementita eſt; quia eandem aliter Leo IX. *in Epiſt. 3. ad Michael.* aliter Melchiades *in c. futuram. cauſ. 12. quæſt. 5.* Aliter Nicolaus III. *in c. fundamenta de Elect. in 6.* & alii aliter proponunt, ita ut vel hoc nomine ob diverſas & ſibi mutuo repugnantes formulas donatio illa merito ſuſpecta ſit, *arg. l. C. de fide inſtrum.* 2. quia nullibi in toto jure civili hujus donationis fit mentio, quæ certe tanquam notabilis, ſpecialiter notari debuiſſet. 3. Probati authores, quotquot de rebus geſtis Conſtantini ſcripſerunt, hujus donationis ne verbulo faciunt mentionem &c. 4. Quia Sylveſter mortuus eſt anno 330. atqui dicunt hanc donationem factam eſſe eo anno, quo eſt baptizatus, nimirum 337. facta igitur erit Sylveſtro ſeptimo anno poſtquam jam mortuus erat. 5. Quia Conſtantinus filiis ſuis tribus Imperii corpus diviſit, ac Conſtantinus occidentalium partium, Conſtantius orientalium, Conſtans interjectarum eſt Princeps conſtitutus.

3. Quod præſcriptio temporis immemorialis, quæ firmitatem jurisdictioni tribuere poſſet, nequeat conſiſtere ſine bona fide, Pontifices vero in uſu jurisdictionis bonam fidem nunquam habuerunt. Ideoque in hos (ut ſcribit Swederus *Introduct. ad Jus publ. part. gener. c. 4. n. 40.*) Imperator noſter perpetuam

tuam manus interjectionem, non secus ac Dominus in servum Barbarium Philippum habeat. Verum summo Principi Ecclesiastico jurisdictionem sæcularem, ac supremam quidem constare in patrimonio Petri, seu terris ipsi temporaliter subjectis DD. Catholici pro indubitata veritate supponunt potius, quam probatu necessarium censent, *cum Covarruv. lib. 4. var resol. c. 16. n. 7. vers. 2. Molina de J. & J. Tract. 1. disp. 29 n. 9. P. Engel ad Tit. de M. & O. n. 11. & seqq. D. de Basis in Disp. de jurisd. th. 41. n. 2.*

Prob. 2. ex *c. cum adversum 6. & seqq. dist. 96. c. 7. §. denique. de appell. c. 31. qui filii sint legitimi c. 7. de Election. in 6* ibi: *Ne autem ipsa Mater Ecclesia in congregatione & pastura fidelium temporalibus careret auxiliis, quin potius ipsis adjuta, spiritualibus proficeret incrementis, non absque miraculo factum esse concipitur, ut occasionaliter Constantini Monarchæ à Deo provisa, sed curata baptismalibus fomentis infirmitas quandam quasi adjiceret ipsi Ecclesiæ firmitatem, quia quarto die Baptismatis unà cum omnibus Satrapis & universo Senatu optimatibus etiam & cuncto populo in persona B. Sylvestri sibi Romanam concedendo urbem relinquens, ab eo & successoribus ejus per pragmaticum constitutum disponendam esse, decernens NB. in ipsa urbe utriusque potestatis Monarchiam Romanis Pontificibus declararet &c.* Et ratio est, quia ut argumentatur Dominicus Sotus de *J. & J lib. 10. quæst. 4. art. 5.* potentia temporalis ac divitiæ, licet non fuissent Ecclesiæ necessariæ, si omnes Episcopi, Prælati & Sacerdotes exemplo SS. Petri, Augustini, Martini, Nicolai benevolentiam ac reverentiam populi vitæ sanctimonia demereri potuissent, quia tamen in tanto numero hoc sperari non poterat, ideo Ecclesiæ alio modo consulendum erat, idque etiam, ut existimatio ejus crescret apud homines, quorum cognitio, uti à sensibus incipit, ita magis æstimat Ecclesiam splendore rerum externarum fulgentem; Positis verò & concessis bonis temporalibus, longè maximè condecebat, ut Pontifex jurisdictionem supremam sæcularem habeat, tum ut Ecclesiastica Majestas ex consortio Imperii politici incrementum quoddam sumeret, tum ne vilesceret persona Pontificis, si Principibus sæcularibus in judicio ratione temporalium sublimitatem suam inclinare deberet, tum quia magis certior ac magis perpetua erat speranda possessio bonorum, quorum omnis jurisdictio ad Ecclesiam pertinet. quod ipsum Nicolaus III. *in cit. c. fundamenta*, consideravit, *non justum*, asserens, *ut, ubi sacerdotii principatum & Christianæ Religionis Caput cœlestis Imperator instituit, illic Imperator terrenus habeat potestatem*, quin magis *ipsa Petri Sedes in Romano jam proprio solio collocata, libertate plena in suis agendis per omnia potiretur, nec ulli subesset homini. quæ ore divino cunctis dignoscitur esse prælata.*

6 Ad 1. Resp. quod Christus Dominus jurisdictionem temporalem habuerit, præter varia scripturæ loca, manifestè docet *c. 9. Isaiæ*, ubi de Christo vaticinatur Propheta: *Factus est Principatus super humerum ejus, vocabitur nomen ejus admirabilis Consiliarius, Deus fortis, Pater futuri sæculi, Princeps pacis, multiplicabitur ejus Imperium, & pacis non erit finis, super solium David & super regnum ejus sedebit, ut confirmet illud, & corroboret in judicio & justitia, à modo & usque in sempiternum.* Latè Molina *de J. & J. disp. 28. à n. 12.* Quod autem jurisdictione hâc usus non fuerit, non facit, quasi nequeat Pontifex, cum ad divinam virtutem apertiùs demonstrandam, noluerit Ecclesiam humano modo & medio in primis quasi incunabulis instruere & exstruere, quæ ipsa tamen virtus ex hoc enituit clariùs, quod Ecclesia tam tenuibus initiis cæpta, tantâ & tam crebrâ tyrannide impugnata, in tantum excreverit, ut velut me dullam humanæ potestatis, scilicet Romam & Provincias illuc pertinentes, possideret, etiam portis inferi non prævalentibus, & verè impletum sit illud Isaiæ *c. 61. v. 6. Vos sacerdotes Domini vocabimini Ministri Dei nostri dicetur vobis, fortitudinem gentium comedetis, & in gloria earum* (sancta gloria & glorioſa sanctitate) *superbietis.*

7 Ad 2. de donatione Constantini ipse Daniel Otto negare non potest, quod ea à plurimis viris sanctitate & doctrinâ conspicuis, historiarum laude celeberrimis defendatur, cum ipsemet *cit. loc.* sat multos adducat, & plures alios referat Covaruvias, Waizenneger, Engel *supra citat.* habetque hæc donatio fundamentum in Jure Canonico, *in C. Constantinus 13. dist. 96. c. futuram Ecclesiam 15. caus. 12. quæst. 1. c. fundamenta Ecclesiarum. 17. de Electione in 6.* De hac donatione *d. c.* Constantinus *13.* inter cætera sic habet:

Utile judicavimus una cum Satrapis nostris & universo Senatu, optimatibusque meis, & cuncto populo Romanæ gloriæ Imperio subjacenti, ut sicut B Petrus in terris Vicarius filii Dei esse videtur constitutus, ita & Pontifices, qui ipsius Principis Apostolorum gerunt vices, Principatûs potestatem, amplius, quam terrena Imperialis nostræ serenitatis mansuetudo habere videtur, concessam à nobis nostroque Imperio obtineant, eligentes nobis ipsum Principem Apostolorum & ejus Vicarios firmos esse apud Deum Patronos. Et sicut nostram terrenam Imperialem potentiam, sic ejus sacrosanctam Romanam Ecclesiam decrevimus veneranter honorari, & ampliùs, quam nostrum Imperium, & terrenum thronum, Sedem sanctissimam Beati Petri gloriosè exaltari. Tribuentes ei potestatem & gloriæ dignitatem, atque vigorem & honorificentiam NB. Imperialem; atque decernentes sancimus, ut Principatum teneat tam super quatuor præcipuas Sedes, Alexandrinam, Antiochenam, Hierosolymitanam, Constantinopolitanam, quam & super omnes in universo orbe terrarum Ecclesias Dei;

&

& Pontifex, qui pro tempore ipsius sacrosanctæ Ecclesiæ Romanæ exstiterit, celsior & Princeps cunctis sacerdotibus totius mundi existat, & ejus judicio quæque ad cultum Dei, vel Christianorum stabilitatem, procuranda fuerint, disponantur. & infra. Unde ut Pontificalis apex non vilescat, sed magis, quam terreni Imperii dignitas, gloria & potentia decoretur, ecce tam palatium nostrum, ut prædictum est, NB. quam Romanam urbem & omnes Italiæ seu occidentalium Regionum provincias, loca & civitates præfato Beatissimo Pontifici nostro Sylvestro universali Papæ contradimus atque relinquimus, & ab eo & à successoribus ejus per hanc rivalem nostram & pragmaticum constitutum decernimus disponenda, atque juri sanctæ Romanæ Ecclesiæ concedimus permansura; Unde congruum perspeximus, nostrum Imperium & Regni potestatem in orientalibus transferri Regionibus, & in Bizantinæ Provinciæ optimo loco, nomini nostro civitatem ædificari, & nostrum illic constitui Imperium, quoniam ubi Principatus sacerdotum & religionis caput ab Imperatore cœlesti constitutum est, justum non est, ut illic Imperator terrenus habeat potestatem.

Quin etsi à Constantino re ipsa facta non fuisset hæc donatio, factam tamen ab alio evidenter docet historia, ex quâ liquet, Ecclesiæ Romanæ jam ante tempora Pipini & Caroli Magni prædia, urbes, oppida, quoad temporalia paruisse, eâque de causa Pipinum & Carolum ad retinenda à Longobardis & aliis ablata, evocatos, non tantum reddidisse, quod ablatum erat, sed adjecisse, quæ fortè nec dum erant in pleno Ecclesiæ Romanæ dominio, hæcque sic reddita, adjecta vel donata à subsequentibus Imperatoribus fuisse confirmata. *C. Ego Ludovicus. 30. dist. 63.* ibi: *Ego Ludovicus Imperator Augustus, statuo & concedo per hoc pactum confirmationis nostræ tibi Beato Petro Principi Apostolorum & per te Vicario tuo Domino Paschali summo Pontifici & & universali Papæ & successoribus ejus in perpetuum, sicut à prædecessoribus nostris usque nunc in vestra potestate & ditione tenuistis & disposuistis Romanam Civitatem cum Ducatu suo & suburbanis, atque vicubus omnibus & territoriis ejus montanis & maritimis littoribus & portubus seu cunctis Civitatibus Castellis, oppidis, ac villis in Thusciæ partibus.* Item *Clement. un. de jurejur.* Cardinalis Sfondrati *regal. sacerdot. lib. 1. §. 5. sub n. 4. pag. 177. pag. 179. & sub n. 12. pag. 200.* Similiter non refert, quod scriptores rerum à Constantino gestarum non meminerint hujus donationis, sufficit enim, quod meminerint alii & illi non negaverint, quia nemo tam peregrinus est in jure, qui nesciat in antiquis ipsam transacti temporis intercapedinem loco probationis cedere. Besoldus *part. 3. consil. 93. n. 50. & seqq. consil. 104. n. 2. & seqq.* & fortassis memorati scriptores de donatione ideo siluerunt, vel quia ejus notitia tam erat publica, ut mentione haud egeret, vel quia ad effectum non statim

pervenerat, Gentilibus, Hæreticis, Gothis & Barbaris continuo in Italiam graſſantibus.

Præterea ut notat Waizenegger *diſſert. de Imperat. & Imp. c. 3. n. 39.* hiſtoriæ veritati adverſatur, quod anno 337. Conſtantinus fuerit baptizatus, ut enim Baronius ad annum Chriſti 324. contra Euſebium hominem Arianum & alios eruditè diſputat, & oſtendit, Conſtantinus eodem anno 324. luſtrali lymphâ Romæ fuit expiatus à B. Sylveſtro.

De Teſtamento Conſtantini authenticè non conſtare ait D. Ludovicus Engel. *de Major. & obed. n. 12. ſub fine.* Imò potiùs & magis ſpecifice de donatione; poſito etiam, quod tale teſtamentum factum fuiſſet, adhuc incertum eſſet, an per id Imperator donationem ſemel legitimè factam revocare potuiſſet; addit ex Boetio Waizenegger *d. l. n. 36.* primo: potuiſſe Conſtantinum, potuiſſe ejus filios, cæterosque ſucceſſores donatione jam facta dominari, quod exiſtimarent Imperium primarium non eſſe donatum. 2. Eos imperaſſe non ut Imperatores ſed ut Vicarios & Præfides ſummi Pontificis. 3. Potuiſſe intervenire multas cauſas, cur ſucceſſores Conſtantini Italiæ & occidenti imperaverint, vel Pontificum tolerantiam, vel Imperatorum violentiam, vel neceſſitatem temporum, quæ tamen non potuerint juri Eccleſiæ Romanæ quidquam derogare.

Denique, quod ad præſcriptionem requiratur bona fides, veriſſimum eſt, ſed malè arguitur Pontifex malæ fidei poſſeſſor, qui patrimonium Divi Petri per tot ſæcula ex titulis, ſi non veris, ſaltem coloratis inconcuſſe poſſedit, & ut ait D. ab Andlern. *in Jurisprud. publ. c. 1. tit. 5. pr. ſub n. 12. Ecquid de Donatione Conſtantini anâ & externo ſplendore opulentiaque contra Pontificem invidioſè diſputatur? Si poſſeſſio immemorialis jus poſſeſſoris demonſtrat, ontifex cauſam evicit, nec contra illum, ſed contra Eccleſiam & honorem Dei, cui hæc omnia ſacrata, inſtruitur hæc pugna.* Si urgeant & dicant, quod Imperator non potuerit donare Territorium Romanum Pontifici. Reſp. Negando, cum Imperium orientale fuerit vera Monarchia, ubi populus omnem ſuam poteſtatem in Principem tranſtulit *l. 1. ff. de Conſtit. Princip.* & Imperator fuerit Supremus terrarum ſui Imperii Dominus, adeoque potuerit etiam de re ſua pro arbitrio diſponere, prout adverſarii concedere debent qui Teſtamentum Conſtantini aſſerunt & propugnant. Neque tunc fuerunt tales Imperii Principes, quorum conſilio & conſenſui Imperator fuiſſet alligatus, ſed tantum adminiſtratores & præſides provinciarum, imò ut nihil deeſſe videretur, Conſtantinus hanc donationem fecit, cum omnibus Satrapis, & univerſo Senatu optimatibusque ſuis, & cuncto populo Romano, qui omnes eam donationem utilem

judi-

judicarunt, *d. c. Conſtant. 13.* Demum hodierni Imperatores Germani non tantum hactenus, ſaltem plerique de hac donatione conqueſti non ſunt, ſed inſuper eandem verbis & factis abunde confirmarunt. *ex dd.* Summus Pontifex habet Majeſtatem in totum mundum, tum politicam in patrimonium Petri. Nunc ulterius

8 Quæres 3. *An utile ſit, Pontificem habere Majeſtatem politicam & temporalem?*

Reſp. Affirmativè, ut ſatis colligitur ex *c. Conſtantinus. 13. d. can. 15. cauſ. 12. q. 1.* audi Joannem Leuchtium *Tract. Academ. de jurisd. diſſert. de Imperat. & famil. origine. mutat &c. Tit. de Stabilitate ſanctiſſimæ Sedis Pontificiæ fol. 247.* ubi ait: & certè Papatûs Majoritas armata utiliſſima eſt Cnriſtianis Principibus dominatione temperatis, quoniam ipſorum diſcrepantias æquat, arbiter eſt pacis, bellique juſti, & arma exercet pro illis, qui injuriam patiuntur, nec patitur quempiam alius Chriſtiani Regnum invadere, conjungit eos contra hoſtes fidei, ſeparatque ab hoſtium fœdere & per cruciatus & indulgentias & excommunicationes pro bonis & contra malos Regnatores Chriſtianam Rempublicam gerit tueturque, absque ipſo jam anihilatus eſſet Chriſtianiſmus, humanitùs ac politicè loquendo (ſi quis hiſtorias conſiderat) ſæpe quoque principes minores à potentioribus jam devorati eſſent, veruntamen Princeps nullus vivens ſub religione habente ſummum Sacerdotem armatum cum ſuperioritate ſuper illum, poteſt propriam ambitionem prorſus effrænare.

Quæres 4. *An S. Pontifex, Vicarius Chriſti habeat præcedentiam præ quovis Principe ſæculari?* 9

Reſp. Affirmative & prob. 1. *ex c. duo ſunt. 10. diſt. 96.* ubi Gelaſius Papa Imperatori Anaſtaſio ita ſcribit: *Duo ſunt, quippe Imperator Auguſte, quibus principaliter mundus regitur, authoritas* (NB. quæ primo ponitur) *ſacra Pontificum & Regalis poteſtas, in quibus itanto gravius pondus eſt ſacerdotum, quanto etiam pro ipſis regibus hominum in divino ſunt reddituri examine rationem*, & poſt pauca, *noſti itaque inter hæc te ex illorum dependere judicio, non illos ad tuam redigi poſſe voluntatem &c.* & infra, *quod aurum non jam pretioſius ſit plumbo, quam regia poteſtate ſit NB. altior dignitas ſacerdotalis.* Hoc modo, circa principium ſui paſtoralis ſcribens: *Honor fratres & ſublimitas Epiſcopalis nullis poterit comparationibus adæquari. Si Regum fulgori compares & Principum Diademati, longè erit inferius, quam ſi plumbi metallum ad auri fulgorem compares, quippe cum videas Regum colla & Principum ſubmitti genibus ſacerdotum, & oſculatâ eorum dexterâ orationibus eorum credat ſe communiri.*

Prob. 2. *Ex c. 6. de Major. & obed. circa med.* ibi: *Præterea noſſe debueras, quod fecit Deus duo magna luminaria in firmamento cœli, luminare majus,*

ut

ut præesset diei, luminare minus, ut præesset nocti, utrumque magnum, sed alterum majus, ad firmamentum igitur cœli, hoc est universalis Ecclesiæ fecit Deus duo magna luminaria, id est, duas instituit dignitates, quæ sunt Pontificalis authoritas & Regalis potestas, sed illa, quæ præst diebus, id est spiritualibus, major est, quæ vero carnalibus, minor, ut quanta est inter solem & lunam, tanta inter Pontifices & Reges differentia cognoscatur.

Prob. 3. *Ex C. Constantinus. 13. dist. 96.* ubi Imperator Constantinus ait: *Et sicut nostram terrenam Imperialem potentiam sic ejus sacrosanctam Romanam Ecclesiam decrevimus, veneranter honorari, & NB. amplius, quam nostrum Imperium & terrenum thronum, sedem sacratissimam Beati gloriose exaltari. Tribuentes ei potestatem & gloriæ dignitatem atque vigorem & honorificentiam Imperialem.* Et infra, *quia super coronam clericatus, quam gerit ad gloriam Beati Petri, omnino ipsi ex auro non est passus, uti coronâ, nos Phrygium candido nitore splendidum resurrectionem dominicam designans, ejus sacratissimo vertici manibus nostris imposuimus, & tenentes NB. frænum equi ipsius pro reverentia beati Petri stratoris officium illi exhibuimus.*

Prob. 4. Ille præferendus est in dignitate, qui digniori officio præest, at Pontifex summus digniori fungitur officio quam Imperator, equidem Imperator vices sustinet & personam puri hominis, è contra S. Pontifex vices Dei agit. *c. quanto de translat. Episc.* ibi: *Qui non puri hominis sed veri Dei vicem gerit in terris.* Sic etiam Papa dicitur habere *cœleste arbitrium l. 1. in fin. C. de SS. Eccles.* Sic etiam, quando in quodam instrumento exprimitur Pontifex & Imperator, nomen Pontificis ponitur primo loco, 2do autem nomen Imperatoris, quemadmodum in promotione Doctorum pronunciat Promotor: *Ego authoritate Pontificia & Cæsarea.*

Denique hanc prærogativam semper agnoverunt Imperatores: sic Pontifex Imperatori & Regibus scribit: *Dilectis Filiis.* vide *l. 8. C. de SS. Trinitate.* & litteras Clementis XI. ad Augustissimum Imperatorem Josephum I. de dato 2. Junii anno 1708. quarum inscriptio erat: *Charissimo in Christo NB. filio Josepho, Hungariæ & Bohemiæ Regi, in Romanorum Imperatorem electo:* Quod semper acceptarunt, adeoque in Pontifice semper agnoverunt prærogativam patris supra filios; quemadmodum verò pater est supra filium, sic consequenter agnoscunt Imperatores & Reges Pontificem esse supra se.

2. Justinus I. procidit ad genua Joannis I. idem fecit Justinianus II. qui prope NB. Nicodemiam procidit ad pedes Papæ Constantini, primusque ejus pedes exosculatus, Ludovicus pius Imperator Caroli magni filius trina vice procidit ad genua Stephani V.

Objicies cum Vitriario *Jur. publ. lib. 1. tit. 4.* Papa Imperatori assurgit. 2. Ejus levam in solennibus cere-

moniis

moniis claudit. 3. Adhuc Romæ habet Palatium suum, in quo alit designatorem, ita, ut si veniat Romam, ipso jure se illuc conferat, & Papam vel in montem *di Cavallo* vel in castrum *di S. Angelo* secedere jubeat. 4. Si moriatur Papa, ejus successor confirmationem privilegiorum & donationum à Cæsaribus factarum petere tenetur, in concilio cæsareo secretiori.

Resp. ad 1. N. quod Pontifex Imperatori assurgat, & quod 2. ejus levam in solennibus ceremoniis claudat, sic contrarium probatur 1. ex eo, quod si præsentes sint Imperator & Rex Galliæ, Imperator in solennibus ceremoniis agat Diaconum à dextris Pontificis, Rex Galliæ verò Subdiaconum à sinistris Pontificis. 2. Sic dum Alexander III. anno 1162 in Gallia pacem componere intenderet inter Ludovicum Galliæ & Henricum Britanniæ Reges, hi duo potentissimi Reges comitati sunt pedibus ex utraque latere equitantis Pontificis, tamdiu tenentes frænum equi, usque dum Alexander ad destinatum diversorium perveniisset, & equo descendisset, vide *Romam glorios.* P. Christoph. Ott. *ad annum 1162. fol. 325.* Sic 3. Fridericus Imperator ab Alexandro hoc III. excommunicatus, diu quidem contumax, tandem anno 1177. Venetias se contulit, & ibidem à præfato Alexandro die 24. Julii in Ecclesia S. Marci humaniter exceptus, & postquam pedes Pontificis, post hæc ut filius manus Pontificis exosculatus fuisset, omnemque Pontifici obedientiam spopondisset, ab excommunicatione absolutus fuit. certè, qui osculatur & procidit ad pedes alterius non prætendit dexteram ejus, ad cujus pedes procidit, multò minus, ut is procidenti assurgat. Vide *Romam glorios. loc. cit. fol. 326.* ubi author ait: *fol. 331.* Antiquam fabulam esse, quod Pontifex prostrati & ad Pontificis pedes recumbentis Friderici collum pessumdederit, prout aliqui narrant & prætendunt, quod dum Pontifex ita pessumdedit Imperatorem Fridericum, dixerit: *Super aspidem & Basiliscum ambulabis*, cui pergunt respondisse Fridericum: *Non tibi sed Petro*; Sed repositisse Alexandrum: *& Petro & mihi*, quæ omnia fictitia esse, latè probat author *Rom. glorios. cit. loc.* ex Romualdi Archi-Episcopi Salernitani *Chronic.* usque ad annum 1178. Ex historia Anglicana Rogerii de Hovedem usque ad annum 1199.

Ad 3. quod Imperator adhuc Romæ habeat Palatium non plus probat Jurisdictionis competentis in Romanam urbem, aut ipsum Pontificem, quam Juris habeat Imperator Hagæ Comitum & in Hollandos, cum Imperatoris Legatus etiam Hagæ Comitum habeat palatium. Sed quod Imperatore Romam veniente Pontifex jubeatur recedere vel in montem *di Cavallo* vel in castrum *di S. Angelo*, Figmentum est Vitriarii, sine authori-

tate & ratione id asserentis. Ad 4. Quod successor defuncti Pontificis teneatur petere confirmationem privilegiorum & donationum à Cæsaribus factarum, rursus erroneè sentit Vitriarius, sed Neo-Pontifex suam electionem insinuat Imperatori ut Advocato Ecclesiæ, imò talis insinuatio novi Regentis etiam consueta est inter alios Principes; cur non ergo Pontifex servet hæc curialia, ut insinuet aliis Monarchis se ad Thronum Potificium esse evectum? verum de petendâ donationum confirmatione non constat, imò falsum est; quod tamen etiamsi supponatur, nondum sequitur, Imperatorem dignitate esse supra Pontificem, sicut non sequitur: Donatarius est, ergo dignitate est inferior, cum etiam inferior utique superiori quid donare possit.

Quæres 5. *An S. Pontifex sit supra Imperatorem & Reges quoad Jurisdictionem spiritualem?*

11 Resp. Affirmative. Ratio 1. ille qui Ecclesiæ catholicæ membrum est, ille etiam subditus est capiti summo Pontifici, sed Ecclesiæ catholicæ membra sunt utique Imperator, Reges & Principes Christiani, speciali jure ad ejus defensionem adstricti, ergo sunt subditi capiti summo Pontifici.

Ratio 2. qui sunt de ovili Christi, pastorem unum agnoscunt, audiunt, reverentur; Principes autem Christiani sunt de ovili Christi tanquam pretioso sangvine Christi ex faucibus infernalibus erepti, ergo pastorem unum, qui est summus Pontifex agnoscunt, audiunt, reverentur. Ad rem dicit Bonifacius VIII. *in Extravag. unam sanctam. de Major. & obedient. inter commun. Ecclesiæ*, inquit: *unius & unicæ, unum corpus, unum caput, non duo capita, quasi monstrum, Christus videlicet & Christi Vicarius Petrus Petrique successor, dicente Domino ipsi Petro:* Pasce oves meas, *& generaliter non singulariter has vel illas, per quod commisisse sibi intelligitur universas. Sive ergo Græci, sive alii se dicant Petro ejusque successoribus non esse commissos, fateantur necesse est, se de ovibus Christi non esse, dicente Domino: In Joan. Unicum ovile & unum esse Pastorem.*

Eâdem fere ratione discurrit D. Bernardus *lib. 2. de considerat. ad Eugen. c. 9.* ubi expendens verba Evangelii *pasce oves meas*, subjungit, *quas, vel illius populos civitatis aut regionis, aut certi regni? oves meas inquit, cui non planum, non designasse aliquas, sed assignasse omnes; nihil excipitur, ubi distinguitur nihil.*

3. Concilium subest Pontifici, ergo & Reges subsunt, hi enim conciliorum decreta recipere, canones amplecti, definitiones acceptare & volunt & debent, indeque in concilio Romano anno 324. præsens Constantinus magnus agnovit Romanum Pontificem omnium mortalium judicem à nemine judicari posse, neque à Regibus, neque à populo. Pariter in concilio Nycæno PP. definierunt: *Ille, qui tenet sedem Romæ, Caput est & Princeps omnium*

omnium Patriarcharum, quandoquidem ipse est primus, sicut Petrus, cui data est potestas in omnes Principes Christianos & omnes populos eorum. adde *l. 7. C. de SS. Trin.* ubi Justinianus sic scribit: *Ita ut nulla ex parte immutaverimus vel immutemus vel prætergressi simus eum, qui nunc Dei beneficio obtinet, Ecclesiasticum statum (quemadmodum & tua novit beatitudo) sed per omnia custodiamus constitutionem unitionis SS. Ecclesiarum cum summo Papa senioris Romæ, & Patriarchâ, ad quem & his similia scripsimus, neque enim sustinemus, quidquam eorum, quæ ad Ecclesiasticum Statum spectant, non referri etiam ad ejus beatitudinem, utpote, quæ caput est omnium piissimorum Dei sacerdotum, & quia, quotiescunque in hisce partibus hæretici repullularunt, sententiâ & recto judicio illius venerabilis sedis coerciti sunt.* adde *l. 8. §. 6. eod.* Denique videmus plures Imperatores fuisse excommunicatos, sic Henricus IV. excommunicatos à Gregorio VII. Henricus V. excommunicatus à Paschali II. Fridericus I. ab Alexandro III. &c.

4. In Veteri Testamento unus erat sacrorum & religionis præses, quem ipsimet Reges suspexerunt, sic Rex Joas Pontificem Jojadan reveritus ut parentem, sine concilio & præcepto illius agebat nihil. *4. Reg. 12.* Quin & Seleucus Asiæ Rex & gentilis, Oniam Pontificem ita coluit, ut in gratiam illius magnis muneribus templum Hierosolymitanum cumulaverit; *2. Mach. 3.* Nempe *in Deut. 17.* statutum erat, ut qui superbierit nolens obedire sacerdotis (summi videlicet) imperio, morte moriatur. Cur ergo Pontificem maximum in Novo Testamento non suspiciant Reges & Principes, cum ipsius Christi in terris vice fungatur? D. ab Andlern. *jurisprudent. publ. lib. 1. tit. 5. part. 1. num. 10.*

5. Vel errare possunt Principes terræ in causis fidei & spiritualibus vel non? si possint: certè judicè & judicio illius indigebunt, & quidem uno, hoc est Pontifice maximo, ne ex pluralitate judicum scindatur Ecclesiæ & fidei unitas, diversis diversas sententias proferentibus; si errare nequeant, affirmas aliquid incredibile, cum enim Principibus in tanto fastigio constitutis nec potestas desit, nec cupiditas pro arbitrio imperandi, & nemo sit qui potentiam aut cupiditatem Principum aut metu aut imperio moretur, illique, qui latus Principis stipant, ad captandam benevolentiæ auram, plenis buccis, omnia, quæ agunt Principes, comprobare nitantur, sanè credulitatem superat, errandi periculo Principes non subjacere, quippe quibus infallibilis Spiritûs S. assistentia nunquam & nusquam promissa legitur. *D. Francisc. Schmier. Tr. de jurisd. c. 2. sect. 2. §. 3. n. 106.*

Objicies. Cum Conrado Ein- 12
sidel *de regal. c. 1. à n. 35.* est contra politiæ principia, ut Principes, qui singulis imperare debent, vel uni sub-

subjiciamus. 2. Scriptura jubet *ad Rom. 13.* ut omnis anima (consequenter & summus Pontifex) sublimioribus potestatibus subjecta sit. 3. Christus *Matth. 27.* jussit pro se & Petro Cæsari Tributum (quod est signum subjectionis) solvi.

Resp. Conradum Einsidel ostendere se meliorem Politicum, quàm Christianum, si nempe Politia non ex scitis Evangelii, sed gentium placitis mensuretur, Evangelium enim docet Ecclesiam esse unam & unum ovile, caput esse unum, & unum pastorem, adeoque si Christiani Principes velint in Ecclesiâ & ovili manere, caput & pastorem unum D. Petrum & ejus in pontificatu successores, quoad ea, quæ salutem animæ spectant, venerari debent.

Ad 1. Quod omnis anima sublimioribus potestatibus debeat esse subjecta, vel accipitur in sensu accomodo vel absoluto? si secundum ipsi quoque Principes comprehendentur ac sublimiori potestati subjici debent; si in sensu accomodo: adeoque excipiuntur summi Principes, & quia textus generalis est, etiam excipietur summus Ecclesiæ Monarcha, quàm Reges sæculi. Cæterùm textus hic exponitur *in c. de Major. & obed.*

Ad 3. Resp. Aut adversarii se ipsos jugulant, aut, quod integrum textum non citent, inhumanos se ostendunt, nam Christus ibidem ex Petro scisitatus erat, quid tibi videtur Simon? Reges terræ à quibus accipiunt tributum vel censum? à filiis suis, an ab alienis? dixit illi Jesus, ergo liberi sunt filii, ut autem non scandalizemus eos, da eis pro me. mala ergo consequentia: Christus & Petrus à tributo erant liberi, ergo subjiciebantur Cæsari. Hæc autem bona est: Christus & Petrus non tenentur solvere, quia liberi sunt, ergo subjecti non sunt.

Objies 2. cum Vitriario *juris publ. lib. 1. tit. 4.* Imperatores Papas dejecerunt, novos constituerunt, sic Constantius Liberium, Justinianus Sylverium, Otto I. Joannem XII. Henricus III. Gregorium VI. proscripserunt, expulerunt, deposuerunt. Item Otto Joanni Leonem, Henricus Gregorio Clementem substituerunt, ergo Papa non est supra Imperatorem quoad jurisdictionem Ecclesiasticam, sed potius jurisdictio Ecclesiast ca summa est penes Imperatorem; deponere enim Pontifices, est actus summæ Jurisdictionis Ecclesiasticæ. 13

Resp. Sfondrati *in regal. sacerdot. lib. 2. §. 20.* Constantinum Imperatorem Arianum eo jure Liberium in exilium relegasse, quo Nero martyres est persecutus. Reponit 2. Sylverium ad instantiam Theodoræ Augustæ, quod Antimum hæresis Eutichianæ damnatum restituere nollet, in exilium actum, eâ causâ prætextâ, quod contra Imperatorem Justinianum cum Gothis colluderet, fictisque eam in rem litteris, quæ colorem adderent

rent calumniæ. Reponit 3. dubium esse, an Joannes XII. fuerit legitimus Papa, cùm eum metu & largitionibus intrusum potiùs toleraverit, quam elegerit Ecclesia, ideoque principio dubio non erui medium idoneum veritatis demonstrandæ. Interim Leonem Joanni surrogatum, non agnitum ab Ecclesia, sed post obitum Joannis à Clero vel Cardinalibus Benedictum V. fuisse renuntiatum.

Reponit 4. Gregorium VI. cum videret ex una parte armatum contra se Henricum Regem, eumque implacabilem, ex altera vero parte imminens Ecclesiæ schisma, sponte papatu abiisse, Clementem verò II. omnium Romanorum consensu Gregorio suffectum esse.

15 Objicies 3. Cum Maimburgo scriptore Gallico, à potifice potest appellari ad Regem velut ad Canonum protectorem, ad quem spectat providere, ne quid attentetur illis contrarium, imo & Bullas sententias Legesque Ecclesiasticas ad examen Judiciumque suum revocare, arbitrarique an aliquid Canonibus ac Galliæ libertatibus adversum complectantur, ergo summus Pontifex quoad jurisdictionem Ecclesiasticam non est superior Principibus Christianis.

Resp. Cardinalis Sfondrati *in Gallia vindic. dissert. 3. §. 2. n. 3.* demus injustas esse Pontificum sententias, num ideo, quia injustæ sunt, debent majori injustitia propulsari? quæ vero major injustitia, quam privatam injuriam publico Ecclesiæ dedecore ac damno vindicare, eamque non alieno tantum tribunali, sed etiam minori subjicere? si ergo Reges sua potestate abuti contingat, an ideo privatis civibus à regia sententia obtentu abusus ad Parlamentum appellare licebit? & si quis id audeat, non in illum, tanquam læsæ Majestatis reum vindicabunt? si ergo nullius abusus prætextu appellari à Rege ad Parlamentum licet, quanto minus licebit à Pontifice ad Regem? An demum Imperator possit constituere Pontificem & saltem hoc titulo sit superior, dicetur infra. *de Elect. S. Pontificis.*

Objicies 4. cum eod. Vitriario 14
in Prolegom. juris publ. saltem ante Calixtum II. summa jurisdictio Ecclesiastica fuit penes Imperatorem. Ergo summus Pontifex inique usurpat hanc jurisdictionem. Prob. antec. Calixto II. resignavit summam hanc jurisdictionem Henricus V. postquam enim Calixtus Imperatori severius & reiterato anathemate jurisdictione Ecclesiastica interdixisset, Germaniæ Proceres, (ut ait Vitriarius *loc. cit.*) instigasset, variisque turmis subministrasset materiam, Imperator ut erat superstitiosus, totus in eo versabatur, quomodo fulmen excommunicationis extingueret, celebransque hanc ob rem comitia Herbipoli anno 1127. de consilio ordinum ablegavit Romam Arnolphum Fuldensem Abbatem, & Brunonem

Spirensem Episcopum, ut de pace loquerentur cum papa, Pontifici grata res fuit; quo anno sequenti Lamperto Ostiensi Episcopo & Nuncio iter in Germaniam suscipiendum demandaverat, ut inita pace cum Imperatore eum à banno liberaret, & cæteros quos fulmen Vaticanum tetegisset; Ostiensis Wormatiam attingens, ubi Imperator & ordines erant congregati, ad eas transactionis partes adegit, ut absolutus ab anathematibus præstito jurejurando in perpetuum sedi Romanæ cederet jus investiendi, seu constituendi Episcopos, Prælatos, Abbates. verba tranctionis hæc sunt:

16 *In nomine sanctæ & individuæ Trinitatis. Ego Henricus D. G. Romanorum Imperator Augustus, pro amore DEI & sanctæ Romanæ Ecclesiæ & Domini Papæ Calixti & pro remedio animæ meæ, dimitto Deo & sanctis ejus Apostolis Petro & Paulo sanctæque Ecclesiæ omnem investituram per annulum & baculum, & concedo in omnibus Ecclesiis quæ vel in Regno, vel Imperio meo sunt, Canonicam fieri electionem & liberam consecrationem, possessiones & Regalia B. Petri, quæ à principio hujus discordiæ usque ad hodiernam diem sive tempore patris mei, sive etiam meo ablata sunt, quæ habeo, eidem S. Romanæ Ecclesiæ restituo, quæ autem non habeo, ut restituantur, fideliter juvabo. Possessiones etiam omnium aliarum Ecclesiarum & Principum & omnium aliorum tam Laicorum, quam Clericorum, quæ in Guerra ista amissæ sunt, Consilio Principum vel justitia, quæ habeo fideliter ut reddantur, curabo, & do veram pacem Calixto, S. Romanæ Ecclesiæ & omnibus qui in parte ipsius sunt, vel fuerunt, & in quibus S. Romana Ecclesia auxilium postulaverit, fideliter juvabo, & de quibus querimoniam fecerit, debitam sibi faciam justitiam. Ego Calixtus servus servorum Dei tibi dilecto filio Henrico D. G. Romanorum Imperatori Augusto concedo electiones Episcoporum & Abbatum, Teutonici Regni, qui ad Regnum pertinent, in præsentia tua fieri absque ulla violentia, ut si quæ inter partes discordia emerserit, Metropolitani & Provincialium consilio vel judicio saniori parti assensum & auxilium præbeas. Electus autem regalia per sceptrum à te recipiat, exceptis omnibus, quæ ad Romanam Ecclesiam pertinere noscuntur; & quæ ex his jure tibi debet, faciat. Ex aliis vero partibus Imperii, consecratus infra sex menses regalia per sceptrum à te recipiat. Do tibi veram pacem, & omnibus qui in parte tua sunt, vel fuerunt tempore hujus discordiæ. Data anno millesimo centesimo vicesimo secundo, Non. Calend. Octobris.*

Ita ex Conrado Urspergensi refert Vitriarius *loc. cit.* & pergit, hac ratione jura Imperatorum, quibus ultra 300. annos gavisi fuerunt (infelix Reipublicæ fatum) uno quasi momento elisit.

Resp. Quamvis Vitriarius acerbè referat historiam, attamen quoad ejus verba & circumstantias abstrahendo) veram esse hanc transactionem, quâ nimirum Henricus nominationes Episcoporum & aliorum

rum Prælatorum ceſſit ſedi Pontificiæ, & iis quibus alias de jure competunt, & omnia bona Eccleſiaſtica, quæ antea iniquè poſſidebat, reſtituerit, ſedique Romanæ omnem obedientiam promiſerit. Sed hinc nondum ſequitur penes Imperatorem fuiſſe ſummam poteſtatem eccleſiaſticam; Equidem aliud eſt penes Imperatorem eſſe jus nominandi, aliud demum eſt penes eundem eſſe ſummam jurisdictionem eccleſiaſticam; ex hoc jure nominandi vel inveſtiendi, malè & ineptè arguit Vitriarius ultra 300. annos penes Imperatorem ſtetiſſe ſummum Imperium & poteſtatem eccleſiaſticam, equidem Imperatores Romani habuerunt jus nominandi Prælatos eccleſiaſticos. *c. Hadrianus 22. & c. ſeq. diſt. 63.* Quod diverſimodè ab illis uſurpatum fuit, donec (ut dictum & objectum à Vitriario) electiones Epiſcoporum in pleniſſimam libertatem aſſertæ, & ab omni Imperatorio conſenſu exemptæ, ſalva tamen feudorum & regalium inveſtiturâ per ſceptrum faciendâ.

17 Porro advertendum eſt primis Eccleſiæ ſæculis, poſteaquam Apoſtoli terram cœlo commutaverant, electionibus Eccleſiæ Prælatorum clerus ac populus intererat, ut latè probat Cardinalis Sfondrati *in prælud. ad Regal. ſacerdot. §. 1. n. 13.* Van Eſpen. *J. E. U. part. 1. tit. 13.* & habetur ex multivariis conciliis & PP. vide *can. plebs, 11. c. Epiſcopus, 13. c. lectis, 18. c. metropolitano, 19. & paſſim diſt. 63.* tum quod populi non parum interſit habere paſtorem, quem ipſe elegerit; & ex *c. 29. de R. I. in 6.* quod omnes tangit, ab omnibus debeat approbari. Tum quia major affectus inter oves & paſtorem excitari non poteſt, niſi & ovium & paſtoris mutua voluntas in munus paſtorale concurrat, cum ea, quæ non ipſimet eligimus vel ordinamus, non facilè amemus, quo ſenſu hoc verum fuerit alibi dicetur. Poſt hæc ſummi Pontifices jus eligendi ex motivis urgentibus ad ſe trahere, ac Prælaturas plerasque liberæ ſuæ collationis reſervare cœperunt, ut colligitur *ex Clement. 5. de Electione & Elect. poteſt. Extravag. 3. & Extravag. 4. eod. inter commun. Extravag. 13. de præbend. inter commun.* & ſparſim in regulis cancellariæ. Poſtea in variis regnis varii tractatus cum ſummo Pontifice ſunt initi, ut anno 1516. inter Leonem X. & Franciſcum I. Galliæ Regem; adeoque, dum legitur Imperatori vel populo competiiſſe jus eligendi, nominandi, inſtituendi Prælatos, id eo ſenſu accipiendum eſt, quod tale jus conceſſum fuerit à Pontificibus ex ſpeciali privilegio, ut olim Imperatoribus Regibusque, antiquioribus vero temporibus populo, ſumma tamen jurisdictione remanente penes Pontificem, utpote largiente tale privilegium; hinc quamvis penes Imperatores fuerit ex privilegio Pontificis aliquod jus providendi Eccleſiis viduatis, malè

infert

infert Vitriarius penes eundem fuisse summam potestatem ecclesiasticam, quemadmodùm hodiedum in Gallia, Hispaniâ, Austriâ, Bohemiâ, Hungaria, tale privilegium reperimus, nominandi Episcopos & alios prælatos ecclesiasticos.

18 Quæres 6. *An summus Pontifex habeat aliqualem jurisdictionem temporalem & politicam saltem indirectam & extraordinariam in Principes Christianos ?*

Quæstio procedit tunc, quando exigit universale bonum Ecclesiæ, bonum animarum, periculum commune, ut si Princeps christianus incideret in gentilismum, & subditos suos ad eandem perversitatem amplectendam cogere vellet, aut intenderet Ecclesiam Romanam & fidem catholicam subvertere.

Respondeo in tali casu extraordinario saltem indirectè, quatenus Jurisdictio spiritualis est insufficiens ad avertendas tales manifestas Eccleleſiæ ruinas, etiam Pontifici ad melius coercendos delinquentes competere summam aliquam indirectam Jurisdictionem temporalem; in aliis tamen casibus in tacta principum jura esse relinquenda, tenendum est. Et hæc est sententia omnium ferè Jurisconsultorum antiquorum & recentiorum, quos referunt Cardinalis Sfondrati *regal. Sacerdot. lib. 1. §. 1. n. 2.* Augustin. Reding. *Cathedr. Apost. art. 1. §. 1.* Molina *de J. & J. tr. 2. disp. 29.* Zœsius *ad Jus Can. tit. de Constit. n. 10.* Ferdinandus Weizenegger *in dissert. jurid. de Imperat. & Imper. c. 4. n. 12. & seqq.* Glettle *in select. juris publ. c. 4. n. 20.*

Prob. 1. ex S. Scriptura, *in lib. 2. Paralip. c. 26.* legitur Otzias à summo Sacerdote regno fuisse exutus, eo quod ad sacrum ministerium manus profanas extendedo lepram sibi conscíverit, *eod. lib. c. 23. & 4. Reg. 11.* Refertur Jojada Pontifex Reginam Athaliam regno, quod occupaverat injustè, & idolorum cultu noviter infecto turpiter defœdaverat, spoliasse. *1 ad Corinth. c. 6.* ait Paulus, *nescitis, quoniam Angelos judicabimus, quantò magis secularia ?* & *Matth. 18. v. 15.* traditur à Christo modus correctionis fraternæ, ac Ecclesiæ seu potestati ecclesiasticæ jus tribuitur, de omni peccato judicandi *Luc. 22.* cum Apostoli dixissent: Ecce duo gladii hic. Respondit Salvator: Satis est, volens dicere, duplicem Ecclesiæ potestatem competere, quam apud *Math. c. 26. v. 52.* recondi voluit in vaginam? utpote non vindictæ sed necessitatis causâ accipiendum; spiritualem alterum, ut exponunt SS. Patres apud Cornelium *cit. l. Math. n. 5.* & Bonifacius VIII. *in Extravag. Unam sanctam. de Majorit. & obed. inter commun.* Sfondrati *cit. lib. 1. §. 2.* Reding. *cit. art. 1. disquis. 2 n. 50.*

Prob. 2. ex jure canonico, quod velut domesticum & in propria causa testimonium eo minus licet eludere,

eludere, quo magis illud sacræ scripturæ, conciliis, ac rationi est conforme. Textus sunt *in c. 34. de Elect. c. 13. de judic. c. 6. de vot. & vot. redempt. c. 13. qui filii sint legitimi. cit c. 2. de supplend. negl. Prælat. in 6. c. 2. de sent. & re jud. in 6. Extravag ur. Joan. XXII. ne sed. vac. Extravag. Unam sanctam. de M. & O. inter commun. Extravag. 2. de privileg. inter commun.*

Prob. 3. Ex conciliis universalibus, ex Lateranensi IV. *c. 4.* anno 1215. relato *in c. 2. de Suppl. negl. Prælat. in 6.* Constantiensi anno 1414. *Sess. 20. 28. 31. 37. 39. 42.* in quibus apertè continetur, Principes & Magnates sæculares, regno, principatu, feudis, jurisdictione &c. privari, si à fide catholica & Apostolica deficiant.

Prob. 4. Ex testimoniis SS. Patrum & quidem S. Bernard. *lib. 1. de Consid. c. 6.* alloquens Eugenium papam: *Quid hic denuo usurpare gladium tentas, quem semel jussus es ponere in vaginam? quem tamen, qui negat tuum, non satis mihi videtur attendere verbum Domini dicentis: Converte gladium tuum in vaginam. Tuus ergo & ipse, tuo forsitan nutu, etsi non tua manu evaginandus, alioqui, si nullo modo ad te pertineret, dicentibus Apostolis: Ecce gladii duo hic, non respondisset Dominus: Satis est, sed nimis est. Uterque ergo Ecclesiæ & spiritualis scilicet gladius & materialis, sed is quidem pro Ecclesia, ille vero ab Ecclesia excernendus est, is sacerdotis, is militis manu, sed sane ad nutum sacerdotis & jussum Imperatoris.*

Prob. 5. Ex ratione: partim quia officium pastoris, quod ex divina commissione gerit Pontifex, non tantum exigit potestatem pascendi oves, sed etiam abigendi hircos, lupos & prædones, si gregem Christi invadere tentent, nec aliis remediis averti queant; partim quia defensio religionis catholicæ, quæ principaliter est commissa Papæ, nequit fieri, nisi jus habeat, eos, qui Ecclesiam perversis moribus, ritibus & doctrinis infestant, etiam temporalibus pœnis prosequendi, partim quia regia potestas, cum sit à Deo data propter temporalia, hæcque sint ordinata ad spiritualia, subest tanquam medium potestati ecclesiasticæ ad finem spiritualem consequendum, adeoque si ea abutatur princeps, nec curet sed turbet spiritualia, pontificiæ censuræ subjacebit; partim quia si princeps aliquis in hæresim labatur, leges pestiferas ferat, populum ad maligna concilia stimulet, pertinet ad summum Pontificem, tanquam Zelotem & curatorem animarum principem hæreticum, nisi velit resipiscere, degradare, leges pestiferas reformare, populum ab obligatione fidelitatis absolvere, ne miserè perire sinat animas; Partim denique, quia in Pontifice est potestas spiritualis Ecclesiam regendi, defendendi, judicandi de rebus & causis temporalibus, quantum prosint vel obsint Ecclesiæ, ergo

etiam potestas defendendi Ecclesiam ac circa temporalia ita disponendi, ne vergant in Ecclesiæ detrimentum; est siquidem immotum apud Juristas principium, concessa alicui jurisdictione, ea omnia censeri concessa, sine quibus jurisdictio exeri aut exerceri nequit, *c. 5. de off. jud. deleg. l. 2. ff. de jurisdict.* dein jure civili verum est, quod si proprius judex non faciat justitiæ complementum personis miserabilibus, tunc non tantum Papæ sed etiam Episcopo competere judicare de causis orphanorum viduarum, pupillorum *c. 1. c. 4. c 7. Novell. 86.* adeoque Imperator agnovit potestatem supremam politicam indirectam in Pontifice & in Episcopis quasi Vicariis Papæ.

Dixi *saltem indirecte & extraordinaria* 1. quia aliqui cum Azor. *Instit. moral. part. 2. lib. 10. c. 6.* docuerunt: Summo Pontifici potestatem ordinariam in causis temporalibus competere: & quidem majorem, quam ipsimet Principes sæculares habeant, contra quos pugnat, quod ipsimet summi Pontifices seu sinceriſſimi Jurium suorum interpretes fateantur, circa res temporales quemlibet principem in suo principatu supremum esse, nec Pontifici sed principi dominatum constare. Ita Nicolaus I. *in Epist.* ad Michaelem Imperatorem relatus *in c. 8. dist. 10. c. 6. dist. 96.* Innocentius III. *in c. 6. de Major. & obed. c. 13. de judic. c. 13. qui filii sint legit.* Alexander III. *in c. 7. §. denique de appellat. c. 7. qui filii sint legit.* Clemens V. *in Extravag. 2. de Privileg. inter commun.* Stephanus IV. *in Epist.* ad Basilium Imperatorem, Gregor. II. *in Epist.* ad Leonem Isauricum Imperatorem, quam utramque ex Baronio refert Cardinal. Sfondrati. *regal. sacerdot. lib. 1. §. 1. n. 2.* Et ratio est, quia imprimis deficit authoritas, qua ejusmodi potestas legatur Pontifici delata, licet enim sit Christi Vicarius à Christo deputatus, qui utramque & temporalem & spiritualem jurisdictionem habuit, attamen est Vicarius solùm in spiritualibus. Vicariatu in temporalibus penes principes supremos existente. Juxta textus sacros *Matth. 22. v. 12. ad Rom. 13. v. 1. & 7. 1. Pet. 2. v. 13. Proverb. 8. v. 15.* Deinde hæc potestas neque necessaria est Pontifici, utpote cui non corpora sed animæ, non pascua sed oves, non pecuniæ sed claves regni cœlorum sunt concreditæ, neque etiam utilis est, cum nimia circa res temporales distractio non sinat animum spiritualibus intendere, juxta illud Apostoli *1. ad Thimoth. 2. v. 4. Nemo militans Deo implicat se negotiis sæcularibus.* Præterea damnosa potius existeret potestas, ratione cujus Pontifex causarum temporalium ordinarium judicem inter magnates ageret, cum enim communis omnium pater & mediator esse debeat, ac judicio duorum susceptо, hoc ipso, quod uni, etiam juste & jure faveret, alteri suspectum de studio partium se redderet, nihil aliud haberet ex-

expectandum, quam averſionem, indignationem & ipſam vindictam.

Porro altera ſententia, quæ nobis contraria & nequidem indirectam & extraordinariam poteſtatem concedit, eſt Pariſienſium, nullam plane poteſtatem, circa temporalia Pontifici concedentium, ſed omne jus cujuslibet regni aut provinciæ principi ac regi competere.

19 Objicies 1. Poteſtas regia cum à Deo ſit, à Pontifice nec dari nec adimi poteſt, ergo nec indirectam jurisdictionem in Principes ſæculares habet.

Reſp. ad antec. Poteſtatem regiam ita à Deo populis & ab his principibus eſſe conceſſam, ut continuam ſubordinationem habeant ad poteſtatem eccleſiaſticam, à quâ ſi deficiat, ac deviet à ſemita ſalutis, reduci ac reformari debet.

Objicies. 2. Poteſtas regia ſe non extendit ad ſpiritualia, ergo nec poteſtas ſpiritualis ad temporalia ſe extendit. C. antec. N. conſeq. Poteſtas ſpiritualis non eſt ſubordinata temporali, veluti temporalis eſt ſpirituali ſubordinata, non enim ſpiritualia propter temporalia, ſed hæc propter illa ſunt condita, ideoque mirum non eſt, quod poteſtas ſpiritualis eatenus temporalem poſſit conſtringere, quatenus hæc impedimento eſt, quo minus illa finem ſuum aſſequatur.

Objicies 3. à Chriſto (cujus Vicarius eſt Pontifex) circa temporalia non fuit exercita poteſtas in Auguſtum, Herodem aliosve reges & principes, Ergo multo minus poterit exerceri à Pontifice.

Reſp. Licet à Chriſto nunquam exercita fuiſſet jurisdictio circa temporalia (cujus tamen oppoſitum patet ex *Matth. c. 8. c. 21. Joan. 8.*) nihilominus exinde non concluditur, neque eam à Vicario Chriſti exerceri poſſe, quandoquidem divinæ providentiæ placuit Eccleſiam ſuam ſupernaturalibus mediis primitùs ædificare, jamque ædificatam viribus & cauſis naturalibus conſervare.

Objicies 4. Bonum Eccleſiæ non poſcit ut principes ceu advocati & defenſores Eccleſiæ offendantur, atque ad vindictam contra Eccleſiam excitentur, ergo nec indirecte competit Pontifici poteſtas temporalis in reges & principes.

Reſp. ad antec. Principes quidem offendi, ſi admoneantur, & multo magis ſi expertes reddantur ſui officii, attamen ſicut ſanitas excuſat vulnus, quod ægro indignanti ſecans infert medicus, ita & offenſam principum Eccleſiæ ſalute excuſari, ut quæ non minus, quam animæ in ægro Reipublicæ corpore ac hæreſi vel peccatorum illuvie corrupto ſana & incolumis reſpirare non poteſt.

Et licet ipſa Eccleſiæ ſalus nonnunquam diſcrimen ſubierit ex uſu jurisdictionis in cauſis temporalibus, hoc tamen non ipſi jurisdictioni, quantum eſt ex ſe, ſed eventui ſiniſtro adſcribendum eſt,

non aliter ac bellum, quod licite susceptum persæpe belligeranti nocuit, non ex naturâ suâ, sed ex accidenti. cæterum vide historiam Roberti Brusii Regis Scotiæ, contra hanc Pontificis potestatem.

20 Quæres 7. *An S. Pontifex transtulerit Romanum Imperium à Græcis in Germanos?*

Resp. Romanum Imperium & jurisdictio sæcularis quatenus de facto penes Imperatores Romano-Germanicos reperitur, quoad devolutionem à Græcis ad Germanos contigêre authoritate S. Pontificis. ita sentiunt Cardinalis Sfondrati *Regal. Sacerdot. l. 1. §. 5. n 9.* &, ut is refert, Bellarminus 35. historicorum testimoniis, duodecim Imperatorum, aliorumque principum & septem summorum Pontificum suffragiis probat authoritate Leonis III. in Carolum magnum Imperium Romanum ab oriente in occidentem anno Domini 800 fuisse translatum. Ipse Cardinalis *cit.* præter Paulum Diaconum, qui floruit tempore Caroli M. ac alios probatissimos Historicos, in testes adducit Joannem Cluverium & Danielem Pureum reformatæ religionis. Pariter consentit Aug. Reding. *Cathedr. Apostol. a. 1. disquisit. 4. n. 92. & seqq.* item *n. 147. & seqq.* Barbosa *c. 34. de Elect. n. 3.* Gonzalez. *in idem cap. n. 28.* Hermannus Hermes *fasciculi. Jurisp. cap. 3 n. 23.* Ludovic. Ludenspör. *de succeff. & mut. Imper. c. 8. n. 3.* Ferdinandus Weizenegger *in dissert. politico-jurid. de Imperat. & Imper. c. 4. per tot.* Munchmayr *in Jure Publ. Romano-Germanico c. 1. pag. 4.* P. Engel *n. 5. de sacra unct.* P. Pirrhing. *sect. 10. §. 1. n. 456.*

Qui AA. dicunt, quod temporibus Leonis III. & aliquot antecessorum, Imperatores Orienits, qui simul Imperium occidentale tenebant, potestate sua non usi vel certe abusi fuerint, in perniciem religionis, nam Ecclesia Romana continuis Longobardorum invasionibus infestabatur, Græci tamen Imperatores nec auxilium nec subsidium ferebant, tum quia ipsimet bello cum Saracenis, Bulgaris, Hunnis aliisque hostibus erant involuti, tum quia in hæresin iconomachiæ prolapsi sæviebant acerbius in Catholicos, quam Ethnici antehac in Christianos, ac Pontificem ipsum sub pœna mortis in hæresim suam pertrahere conabantur; ne ergo Ecclesia diutius advocato & defensore careret, Leo III. potuit utique & debuit Imperium à Græcis aufferre, ac nemini justius quam Carolo magno conferre, utpote quia una cum Patre Pipino fluctuanti Ecclesiæ auxiliarem tulit opem, ac Leonem ipsum, malignorum hominum insidiis vix Pontificatu jam expulsum defendit, & in Romana sede stabilivit.

2. Imperium Romano-occidentale ex omnium confessione non semper penes Germanos exstitit, sed tempore *Caroli magni* ad ipsos 21 demum pervenit, ergo vel jure belli

belli, vel singulari beneficio Dei, vel electione populi, vel dono Imperatorum orientalium, vel denique authoritate pontificia. Atqui non pervenit jure belli ad Carolum magnum, nam etsi Longobardos Italiâ dejecerit, indeque Rex Italiæ cæperit appellari, attamen Imperatoriam Majestatem eo ipso necdum acquisivit, cum & Gallia & Hispania & Anglia fuerint aliquando provinciæ Romanæ, esto illarum Reges Imperatorio titulo abstinuerint, sicut & plures Romanorum provinciæ ad Persas, Parthos, Carthaginenses, jure belli transiverunt, absque eo, quod illi populi imperium Romanum sibi arrogaverint, quod in Germania de facto videmus, à qua non una regio avulsa, salvâ nihilominus Imperii & Imperatoris præeminentiâ. 2. Tametsi Deus persæpe suo jussu & nomine regna transtulerit immediatè, veluti testes in scriptura sunt Moyses, Josue, Gedeon, Saul &c. Falsum tamen est, quod ita Imperium Romanum detulerit Carolo, utpote cum sacris tabulis nihil super hoc articulo insertum legatur. Falsum est 3. jure successionis ad Carolum deveniisse, utpote qui primus omnium Germaniæ Imperatorum non potuit à Patre Pipino, qui non erat Imperator hæreditario jure imperium nanciscì. Falsum est 4. prout etiam fatetur Pfeffinger in notis ad Vitriarium *lib. 1. tit. 4. num. 5. litt. A.* Electione populi coronam Imperii Carolo impositam esse; neque enim populo tum temporis jus erat, Imperatorem eligendi, potestate omni in principes per legem regiam translata jam antecedenter, neque acclamationes illæ, quas populus Romanus Carolo in die natali Domini 800. coronato fecerat: *Piissimo, perpetuo, Augusto, à Deo coronato, Magno ac pacifico Imperatori vita & victoria*, authoritativum populi suffragium in designatione Imperatoris, sed potiùs consensum approbationem, lætitiam de facto Pontificis demonstrabant. Falsum est 5. donatione Imperatorum Orientalium Carolo Imperium accessisse, erant quippe attestantibus Historicis lateque monstrante Pfeffingero *loc. cit.* gravissimè inviti orientales Principes, quod partem nobilissimam sui Imperii a se abripi viderent, nec ante annum duodecimum à translatione Imperii, quo Nicephorus sceptrum orientis tenuit, Carolum Augustum agnoscebant. nihil ergo superest, quam authoritas Apostolica, cui translationem adscribunt omnes, qui veritatis amicos & hostes Pontificios se non profitentur; vide *c. 36. de Elect.*

Objicies 1. cum Conrado Einsidel *de regal. c. 1. n. 45.* Daniele Otto *in jur. publ. c. 5.* ridendos esse Pontificios & eorum assentatores, qui narrant authoritate Pontificia ad Germanos Imperium transiisse. Sed

Resp. Negari non posse in translatione Romani Imperii Pontificis

authoritatem interveniſſe, veluti ipſemet Otto *cit. c. 5. p. 88. & ſeqq.* ex hiſtoricis teſtatum facit longiſſimum catalogum antiquiſſimorum Hiſtoricorum, translationem hanc ſummo Pontifici adſcribentium.

Objicies 2. cum eodem Ottone: Imperium nunquam fuit penes Pontificem, ergo nec potuit ab eo in Carolum magnum transferri.

Reſp. N. conſeq. neque enim opus eſt, ut Imperium ipſum penes Pontificem fuerit, ſed ſufficit, quod Jurisdictio Eccleſiaſtica poſſit ſe ad objecta temporalia ſic extendere, ut exigente bono Eccleſiæ poſſit regna de gente in gentem, de perſona in perſonam transferre, ſicut Magiſtratus politicus ex virtute jurisdictionis poteſt dominium ab uno invito ex cauſa publica in alium transferre, eſto dominium nunquam penes Magiſtratum exiterit.

22 Corollarium. Carolus magnus per translationem Imperii, acquiſivit 1. Titulum Imperatoris, & prærogativam honoris inter omnes Principes chriſtiani orbis, quin etiam jus in reliquias Romani Imperii. D. Franciſc. Schmier. *in tract. de jurisdiction. c. 3. Sect. 1. §. 4. n. 34.* & ab eo relatus D. Bonavent. Franz. in quæſt. *ex univerſ. jur. q. 13. n. 9.*

23 Quæres 9. *An ſummus Pontifex habeat jus eligendi Imperatorem?*

Nota. Electio Imperatoris ſive facultas eligendi Imperatorem excluſis cæteris Imperii ſtatibus pertinet ex A. B. privativè ad S. R. I. Electores, quonam vero ſæculo, quove anno tanta ſeptem virorum poteſtas & authoritas invaluerit, magna contentio & concertatio eſt inter hiſtoricos & Politicos; aliquibus ad tempora Caroli magni, aliis ad tempora & ætatem Gregorii V. ſummi Pontificis, & Ottonis III. Imperatoris; aliis ad annos Ottonis IV. nonnullis ad luſtra Friderici II. multis ad uſum & conſuetudinem provocantibus, ut notatatur apud Herman. Hermes. *c. 16.* Vitriarium *Inſtit. Juris publ. lib. 1. tit. 13. n. 3.*

Verius ſentit Emanuel Gonzalez 24
in not. ad cit. cap. Venerabilem. 34. de Elect. n. 5. docens: Electorum collegium & numerum authoritate Ottonis III. & Gregorii V. Pontificis inſtitutum eſſe; quia vero cæteri principes, qui ab electione ſe excluſos avertebant, ſuffragium ſuum in re tam momentoſa negligere detrectabant, ab initio non ſtatim ad executionem Pontificiam inſtitutionem perveniſſe, quousque ingentia mala, quæ ex plurium Electorum ad electionem concurſu ſequebantur, experti, ſucceſſivâ demum obſervantiâ ac longævâ conſuetudine eandem conſtitutionem receperunt, in quo ſenſu Innocentius III. *in c. venerabilem. 34. de Elect. & Elect. poteſt.* dixit: Jus eligendi Imperatorem ad Principes Electores de jure & antiqua conſuetudine pertinere; de jure ſcilicet, ſi origo ſpectetur, de conſuetudine,

tudine, si effectus & observantia consideretur.

In hanc sententiam inclinat Cardinalis Sfondrati *lib. 1. §. 6.* rationes affert, tum quia ex Sigeberto historico ad annum M. ll. constat Ottonem lll. inter alia cum Papa Gregorio V. de iis, quæ ad Imperii jura spectant, egisse; tum quia ab Ottone lll. jus designandi successorem non amplius usurpatum, sed Imperium à Principibus Germaniæ Henrico ll. illius immediato successori per liberam electionem collatum fuit; quod signum est, eo tempore mutationem aliquam circa Electores accidisse; alioquin Imperatores eo privilegio tam magno tamque utili successores nominandi, nunquam abstinuissent; tum quia Otto lll. liberis & spe liberorum carens, ne post ejus mortem ex causâ electionis discordiæ Germaniam agitarent, cum Pontifice sic convenit; tum denique, quia constans omnium scriptorum Germanorum & externorum Catholicorum & Protestantium est sententia, jus eligendi Cæsarem, ductu & auspiciis Romani Pontificis ad septem Germaniæ Archi-Principes esse translatum.

In idem propendere videtur D. Woller *in quæst. Select. Salisburg. quæst. 6. sect 1. n. 37. & seqq.* dum scribit, quod authores communiter tradant, Electores sumpsisse originem circa finem sæculi decimi, curante Ottone lll, Imperatore & Gregorio V. summo Pontifice, quod eo verisimilius dicit, quia Ottonum stirps in illo ipso Ottone deficiens, viam pandebat electioni, cujus momentosum negotium sine præscitu & authoritate summi Pontificis, qui tunc erat Gregorius V. tractare nefas credebatur, utpote cum non tantum universa tunc Germania sedi Apostolicæ devotissimam se exhibuerit; sed & ipse Gregorius Germanus & cognatus Ottonis lll. exstiterit. addit *in n. 39.* sub immediato Ottonis lll. successore Henrico ll. hæreditaria Archi officia Electorum jam efflоruisse. Subdit *in n. 42.* in comperto non esse, quamdiu reliqui Principes Proceres, Status Imperii & Germaniæ populus adhuc concurrerint ad electionem; dudum verò jam ante auream bullam privativè, quoad reliquos Imperii principes & status, ad solos septem Imperii Electores jus eligendi Imperatorem deveniisse, prout ipsa aurea Bulla in variis locis, præsertim *in c. 4.* luculenter ostendit, conceptis verbis ad jus & antiquas consuetudines se referens. Nunc ad quæstionem

Resp. Negative. Pirrhing *Sect. 10. §. 1. n. 455.* Engel *de sacra unct. n. 5. circa finem.* & prob. per *c. venerabilem. 34. de Elect.* ubi Pontifex ipse profitetur, *unde illis Principibus jus & potestatem eligendi Regem in Imperatorem postmodum promovendum, recognoscimus (ut debemus) ad quos de jure & antiqua consuetudine noscitur per-*

pertinere, præsertim cum ad eos jus & potestas hujusmodi ab Apostolica sede pervenerit. &c. Ex quibus liquet, quod Pontifex jus eligendi Romanorum Imperatorem privativè in Principes Imperii transtulerit, ejus enim Legatus, Episcopus Prænesti nus non fecit aliquem eligi, nec elegit in controversiâ inter Ottonem IV. Brunsuicensem & Philippum Suevum, ut notatur in *d. c. 34.* 2. Pontifex sibi reservavit jus examinandi & confirmandi Imperatorem *d. c. 34.* ergo privativè in Electores transtulit Jus eligendi Romanorum Regem postea promovendum in Imperatorem; cum inclusio unius sit exclusio alterius; sic etiam de facto Legatus potificius nequidem in urbe (quæ pro loco electionis est deputata) tempore electicnis commorari permittitur, multominus, quod ad tractatus & consultationes prævias admitatur, neque unquam prætendit votum & suffragium in electione; Exemplo sit illustrissimus D. Albani Nuncius & Legatus Apostolicus, missus Francofurtum ad nuperam electionem invictissimi Imperatoris Caroli VI. anno 1711.

25 Quæres 10. *An saltem ad summum Pontificem devolvatur Jus eligendi Romanorum Regem tunc, quando Electores Imperii scienter indignum eligunt?*

Resp. Si Principes Electores scienter, unanimi consensu seu concordia indignum seu incapacem eligant Imperatorem *v. gr.* publicè excommunicatum, paganum, hæreticum vel schismaticum, sacrilegum, fatuum, tyrannum, manifestum perjurum, vel infamem (juxta *cit. cap. venerabilem.*) tum etsi nonnulli putent, Electores ea vice privatos esse potestate eligendi, & hanc propter abusum ejusdem ad summum Pontificem devolvi, à quo & processit, & concessa est Principibus; ut docent Abbas *in cit. cap. venerabilem. n. 20.* Azor, relati à Pirrhing *loc. cit. §. 2. num. 467.* Contrarium tamen teste Pirrhing & Layman *ibidem* relato est probabilius, quia cum hæc pœna privationis & devolutionis jure canonico *in c. 7. §. fin. de Elect.* solum decreta sit in Clericos eligentes indignum ad dignitates ecclesiasticas, non debet ea pœna ad alios casus vel personas jure non expressas extendi, adeoque nec ad electionem Imperatoriam vel Electores Imperii, de quibus nihil in hoc casu jure expressum reperitur; itaque si omnes Electores indignum Imperatorem eligant, monendi sunt, ut alium eligant; quod si nolint, vel per negligentiam diu differant, tum demum summus Pontifex Imperio & Ecclesiæ providebit supremum Principem temporalem. *argum. cit. capit. 34. §. nunquid*, si vero non omnes, sed aliqui tantum ex Electoribus indignum eligant, in Imperatorem, tum potestas eligendi penes alios quamvis numero pauciores remanebit; adeoque horum electio valida erit. Pirrhing. *cit. loc.* & colligitur ex *cit. cap. 34. §. objectioni*

jectioni ubi inter plures causas, cur Ottonis IV. electio approbanda, Philippi Suevi autem reprobanda, affert Pontifex merita Electorum, quia Ottonis persona erat idonea, Philippi verò indigna ; ratio est, quia quando aliqui scienter & sponte eligunt indignum, perinde est, ac nolint eligere, quia paria sunt non exercere actum & exercere illegitimum seu invalidum.

Quæres 11. *An electus in Imperatorem debeat confirmari à summo Pontifice?*

26 Authores qui cum P. Pirrhing. *sect. 9. § 3. n. 468. de Elect. & Elect. potest.* Affirmant. Electum in Regem Romanorum vel Imperatorem debere à summo Pontifice confirmari seu approbari, præstito prius fidelitatis juramento Sedi Apostolicæ, nituntur *Clement. Roman. post princip. de jurejur.* ubi Clemens V. in concilio Viennensi ait : *Romani Principes orthodoxæ fidei possessores, sacrosanctam Romanam Ecclesiam, cujus caput est Christus redemptor noster, ac Romanum Pontificem, ejusdem Redemptoris Vicarium, fervore fidei & claræ denotionis promptutidine venerantes, eidem Romano Pontifici, à quo approbationem NB personæ ad Imperialis celsitudinis apicem assumendæ, nec non unctionem, consecrationem & Imperii coronam accipiunt, sua submittere capita non reputarunt indignum, seque illi & eidem Ecclesiæ, quæ à Græcis Imperium transtulit in Germanos, & à qua ad certos eorum Principes jus & potestas eligendi Regem in Imperatorem postmodum promovendum pervenit, adstringere vinculo juramenti, prout tam mos observationis antiquæ, temporibus novissimis renovatæ, quam forma juramenti hujusmodi sacris inserta Canonbus manifestavit.*

Ex quo inferunt, quod ante Clementem V. qui obiit anno 1314. adeoque ante annos 399. Jus confirmandi seu approbandi electionem Imperatoriam fuerit penes summum Pontificem. Idem inferunt *ex d. c. 34. de Elect.* & glossa *in c. 24. v. Imperatorem*; aperte dicit Imperatorem electum confirmari à summo Pontifice, & hoc de jure scripto ac veteri ajunt esse indubium.

Qui negant hanc confirmationem jure hodierno obtinere, pro se allegant constitutionem quandam Ludovici Bavari, Imperatoris de anno 1339. in comitiis Coloniensibus latam cum consensu (ut ajunt) Electorum & Principum Imperii, quam hic refero.

Licet jura utriusque testamenti manifeste declarent, Imperialem dignitatem & potestatem in filio Dei ab antiquo processisse & Deum per Imperatores & mundi Reges jura humano generi apertè tribuisse, & quod Imperator ex solâ electione eorum, ad quos pertinet, verus efficitur Imperator, nec alicujus alterius eget confirmatione seu approbatione; quoniam in terris quoad temporalia non habet superiorem, sed etiam gentes subsunt & Nationes: & ipse Dominus noster Jesus Christus mandavit Math. 22. quæ sunt Dei, Deo, & quæ sunt Cæsaris

Cæsari reddenda; quia tamen nonnulli avaritiæ & ambitionis cæcitate devicti, & nullius scripturæ intelligentiam habentes, sed divertentes à tramite recti sensus in quædam iniqua & prava commenta & in assertiones detestabiles prorumpunt contra potestatem Imperialem & jura Imperatorum, Electorum & aliorum Principum & Imperii fidelium, committentes & fallaciter adserentes, quod Imperialis dignitas & potestas est à Papa, & quod electus in Imperatorem non est verus Imperator, nec rex, nisi prius per Papam aut Sedem Apostolicam confirmetur, approbetur, & coronetur; & per hujusmodi pravas assertiones & pestifera dogmata, hostis antiquus movet lites, jurgia suscitat, contentiones parit, & seditiones procurat. Ideo ad tantum malum evitandum, & consilio & consensu Electorum & aliorum Principum Imperii declaramus, quod Imperialis dignitas & potestas est immediate à solo Deo, & quod de jure Imperii & consuetudine antiquitus approbata, postquam aliquis eligitur in Imperatorem seu Regem ab Electoribus Imperii concorditer, vel majori parte eorundem, statim ex sola electione est Rex verus & Imperator Romanorum censendus, & nominandus, & eidem ab omnibus Imperio subjectis obediendum, & administrandi jura Imperii & cætera faciendi quæ ad Imperatorem verum pertinent, plenariam habet potestatem, nec Papæ sive Sedis Apostolicæ aut alicujus alterius approbatione, confirmatione, authoritate indiget vel consensu; & ea propter hac in perpetuum valiturâ lege decernimus, ut electus in Imperatorem concorditer vel à majori parte Electorum, ex sola Electione censeatur & habeatur ab omnibus pro vero & legitimo Imperatore, & eidem ab omnibus subjectis Imperio debeat obediri, & administrationem & jurisdictionem Imperialem & Imperialis potestatis plenitudinem habeat, & ita habere ac obtinere ab omnibus censeatur & firmiter asseratur, quicunque autem contra hæc declarata, decreta & definita, aut aliquid eorum asserere seu dicere aut assentientibus seu dicentibus consentire, vel eorum mandatis vel litteris vel præceptis obedire præsumserit, eos omnibus feudis, quæ ab Imperio detinent, & omnibus gratiis, jurisdictionibus, privilegiis & immunitatibus à nobis vel prædecessoribus nostris, iis concessis ex nunc privamus & ipso jure & facto decernimus esse privatos; insuper eos crimen læsæ Majestatis decernimus incurrisse, & pœnis omnibus impositis crimen læsæ Majestatis committentibus subjacere. Datum in Colonienſi Civitate Alemaniæ, An. Domini MCCCXXXIX.

Verum Authores primæ sententiæ respondent hoc edictum Ludovici IV. sive Bavari fuisse latum ab eo, in contemptum sedis Apostolicæ, à qua excommunicatus, & nunquam pro legitimo Imperatore agnitus fuit; adeoque contemptum hunc non plus probare, quam resistentiam alterius ad independentiam aspirantis, & juri superioris se subtrahere volentis, quod verò Electores inviti tale edictum ac ipsum etiam Ludovicum pertulerint, nec edicto tali consensum præbuerint, exinde relucet, quod præfati

Electores

Electores se Pontificiæ authoritati postmodum omnino submiserint, postquam suæ libertati restituti erant, eligentes in oppido Rens in Regem Romanorum, Regem Bohemiæ Carolum IV. quo indicarunt, se non agnoscere legitimum Imperatorem, qui à Sede Apostolicâ non esset agnitus talis ac confirmatus; & consequenter *cit.* edicto Ludovici IV. contradixerunt.

Secundo pergit prima sententia, de consuetudine etiam ac jure novissimo desiderari approbationem pontificiam ad electionem imperatoriam, quod probant ex eo, quia etiam Carolus VI. modernus Imperator augustissimus ante coronationem & unctionem præstitit juramentum ac promisit, *quod Romano Pontifici debitam subjectionem exhibere velit.* Frustra autem subjectionem prætenderet summus Pontifex, nisi de negando confirmationem, posset ad hanc promittendam subjectionem compellere. 2. Imperator jurato promittit subjectionem, ergo est subjectus; si sit subjectus, ex eo necessariò fluit, quod superior jus personæ subjectæ quærendum confirmare aut irritare possit; sic omnium Imperatorum electiones constanter & confestim insinuantur, sedi potificiæ, ut hactenus factum est.

Alii respondent: Neque Jus electionem imperatoriam confirmandi, neque ullum jus supra Majestatem Imperatoriam prætendit Clemens XI. in litteris ad Imperatorem Josephum I. datis de dato 16. Junii 1708. quarum tenor hic est:

Clemens XI.

Hactenus lenitatis & patientiæ dedimus grande documentum, cum à te Cæsar sæpè lacessiti, ac tuis armis etiam vulnerati, non modo nos ultionis cupiditas non excitaret, sed culpam patienter dissimulavimus, ne graviter descenderemus ad pœnam, egimus semper erga te cæterosque Principes, veluti bonus pater erga suos filios, qui singulos cum amantissimè diligat, non patitur quemquam inter illos amoris sui principalem locum occupare, neque per te licuit, de benevolentia erga te nostra dubitare; obliviscì non potes, cum Imperii Regimen susceptisti (nihil addit de regimine approbato, confirmato, quæ sanè objiceret, si simile quid obtineret) *quando eam tibi cæterisque Imperii ordinibus luculenter satis ostendimus, dolebamus* (hic exponit, in quo exposuerit benevolentiam) *te primum regnis imperare, cum te inter Gallumque Regem vehementissimum bellum arderet, diu multumque studuimus tranquillitati tuæ, ac tale dissidium authoritate nostra componere, enixè conati sumus; verum sic alte vulnus erat impressum, ut indies recrudesceret magis, ac cujuscunque manum respueret; veruntamen etsi pacem habere non licuit, Studia patris nunquam omisimus, curavimus igitur semper paternam quandam indifferentiam, ut ad id magis idonei essemus, conjunctionem armorum, quæ nobis*

nobis offerebatur, ut exteris legionibus Italia liberaretur, constanter rejecimus; ne locus esset suspicioni, accepimus milites tuos ac detrimenta, quæ ab iis dominii nostri pars melior accepit, pene neglexi-mus, nec ad aures tuas jussimus querelas nostras deferri. Neapolitana expeditio à nobis initium habuit & incrementum, & quod nec vi nec armis consequi potuisses, utro concessimus, ut commodis tuis & profectibus tuis favere non magis, quam nostræ felicitati videremur, cum vero lenitas & tanta patientia non modo in Ecclesiam debitum obsequium non confirmaverit, sed illi ruinas & damna inferendi consilium dedisse, videatur, nos quoque omissâ lenitate & patientia severissimè munus nostrum explebimus, opinamur conscientiam tuam tibi ipsi denunciaturam fore, te irretitum teneri, cum Ecclesiastici dominii partem non ita exiguam hostiliter deprædatus es, pensiones ac beneficia, quæ ministris Ecclesiæ conferebantur, tibi adjudicaveris, executione violentâ; accedit etiam, sic enim ex literis tuis accepimus, quod causam Christi Domini nostri, ejusque in terris Vicarii tu ipse velis judicare. Desiste fili ad reverentiam Ecclesiæ (si esset approbatus & confirmatus à Pontifice Imperator, non reverentiam solum, sed plus juris ac subjectionis utique in tali casu prætenderet Pontifex) *animum revoca, obliviscemur nos injuriarum, ac te tanquam primogenitum filium diligemus, sed si perstabis in tanta intemperantia consilii, abjiciemus patris clementiam, & in te tanquam Rebellem filium* (non jure confirmationis & approbationis dependentem) *excommunicatione & armis etiam si opus fuerit animadvertemus, neque verò timebimus, quicquid etiam eveniet, Christi Domini, ejusque Ecclesiæ causam defendimus, Christus ipse vires dabit, ut vincamus, & si te non pudet Ecclesiam & Deum ipsum oppugnare & ab avita pietate austriaca & præcipuè patris tui Leopoldi sanctæ sedi addictissimi, declinare, idem ipse Deus, qui regna confert* (adeoque Pontifex confirmando non confert) *regna disperdet, 16. Junii 1708.*

Respondet prima sententia etiamsi ex his litteris non constaret jus approbandi ac confirmandi imperatorem competere Pontifici, ex juribus supra allegatis satis constare juxta quæ hæ litteræ essent explicandæ.

Respondet 2. quod nihil addat de regimine approbato & confirmato, inde fit, quia non erat ad rem; quod 2. exposuerit, in quo benevolentiam exhibuerit, non autem meminerit benevolentiæ per approbationem & confirmationem exhibitæ, rursus non inferri, deesse jus confirmandi, cum mentio unius beneficii compatibilis cum altero, non sit exclusio alterius. 3. Quod Pontifex hortetur Imperatorem ad reverentiam, per hoc neque excludit aliud jus, nec utique etiam imperatorem ipso titulo confirmationis debere reverentiam. 4. Quod Deus det regna, mediatè scilicet, verum esse, sed

quod

quod Pontifex det immediatè confirmando. &c Hujus tamen arduæ quæstionis veritatem potius decidendam suffragiis collegii electoralis relinquo.

Quæres 12. *An summus Pontifex habeat jus coronandi Imperatorem?*

27 Nota. 1. Coronationem neo-electi Imperatoris esse triplicem, scilicet Aquisgranensem, Lombardicam & Romanam *A. B. c. 22. c. 24. & 26.* sicut tres sunt coronæ, una quam Imperator olim accipiebat Aquisgrani, altera, quam accipiebat Mediolani vel Modetiæ, & tertia, quæ illi imponebatur Romæ à Pontifice, interim tamen corona Romana etiam alibi poterat imponi, sicut Carolo V. imponebatur Bononiæ, ter igitur olim coronabatur Imperator, de quo etiam est in Pontificali Romano titulus de triplici Imperatoris corona.

28 Resp. Pontifex habet jus coronandi Imperatorem, & ita quidem, ut neo-electus Imperator coronam Romanam suscipere teneatur.

Prob. 1. *per Clement. Romani in princip. de jurejur* ibi: *Per nostras sibi manus impendi unctionem & coronationem.* item ibid. *decernentes unctionem, consecrationem Imperiique Romani coronam sibi per manus nostras debere concedi.* Sic etiam Ferdinandus IV. in sua capitulatione *art. 37.* expresse promisit: Wir NB. sollen und wollen die Römische Königliche Cron / wie Uns als erwehlten Römischen König wohl ziemet / empfangen / weniger nicht Uns zu Empfahung der Käyserlichen Cron NB. befördern. vide capitulationem Caroli V. *art. 30.* Ferdinandi I. *art. 27.* Capitulationem Rudolphi II. *art. 31.* capitul. Mathiæ *art. 38.* capitulationem Ferdinandi III. *art. 39.* capitulationem Josephi *art. 36.* hinc concludit Kipping *Instit. Polit. lib. 1. c. 16. n. 27.* Coronationem papalem adhuc esse necessariam; imprimis cum fiat ad laudem Dei, & imperii salutem, ut Carolus V. *in Recess. Wormat. de anno 1521.* loquitur.

Objicies à tempore Caroli V. 29
nullus Imperator amplius fuit coronatus à summo Pontifice, sic Ferdinandus I. & II. Maximilianus II. Mathias, Leopoldus & modernus invictissimus Imperator Carolus VI. Francofurti, Rudolphus II. Ferdinandus III. Ratisbonæ, Ferdinandus IV. & Josephus Augustæ vindelicorum sunt coronati, ergo videtur coronatio à Pontifice facienda in desuetudinem abiisse.

Resp. N. Consequent. quia hæc coronatio hactenus omissa ob varias tum viæ, tum temporis circumstantias consentiente tamen Pontifice; coronatio equidem Romæ facienda plurimos sumptus & molestias adfert statibus & proceribus imperii, magnum comitatum Imperatori formantibus sub pœna amittendi feudi; qui comitatus vocabatur expeditio Romana, der Römer Zug / adeoque ex libera dispensatione Pontificis circa coronationem Romæ faciendam nequit

argui contraria consuetudo, aut præscriptio contra jus Pontificis, hæc equidem præscriptio & titulo & bona fide destituta esset.

30 Quæres 13. *An summus Princeps Ecclesiasticus habeat potestatem creandi reges?*

Quæstio hæc procedit de principe non subjecto Imperio Romano aut alteri regno, adeoque de principe non recognoscente superiorem, an is inquam possit a Pontifice creari rex? adeo ut à reliquis orbis Monarchis talis debeat agnosci & talis honorari?

Pro sententia affirmativa videri potest 1. quod Paulus IV. regnum Irlandicum teste historia condiderit. 2. Quod Pontifex Joannem regem Brittanniæ, qui ob occisum Arturum provinciis in Francia & Brittannia exuebatur, creato rege Brittanniæ Ludovico regis Galliæ filio (unde nata prætensio regis Galliæ in Angliam) iterum in regnum restituerit. teste Gastel *de Statib. public. Europæ pag. 149.* 3. Wilhelmus IV. Rugerii III. filius in utriusque Siciliæ regem creatus est ab Hadriano VI. ut refert Bodinus *lib. 1. de reb. publ. c. 9.* 4. Boleslaus titulum regium Poloniæ à Pontifice petiit teste Baronio *in annal. histor. tom. 1. ad annum 1000.* nihilominus ad quæstionem

Resp. Negativè. Ratio 1. illa potestas agnoscenda est in summo Pontifice, quæ conducit ad beatius regimen Ecclesiæ, scilicet vel ad promovendum bonum spirituale Ecclesiæ, vel peccata tollenda; ad neutrum verò deseruit potestas erigendi novum regnum. 2. In Pontifice est solummodo potestas summa sæcularis indirecta, quatenus illa exerceri potest, dum agitur de salutæ animæ. At verò erigere novum regnum non pertinet ad salutem animæ. Ergo. 3. hæc potestas nunquam fuit agnita in Pontifice, sic cum Pius V. duci Florentino characterem regis tribueret, Maximilianus II. imperator valde contradixit. vide Thuan. *lib. 46.* du May *Estat de l'empire dial. 2. part. 1. p. 63.* hinc

Resp. ad 1. Negando historiam, sed potiùs Henricus VIII. postquam defecit à fide, usurpavit titulum regis Hiberniæ, adeoque hunc titulum non recognovit à summo Pontifice. Ad 2. dico ibi non esse creatum novum regnum, sed regiam dignitatem vi potestatis sæcularis supremæ indirectæ ab uno esse ablatam, alterique collatam. Ad 3. Resp. ut ad primum. Ad 4. dico Boleslaum ab Ottone III. creatum regem, à papa verò agnitum; sicut indicat versus sepulchro Boleslai Posoniæ inscriptus elegantiâ polonicâ:

Ob famam bonam tibi contulit
Otto coronam.

Quod si urgeas & dicas ex Historicis constare, quod Pontifex regna transtulerit de gente in gentem. Ergo & potest regna condere & novos reges creare. Resp. N. conseq.

quia

quia transferre regna supponit gravissima delicta; è contra in erectione novi regni nihil intervenit, quod sit etiam indirectè obnoxium potestati Pontificiæ.

Quæres 14. *An Pontifex possit creare Duces, Principes, Marchiones, Nobiles*
31 *& Equites?*

Resp. Affirmativè. Ratio, quia hæc potestas est annexa Monarchiæ, atqui Pontifex in suo territorio est Monarcha. Ergo. Sic potestas hæc agnoscitur in Imperatore & omnibus regibus, Pontifex autem verè regiam potestatem habet, & Monarchicam in suo territorio, ergo. 2. Id desumitur ab exemplis quotidiè obviis, sic fere omnes Principes qui vel Romæ vel in territorio Pontificio inveniuntur, creaturæ sunr Pontificum. quod cæterum Pontifex creare possit & creaverit Equites, abunde constat; tales integros ordines à Pontificibus erectos probant

Equites S. Mariæ Bethlemiticæ fundati à Pio II. anno 1459. quibus in sedem concessit Pontifex Insulam Lemnos, pro insigni ordinis gerebant crucem rubram in campo candido, brevi tamen extincti.

Equites S. Georgii Romæ fundati à Paulo III. ipsisque in sedem concessa est Ravenna, insigne ordinis erat crux aurea circumcincta laureâ deauratâ, quæ gemmis & floribus erat ornata.

Ordo Equitum S. Petri, erectus à Leone X. anno 1520. cujus insignia erant ex una parte aurea bulla cum imagine S. Petri & regentis Pontificis insinibus, ex altera verò parte claves & corona pontificia.

Equites S. Pauli, fundati à Paulo III. anno 1540. insigne ordinis erat imago S. Pauli dependens ex catena aurea.

Equites Aurati, creati à Pio IV. anno 1566. de insignibus Ordinis AA. variant.

Equites S. Mariæ Lauretanæ, creati à Sixto V. insigne erat imago B. Virginis Lauretanæ.

Denique Pontifex confirmat omnes Ordines Religiosos Equestres, confirmare autem est dare completum esse & complete instituere.

§. V.

TITULUS SUMMI PONTIFICIS, ET QVO STYLO SCRIBAT RELIQVIS INFERIORIBUS.

SUMMARIA.

1. Quotuplici respectu summus Pontifex considerari possit? 2. Pontifex nondum coronatus quomodo scribat, ubi recensetur stylus Bullarum. 3. Quid sit Breve Apostolicum? ejusque forma refertur. 4. Bullæ Pontificiæ quid sint? 5. Quem

5. Quem titulum sibi attribuat summus Pontifex in suis rescriptis? 6. Quo titulo summus Pontifex salutetur ab aliis. 7. Pontifex dum rescribit Personæ singulari, eam nunquam appellat numero plurali. 8. Omnes in dignitate ecclesiastica constitutos usque ad Episcopos inclusive appellat venerabiles fratres. 9. Quomodo appellet Imperatorem, Reges, Principes Imperii?

Titulus Pontificis alius est, quem is sibimet impertitur, & is duplex; aliter enim se scribit electus tantum, aliter consecratus; alius demum, quo ab aliis vel ecclesiasticis vel sæcularibus salutatur. Unde

1 Nota 1. Summum Pontificem esse 1. Universalem & primum totius Ecclesiæ Episcopum *c. suspectos. caus. 3. quæst. 5.* ex *supra dd.* esse 2. Patriarcham Romanum. 3. Versus occidentem esse Primatem. 4. Urbis Romæ Archi-Episcopum. *c. statuimus. dist. 4. l. victor. C. de summa Trinit.* sic Archi Episcopus magnæ Romæ appellatur *c. in tantum. dist. 21.* ibi: *Sanctissimum & Beatissimum Archi-Episcopum magnæ Roma Leonem.* 5. Episcopum Romanæ Ecclesiæ. *c. si quis Episcopus. caus. 2. quæst. 6.* scilicet S. Joannis in Laterano. 6. Principem in territoriis Ecclesiæ.

2 Nota. 2. Pontifex electus & antequam sit coronatus ex stylo non intitulatur Pontifex, nec scribit pontificatum in datâ; sic etiam ante coronationem Papa non exprimit nomen suum in Bulla, sed dimidiâ Bullâ utitur, & se electum nominat, Gloss. *in proœm. in fin. Clement. licet de Elect. & in cap. significasti. n. 32. eod.* Fagnan. *in cap. eam te num. 12. de rescriptis.* Cui consuetudini adstipulatur *l. ult. in fin.* ibi: *ex quo Imperiales suscepimus Insulas. C. de quadrien. præscript.* unde dies coronationis dicitur ortus imperii *l. omnes C. de feriis*, nec dicitur Imperator nisi corona suscepta *l. antepenult. ff. de militari testam.*

Quare ante coronationem scribit Papa ante datam locum & diem, videlicet: datum suscepti à nobis Apostolatûs officii anno &c. sicut tunc etiam Episcopus non scribit se simpliciter Episcopum, sed sic scribit: talis, puta Gregorius, electus Episcopus. Rursus tunc temporis non bullat bullâ integrâ, sed si quas litteras concedit, ponit mediam Bullam, id est: illam partem, quæ habet capita sculpta, & ex alio latere, quo ponitur nomen, plena est Bulla sine nomine. Post coronationem vero scribit potificatum in data, non ut prius: datum suscepti à nobis Apostolatis officii anno: sed: datum pontificatus nostri anno, præterea vocat se simpliciter Episcopum, & dat bullam cum suo nomine, prout hæc notantur per Joan. Andr. in data sexti libri in gloss. *in verbo Pontificatus*, ubi etiam fit mentio erroris nonnullorum Jurisperitorum, qui deinde

de malè pronunciarunt in prioritate & posterioritate quorundam exspectantium, & hunc stylum esse observandum respondit Anton de Butr. *cons. 43. aggrediar in princ.* Præpos. *in c. in nomine Domini n. 19. dist. 23.*

3 Nota. 3. Pontifex vel rescribit partibus consulentibus super causa controversa, vel supplicantibus pro gratia aliqua, prius vocatur rescriptum justitiæ, alterum verò rescriptum gratiæ, quæ si sint paucis verbis & compendiosis concluſa, sive in quibus concessio paucis verbis summatim concluſa ac comprehensa, vocantur breve Apostolicum, sigillatum sub annulo piscatoris in cera rubra. Per Breve Apostolicum olim & à principio cum in usum deductum est, negotia justitiæ tantùm expediebantur, ideoque inter rescripta justitiæ à nonnullis numerari solent, quamvis nunc etiam plura, quæ ad gratiam pertinent, per breve expediantur. Tholosan. *de rescriptis lib. 1. c. 36.* Est igitur Breve Apostolicum brevis scriptura in modicis concessa negotiis, in papyro descripta, & cera rubra annuloque piscatorio subsignata, ac nomine secretarii subscripta: *Rebuff. in praxi regular. 34. verf. Breve Apostolicum.* Breve Apostolicum expeditum consignatur parti clausum, clausurâ tamen perfinctoriâ, & quæ à quolibet potest impunè violari.

4 Rescripta verò, quæ ampliori forma sunt concepta, & quibus est appensum plumbum, dicuntur Bullæ Pontificiæ. Hæ Bullæ vel respiciunt gratiam, & bullantur cum filo serico rubeo & croceo, vel respiciunt administrationem justitiæ, & bullantur filo cannabis, in quo plumbum pendet.

Nota. 4. Pontifex in nullo re-5 scripto aut litteris Apostolicis exprimit omnem seriem, & narrationem suæ dignitatis, prout faciunt plures alii Monarchæ, uti Imperator in titulo suo se vocat Regem Bohemiæ, Hungariæ, addendo reliquas ditiones, Rex Galliæ se vocat Regem Franciæ & Navarræ, amplissimam etiam titulorum nomenclaturam sibi tribuunt Rex Hispaniarum & Poloniæ. Verum summus Pontifex unicè exprimit suum nomen loco omnium titulorum *v. gr.* Clemens XI.

Nota. 5. Quando scribitur aut 6 supplicatur Pontifici, non appellatur titulo *v. gr.* Serenissimi aut Potentissimi, nec Reverendissimi, sed solummodo salutatur sub appellatione *Beatissimi Patris*; sic intus in libello supplici, aut litteris ad eum datis, ita ponitur:

Beatissimè Pater.

Exponitur humilliter sanctitati vestræ, &c. quod etiam in Germanismo obtinet, & dicitur Ihro Päbstliche Heiligkeit: porro tribuitur Pontifici titulus *sanctitatis*, ratione officii & vicariatûs Christi, quod munus est sanctissimum, adeoque non tam personæ quam officio tribuitur sanctitas,

7 Nota. 6. Summus Pontifex cujuscunque ſcribat, etiam Regi aut Imperatori, nunquam utitur numero plurali, ſi uni ſcribat, adeoque nunquam ſcribit *Vos* vel *Veſter c. 6. de crim. falſi.* 2. Patriarchas, Archi-Epiſcopos, Epiſcopos ſalu-
8 tat: *Venerabiles Fratres.* 3. Imperatorem, Reges cæterosque Principes appellat filios *v. gr.* in litteris.

Dilecte fili ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.

9 Dixi, quod Imperatorem, Reges & Principes appellet *dilectos filios*, ſcilicet in principio litterarum, in contextu demum pro diverſitate perſonarum tribuit titulum Majeſtatis, in ſpecie qualiter ſcribat Imperatori colligitur ex litteris ſupra *citatis.* ad Imperatorem Joſephum p. m. datis de dato 2. Junii. 1708. quarum inſcriptio erat.

Chariſſimo in Chriſto filio noſtro Joſepho, Hungariæ & Bohemiæ Regi, in Romanorum Imperatorem electo.

In contextu verò & quidem ſtatim *in principio* ponit: *Majeſtatis tuæ*, idemque repetit ſæpius in iisdem litteris.

Porro cæteros Imperii principes ſæculares ſummus Pontifex decorat titulo *nobilis Viri*, ut patet ex reſcripto quodam Gregorii XV. ibi: *Dilectus filius, nobilis vir Albericus, Cibo Malaſpinæ, ſacri Romani Imperii, & Maſſæ Lunen. Sarzan. Dioeceſis Princeps.* titulum hunc notat & de eo atteſtatus Hieronym. Paul *in praxi Cancellariæ §. Inſtitutiones pro ſæcularibus.* Theodor. Amyden. *tract. de offic. & poteſt. datar. cap. 5. §. 2. num. 6.*

§. VI.

DE TERRITORIO PONTIFICIO.

SUMMARIA.

1. Territorium Romanum quodnam dicatur. 2. Quid ſit patrimonium Petri? 3. a numero tertio recenſentur cæteræ ditiones Pontificiæ. 4. Avenionenſis Comitatus quomodo pervenerit ad ſedem pontificiam?

Quoniam dignitas principis ut plurimum etiam deſumitur à territorio ejusdem, dignitatem & Majeſtatem politicam ſummi Principis eccleſiaſtici ultimo libet delineare, ex ejusdem territoriis,

Sunt autem terræ Pontificiæ.

1. Campagnia di Roma, Ducatus, cujus Metropolis Roma.
2. Patrimonium S. Petri, in quo Viterbium.
3. Ducatus di Caſtro.

4. Ter-

4. Territorium Orvieto, ſive Urbevetanum, in quo Orvieto Epiſcopatus.
5. Territorium Peruſinum, in quo Peruſa.
6. Ducatus Umbriæ, in quo Spoleto.
7. Territorium Sabinenſe, in quo Narnia.
8. Marchia Anconitana, in qua Ancona.
9. Ducatus Urbinus, in quo Urbino Epiſcopatus.
10. Romania, in qua Ravenna.
11. Ducatus Ferrarienſis, in quo Ferrara.
12. Territorium Bononienſe, in quo Bononia Epiſcopatus.

1 Porro ad *Territorium Romanum* pertinet Tivoli ſive civitas Tiburcenſis Epiſcopatus. 2. Fraſcati ſive Tuſculum, aut Fraſcata. 3. Oſtie ſive Oſtia ſic dicta, quia ad oſtia Tyberina, Cardinalis Decanus ibidem eſt Epiſcopus. 4. Paleſtrine ſive civitas Paleſtrina, fert titulum Ducatus & Epiſcopatûs. 5. Terracine ſive Terracina ſub titulo Epiſcopatûs. 6. Civitas Veletri ſive Velitræ ſub titulo Epicopatûs, ſed uniti cum Epiſcopatu Oſtienſi. 7. Segni ſive Segnia, ſub titulo Ducatus & Epiſcopatus. 8. Anagnia Epiſcopatus. 8. Civitas Albano ſive Albanum, Epiſcopatus.

2 II. *Patrimonium Petri*, ſive provincia patrimonii continet 1. Viterbio ſive Viterbium, ſub titulo immediati Epiſcopatus. 2. Civitavechia ſive centum cellæ, eſt portus maritimus, olim Epiſcopatus, nunc fortalitium benè munitum, & inſtructum milite præſidiario, præſertim à tempore Innocentii XI. 3. Monte fiaſcone, ſive mons faliſcorum ad lacum Bothſenam, urbs quæ ædificiis deficiens, generoſiſſimo tamen vino celeberrima. 4. Orta ſive Hortanum ſub titulo Epiſcopatus, locus ad Tyberim ſitus. 5. Urbs Nepi ſive Nepita. 6. Bracciano ſive Braccianum ſub titulo Ducatûs pertinet ad familiam Urſinorum.

III. *Ducatus caſtro*, ſive Caſtrenſis 3
Ducatus, in quo Caſtrum, urbs immediate pertinens ad Pontificem.

IV. *Orvieto*, ſive urbevetanus ager, cujus Metropolis Orvieto Epiſcopatus. 2. Huc pertinet Aqua pendente Epiſcopatus. 3. Bagnaria.

V. *Ager Peruſinus*, quo pertinet Peruſia Metropolis & Epiſcopatus, quæ civitas bene munita vallis. 2. Frata. 3. Piena.

VI. *Umbria*, quo pertinent Spoleto ſive Spoletium ad fluvium Moragia ſub titulo Epiſcopatus & Ducatus. 2. Rieti, latine Reate eſt Epiſcopatus immediatè ad Papam pertinens. 3. Fuligno Epiſcopatus. 4. Toti Epiſcopatus. 5. Nocera Epiſcopatus. 6. Terni Epiſcopatus. 7. Aſſiſii ſive Aſſiſium Epiſcopatus. 8. Amalia Epiſcopatus.

VII. *Sabina ſive terra Sabina*, quò pertinent, 1. Magliano ſive Maglianum Epiſcopatus, qui ſemper conceditur uni ex ſenioribus ſex Cardinali-

dinalibus. 2. Narni sive Narnia sub titulo Episcopatus. 3. Ottricoli, Episcopatus. 4. Vasecovio, Episcopatus.

VIII. *Marchiæ Anconitanæ*, quo pertinet 1. Ancone sive Ancona, Metropolis Episcopatus ac portus maritimus, de quo Adagium, *unus portus Anconæ, unus Petrus Romæ, una turris Cremonæ*, hæc tria nimirum esse celebriora in Italia, der See-Hafen zu Ancon, S. Peter zu Rom/ der Thurn zu Cremon; 2. Fermo sive Fermum, sub titulo Archi-Episcopatus. 3. Loreto sive Loretum sub titulo Episcopatus. 4. Recanati, Episcopatus. 5. Ascoli sive Ascolum, urbs magna & munita, sub titulo Episcopatus. 6. Macerata. 7. Osimo. 8. Jesi sive Asium urbs Episcopalis. 9. S. Severino, Episcopatus, alias Sirolo, quo omnes homines penè veniunt, qui Loretum accedunt, unde natum adagium: *Chi vo à Loreto è non Sirolo, vede la madre, ma non vede il figlivolo.* 10. Tolentino, Episcopatus. 11. Acoli. Episcopatus. 12. M Alto, Episcopatus. 13. Camerino Episcopatus. 14. Ripatransone Episcopatus.

IV. *Ducatus Urbinas* sive Urbinus, qui olim pertinebat ad familiam & domum Rovero, qua extincta sub Urbano VIII. ad sedem Apostolicam pervenit. Huc pertinet Urbino sive Urbinum ad fluvium Foglia, sub titulo Episcopatus. 2. Pesaro sive Bisaurum, ad mare situm & instructum Castello, Episcopatus. 3. Fossombrone Episcopatus. 4. S Leon Episcopatus. 5. Cagli, Episcopatus. 6. Senigaglia, Episcopalis urbs & portu maritimô instructa, ubi quot annis mense Augusto celeberrimæ nundinæ habentur. 7. Citta di Castello, Episcopatus. 8. S. Angelo, Episcopatus. 9. Rimin Episcopatus.

X. *Romania* sive *Romandiola*, ad hanc Provinciam pertinet Ravenna Metropolis & Archi-Episcopatus ac portus Maritimus. 2. Faenza, Episcopatus. 3. Sarsina Episcopatus. 4. Rimini urbs mari adsita & Episcopalis. 5. Cesina, Episcopatus. 6. Imola Episcopatus. 7. Forti Episcopatus. 8. Bologneso, Episcopatus. 9. Berfricoro, Episcopatus.

XI. *Ferræa* sive Ferrariensis Ducatus, quem intersecat, & percurrit Padus fluvius sive: der Pô. huc pertinet 1. Ferrara sive Ferraria, sita ad partem fluvii, urbs munita vallis & Castello. 2. Cento. 3. Buendeno. 4. quondam Comachio. 5. Longosiure. 6. Francolino. qui Ducatus non ita pridem lites moverat, causæ verò justitiam aliis relinquo decidendam.

XII. *Ager Bononiensis*, terra summè fertilis, quo spectant 1. Bologne sive Bononia, celebris ab Episcopatu, Universitate, fertilitate & ædificiis. 2. Bentivoglio sive Bentivoglium, urbs parva quidem, sed Episcopatu instructa. 3. Pietro, Episcopatus. 4. Vergate, Episcopatus.

patus. Cæterum ex regno Neapolitano ad Pontificem etiam spectat Benevento, ex medio fermè Neapolitani regni gremio. Nihilominus utraque Sicilia à sede Pontificia dependet jure feudi, estque feudum Pontificium.

4 His terris Italicis accedit in Galliâ Comitatus Avenionensis, *Avignon*, cujus caput eodem nomine appellatur Avignon, urbs magna & pulchra in Provincia sive Provence, ad Rhodanum, quam urbem intersecat fluvius Sorgue. In hac urbe anno 1303. Universitas & Archi - Episcopatus fundatus. Hanc urbem anno 1348. à Joanna Caroli II. Comitis in Provence filia, titulo emptionis acquisivit summus Pontifex Romanus.

DISSERTATIO II.
DE
POTESTATE SUMMI PRINCIPIS ECCLESIASTICI.

PRæterea dignitas summi Principis Ecclesiastici vel maxime relucet ex ejusdem potestate, à qua non minimum mutuat splendorem, & à qua metimur fulgorem Majestatis. Frustra equidem Majestatem ambiret, à quo omnis potestas procul exularet; quapropter qui ad Pontificis Majestatem non cupit caligare, earnque non fictitiam intueri, ejusdem Imperii radios universum orbem perstringentes oportet investigare. Hinc fit

§. I.
DE POTESTATE LEGISLATIVA SUMMI PONTIFICIS.

SUMMARIA.

1. Summus Pontifex habet potestatem legislativam immediatè à DEO. 2. Potestatem hanc potest exercere summus Pontifex electus, licet nondum sit coronatus. 3. Potest legem universalem condere, etiam non requisito consensu

consensu Cardinalium. 4. *Potest legem universalem præscribere toti Ecclesiæ, etiam extra Concilium.* 5. *Lex Pontificia & universalis obligat omnes omnino Christianos.* 6. *Num etiam Protestantes & reliquos Acatholicos?* 7. *Quid operetur pax religiosa?* 8. *An lege Ecclesiastica obligentur non Christiani sive infideles.* 9. *An summus Pontifex obligetur propriis legibus, & vis legis quotuplex sit?* 10. *à quo tempore leges Pontificiæ incipiant obligare?* 11. *Ubi leges universales Pontificiæ debeant promulgari?* 12. *Solvuntur objectiones.* 13. *An ad hoc ut leges Pontificiæ obligent, requiratur acceptatio populi Christiani?* 14. *Solvuntur objectiones.* 15. *An & quatenus Græci obligentur legibus universalibus Pontificiis?* 16. *An lex Pontificia obliget in conscientia?*

Quæres 1. *An summus Princeps Ecclesiasticus potestatem legislativam habeat immediatè à DEO concessam?*

Resp. Affirmativè Suarez *de LL. lib. 4. c. 3. n. 10.* Reding *de LL. quæst. 16. a 1. Controv. 1. n. 10.* Gibalinus *l. 5. c. 3. q. 3. §. 3. & 13.* D. Francisc. Schmier *Tract. de jure leg. c. 5. sect. 2. §. 1.* est conclusio catholica.

Prob. 1. ex illa *Joann. 21. pasce oves meas. Math. 16. quodcumque ligaveris* &c. secundo ex *c. 3. dist. 21.* tertio *c. 1. c. 2. dist. 19. c. 16. c. 18. caus. 24. quæst. 1.* quarto ex ratione, quia ex dictis summus Pontifex est caput Ecclesiæ & Vicarius Christi *c. 13. de Judic.* certè non ab homine sed à DEO constitutus; si igitur Deus, etiam à Deo constitutus Pontifex habet sibi concessam potestatem legislativam. Quod si

Dicas ex allatis textibus & ratione tantummodo probari, quod summus Pontifex regendi, non etiam Leges ferendi potestatem à DEO sit adeptus.

Resp. Quod potestas pascendi & ligandi amplior sit, quam ut constringatur ad solum regendi munus, ipsum legis vinculum videtur esse illa ligatura, quam summus Pontifex in terra pro suo facit arbitrio; ex quo enim superior, Rector & caput est fidelium, est quoque legislator. *per c. 3. de Constit.* ibi: *translato sacerdotio necesse est, ut legis translatio fiat.* Quia omnis communitas perfecta requirit potestatem superiorem, non qualemcunque sed legislativam, quapropter *in c. 7. dist. 19.* Agatho Papa ait, *sic omnes Apostolicæ sedis sanctiones accipiendæ sunt, tanquam ipsius divini Petri voce firmatæ sint,* & Stephanus Papa *c. 4. ead. dist.* ait: *Quia in speculum & exemplum S. Romana Ecclesia, cui nos Dominus præesse voluit, proposita est, ab omnibus, quicquid statuit, quidquid ordinat, perpetuò & irrefragabiliter observandum est.* Innocentius III. *in c. 3. de Translat. Episcop.* inquit: *Non humana sed divinâ potius authoritate dissolvi, quæ Romanus Pontifex (qui non puri hominis, sed Dei vicem gerit in terris) Ecclesiarum necessitate vel utilitate pensata, dissolvit,*

dissolvit, adde *c. 6. caus. 25. quæst. 1. c. ult. de Constit.*

2 Quæst. 2. *An Romanus Pontifex legitimè electus absque ulla confirmatione, consecratione, coronatione, potestatem legislativam exercere possit?*

Resp. Affirmative & prob. *ex c. 1. dist. 23.* ubi Nicolaus II. in Concilio Lateranensi ita decernit: *Electus tamen, sicut verus Papa obtineat authoritatem regendi Romanam Ecclesiam, & disponendi omnes Facultates illius, quod Beatum Gregorium ante suam consecrationem, fecisse, cognovimus.* Idem statuitur *in Extravag. ult. de sentent. Excomm. inter commun.*

Ratio est, quia summus Pontifex, cum superiorem in terris non revereatur, confirmatione opus non habet, sed quamprimum canonice & legitimè electus est, divinâ authoritate tanquam verus Christi Vicarius & divi Petri successor potestatem Ecclesiasticam nanciscitur; Cardinales siquidem, non ut Canonici Episcopo, jus aliquod summo Pontifici per Electionem tribuunt, sed nudam personam designant, in quam immediatè Deus supremam Ecclesiæ potestatem transfert *c. 6. de Elect.* & ibi: Gonzalez. *n. 15. c. 13. qui filii sint legitimi.* Neque consecratio quidquam de jurisdictione confert sed ordinis duntaxat potestatem indulget; minus coronatio aliquid præstat, cum magis ceremonialis sit quam substantialis.

Quæres 3. *An Romanus Pontifex* 3 *legem universalem independenter à Cardinalibus ferre possit?*

Resp. Affirmative, ita Abbas in *c. 2. de Clericis non residen.* Felinus *in Rubr. c. de Constit. n. 2.* Suarez. *d. 1. num. 14.* Reding. *loc. cit. n. 11.*

Ratio est, quia Romanus Pontifex eandem obtinet potestatem quam obtinuit S. Petrus, *Extravag. 1. de Major. & obed. inter commun.* sed D. Petrus habuit potestatem condendi Leges independenter à consilio Cardinalium, illius enim ætate necdum erat erecta Cardinalium dignitas, & Apostoli licet in Ministerium & adjutorium Petri fuerint assumpti, non tamen in plenitudinem & consortium summæ potestatis. ergo, vide *c. 16. & seqq. caus. 9. quæst. 3.*

Objicies. In constitutionibus Pontificiis sæpius occurrit hæc clausula: *de fratrum nostrorum consilio*; Ergo Pontifex sine Cardinalium consilio nequit legem universalem condere.

Resp. Explic. antec. ita ut illa clausula importet necessitatem adhibendi Cardinales ad constitutionis valorem N. ad majorem deliberationem & rei constitutæ ponderationem denotandam C.

Quæres 4. *An summus Pontifex extra* 4 *Concilium generale possit leges universales pro totâ Ecclesiâ præscribere?*

Resp. Affirmativè, AA. non solum illi, qui extra Galliam docent Pontificem esse supra concilium, sed etiam iidem, prout latè ostendit

dit Gibalinus *lib. 5. c. 3. quæst. 3. §. 7. §. 13. & 14.*

Prob. Conclusionem hanc tum ex *dd. Dissert. 1.* tum ex *quæst. 1.* cum enim Pontifex maximus jurisdictionem suam immediate nactus sit à Deo, neque in exercitio illius pendeat à concilio, utpote quod ab ipsomet approbari & congregari debet, *c. 4. de Elect.* nec continuo, & quoties poscit Ecclesiæ utilitas convenire possit, poterit indubiè Pontifex leges sine Concilio præscribere. Denique in Monarchia sive Regimine Monarchico hæc potestas legislativativa est penes unum principem, atqui Statum & Regimen Ecclesiasticum esse Monarchicum, dictum est. Ergo

Objicies. 1. *Matth. 18.* Christus omnibus Apostolis dixit, *quæcunque alligaveritis super terram. Joan, 20. sicut me misit vivens Pater, & ego mitto vos.* Ergo potestas ferendi leges universales, est data toti Ecclesiæ, non autem soli Capiti Ecclesiæ.

Resp. N. Conseq. quia ibi potestas ligandi atque solvendi Apostolis, eorumque in officio successoribus limitatè tantùm pro suis determinatis Ecclesiis concessa fuit, claves verò totius regni cœlorum nulli quam Petro ejusque successoribus sunt commissæ, sicut aliud est claves ærarii habere, & pecuniam ex ærario, quia illud plenitudinem, hoc portionem tantum potestatis ostendit; ita aliud est, clavem habere Regni cœlorum, aliud potestatem ligandi & solvendi, hoc enim partem, illud totum significat.

Quæres 5. *An lex Pontificia & universalis obliget omnes Christianos cujuscunque sexûs, conditionis & dignitatis sint?* 5

Resp. Affirmativè & prob. *c. 1. de Constit. c. 4. de Majoritate & obedientia. Extravag. 1. eod. inter communes c. 13. de judic.*

Ratio est, quia dum Apostolo Petro totius Ecclesiæ cura est concessa, ac omnium ovium salus concredita, non potest ab Imperio legum Ecclesiæ universalium se subtrahere, nisi qui extra aut supra Ecclesiam semet constitutum inani cogitatu finxerit, ergo sine differentia sexûs & conditionis supremi & infimi, mares & fœminæ, summo Pontifici legem universalem promulganti obedire tenentur.

Quæres. 6. *An Protestantes & reliqui Acatholi ab observantia legum Ecclesiasticarum sint immunes?* 6

Nota. Protestantium nomine veniunt & nuncupantur tum illi qui sunt Augustanæ Confessioni addicti, qui se alio nomine vocant Evangelicos, tam etiam Reformati sive Calvinistæ. Quo præmisso:

Resp. Hos in foro externo & contentioso non adstringi legibus Pontificiis, sed transgressoribus concessam esse impunitatem & permissam immunitatem, quoad omnia ea quæ ex illorum articulis fidei dependent. Quam immunitatem 7 obtinuerunt per pacem religiosam,

quæ

quæ inita fuit primò Paſſavii anno 1552. ac poſtmodum in Comitiis Auguſtanis anno 1555. & denique in inſtrumento pacis Weſtphalicæ *art. 5. & 7.* aucta. Quæ immunitas eousque extenditur, ut injuriarum conveniri poſſit, qui aliquem Confeſſioni Auguſtanæ addictum vocaret hæreticum. Quoad forum autem internum negativam de jure non improbabiliter tenent D. König. *ad tit. de Conſtit. n. 12.* P. Engel. *ibid. n. 16.* Wieſtner. *n. 98.* & aliis tum *ex can. 5. diſt. 45.* tùm etiam ex hac potiſſimum ratione: quod quicunque ſacro baptismatis fonte expiantur, januam Eccleſiæ ingrediantur, ac Chriſto omnium Salvatori, ac conſequenter etiam ejus in terris Vicario ſubjiciantur. Atqui Proteſtantes per baptiſmatis lavacrum in Eccleſiam ingreſſi ſunt. Ergo Chriſto omnium Salvatori ac ejus in terris Vicario ſubjiciuntur, proinde immunitatem ab ejus legibus pro foro interno & animæ nequeunt prætendere.

Accedit, quod videamus paſſim ab illis & quidem ſub peccato obſervari conſtitutiones prohibitorias matrimonium in gradibus prohibitis, præſcriptionem cum malâ fide &c. quas tamen conſtitutiones à ſummis Pontificibus latas, & leges Eccleſiaſticas nemo inficias ibit. Quâ de re audiatur Lauterbachius Auguſtanæ Confeſſioni addictus, quondam Cameræ Imperialis Aſſeſſor & JCtus celeberrimus *in proœmio ff. §. 9. n. 16.* ubi ait: *In cauſis Eccleſiaſticis & quæ conſcientiam concernunt, Jus Canonicum Civili regulariter præfertur, niſi contrarium uſu receptum.* item *n. 17. In cauſis quæ Jure Imperii non omninò, vel non perſpicuè ſatis, definitæ ſunt, expreſſe Juris Canonici deciſiones, cum ſupra memoratâ ſemper reſtrictione obſervantur. c. 1. de N. O. N.* Ex quo ſic liceret inferre:

Ex ipſiſſima Dominorum Proteſtantium doctrinâ Jus Canonicum (quod nihil eſt aliud, quam Jus Eccleſiaſticum à ſummis Pontificibus conditum) quo ad conſcientiam obſervandum eſt in illis cauſis, quæ Jure Imperii non omnino vel non perſpicuè ſatis definitæ ſunt. Sed in nullo Jure Imperii, nullisque in pacificationibus clarè deciſum aut definitum eſt Dominos Proteſtantes quo ad vim directivam & in foro interno eſſe exemptos à legibus Eccleſiaſticis,

Ergo ſtandum eſt ſacris Canonibus ſtatuentibus omnes Chriſtianos (quales ſunt utique Proteſtantes) legibus eccleſiaſticis eſſe adſtrictos.

Dices. Contrarium per pacificationes introductum, & uſu hucusque receptum eſt. Ergo.

Reſp. Neg. Suppoſitum, contrarium unquam introduci potuiſſe, cum obligatio quoad forum internum, utpotè res ſpiritualis ſub pacificationes ſtatuum Imperii cadere nunquam potuerit.

Deinde Schneidewinus Proteſtantium religionis, author famoſiſſimus vocat Innocentium *Patronum*

Veritatis Inst. §. actionum. §. 27. debet. ergo agnovit vera esse, quæ per Pontifices sunt statuta. Atqui per Pontifices statutum est, leges ecclesiasticas obligare in conscientiâ omnes Christianos, inter quos sunt revera Protestantes, ergo Schneidewinus etiam hanc obligationem in conscientia agnovit esse veram.

Ego hujus quæstionis discussionem ac objectionum contra opponendarum resolutionem non sine causa relinquo Dominis Theologis.

Corollarium. infertur: ab hac pace religiosa ac etiam à nomine Protestantium penitùs excludi noviter irrepentes, in angulis tamen adhuc latentes, venenosa dogmata clandestine spargentes *Pietistas*, aliosque Sectarios, *Anabaptistas*, *Quietistas*, qui etiam hodiedum omni protectione & immunitate sunt in Germania destituti, ac proinde propriè veniunt ac comprehenduntur sub nomine hæreticorum, & pœnis contra hæreticos latis subjacent. Pœnæ verò quibus tales hæretici subjiciuntur sunt hæ:

Primò inter pœnas spirituales se offert excommunicatio, severitate exquisitâ eminens, nam illa constringit ipso jure hæreticos. *c. 9. c. 13. & 15 de hæretic.* 2. post bullam cœnæ, vinculo constringit tam valido, ut ut disrumpere nemo possit, nisi Pontifex. Trident tamen *Sess. 24. cap. 6. de Reform.* concessit Episcopis facultatem absolvendi ab hæresi occultâ in foro conscientiæ, quam constitutionem an recantet Bulla Cœnæ, inter authores non convenit; in Germaniâ tamen quin competat Episcopis, non est dubitandum. 2. irregularitatem incurrunt prædicti hæretici *d. c. 9.* 3. Pœna spiritualis est privatio dignitatum Ecclesiasticarum, officiorum, beneficiorum, & inhabilitas ad illa. *d. c. 9. de hæretic. cap. 2. cap. 12. & 15. eod. in 6.* 4. Pœna est infamia *can. 17. cauf. 6. quæst. 1.*

Secundò. Succedunt pœnæ temporales, inter quas prima est *publicatio bonorum*, si liberos orthodoxos non habeant, hi enim fisco præferuntur. *l. 4. princ. & §. 1. l. 19. C. de hæretic. cap. 10. eod. tit.* quin imò ex die admissi criminis ipso jure fisco sunt obnoxia, ita ut sententia declaratoria criminis retrotrahatur ad diem admissi, liceatque fisco alienationes interim factas, retractare. *c. 19. de hæretic. in 6.* 2. Pœna temporalis est *intestabilitas. l. 4. §. 5. C. de hæretic. c. 13. §. credentes. eod.* Si tamen ante sententiam declaratoriam criminis testamentum talis hæreticus confecerit, existimem id non ipso jure esse irritum, sed per sententiam demùm infirmari. Nam *in cit. c. 13.* non absolutè dicitur, quod facultatem testandi hæreticus non habeat, sed quod facultatem liberam non habeat, adeoque hoc saltem indicatur, secuta sententiâ & publicatione bonorum, testamentum infirmari. Sanchez. *lib. 2. in Decal. c. 24. n. 3.* 3. Pœna est incapacitas succedendi

ex

ex testamento vel ab intestato. *l. 4. §. 2. l. ult. C. de hæretic. c. 13. §. credentes. eod. tit.* hinc infertur, quæ hæreticis relinquuntur, non fisco cedere, sed cohæredi, aut substituto, vel si neque cohæres adsit aut substitutus, proximioribus ab intestato. Nam ut memorati textus satis arguunt, hæretici censentur potius jure incapacium, quam indignorum, quæ autem incapacibus relinquuntur, habentur pro non scriptis, adeoque fisco obveniunt. *l. 17. ff. de pœn.* 4. Pœna est, quod eximantur liberi potestate patria, ita ut latâ sententiâ jam ex die commissi criminis sui juris fuisse intelligantur. *c. 2. §. fin. de hæretic. in 6.* 5. Pœna est, quod hæreticus amittat potestatem dominicam, dominium feudale, ac jura id genus alia. *c. fin. d. t.* probabile tamen est, quod non ipso facto hæreticus hæc jura amittat: sed demum post sententiam declaratoriam criminis, per ea quæ tradit Sanchez. *lib. 1. in Decal. c. 24. n. 8.* Pœnis hactenus relatis onerantur bona & jura hæreticoum. pœnæ corporales variant, quandoque enim in carcerem hæreticus detruditur, quandoque etiam ultimo plectitur supplicio, aut pœnâ aliâ afficitur. Ubi refert, num hæreticus ducatur pœnitentiâ ac errorem detestetur, an in Sectâ perfractè ac pertinaciter persistat. Ille perpetuo punitur carcere vel pœnâ mitiore, si justa causa intercedat. *cap. 15. §. fin. de hæretic. c. 12. eod. tit. in 6.* Iste ultimò afficitur supplicio, ac, ut testantur Farinac *de hæres. quæst. 189. n. 4.* Clarus *§. hæresis n. 7.* & alii, igne perimitur.

Liberi hæreticorum ac Nepotes eorum pœnas sufferunt sequentes: 1. privantur hæreditate & bonis omnibus paternis. *cap. 10. de hæretic. cap. penult eod. in 6.* 2. fiunt irregulares, ita ut promoveri nequeant ad Ss. ordines, si per lineam paternam descendant. *c. 2. §. hæretic. cap. 15. d. t. in 6.* 3. Repelluntur ab officiis publicis. *d cap. 2. §. hæretici.* 4. Redduntur inhabiles ad beneficia Ecclesiastica. *d. cap. 2.* Sunt qui censeant, insuper subire jacturam famæ, ac illis quoque beneficiis excidere, quæ ante lapsum parentum receperunt; verum erubescimus sine lege loqui.

Quæres. 7. *An infideles, quales sunt Judæi, Saraceni, Ethnici, Machometani &c. Legibus Pontificiis obligentur?*

Resp. Negative ita Suarez. *d. l. 4. c. 19. n. 2.* Gonzalez. *in cap. 1. de Constit. n. 8.* est communis DD. assertio.

Prob. *per c. 8. c. ult. de divort. c. 4. de consang. & affin. c. 18. caus. 11. q. 1. Concil. Trid. Sess. 14. de Reformat. c. 2.* & ratio est, quia in infidelibus deficit jurisdictio Ecclesiastica, quippe quæ non exercetur, nisi in illos, qui per characterem baptismalem Christiano nomine insigniti, Christo & ejus Vicario subsunt, *quid enim*, ait Apostolus, *1. Corinth. 5. mihi de iis, qui foris sunt,*

Quæres. 8. *An summus Pontifex obligetur propriis legibus, sive legibus ab ipso latis?*

9. Distinguunt DD. inter vim legis coactivam & directivam, vis coactiva dicitur, quæ transgressorem pœnæ reddit obnoxium, vis directiva dicitur, quæ reatum conscientiæ inducit; directiva rursus alia est directa, quæ directè atque ex vi immediata legis obligat conscientiam, indirecta, quæ non tam ex virtute & fine, quam occasione legis obligat conscientiam.

Resp. 1. Summus Pontifex non tenetur vi coactivâ legum suarum, est communis DD. Catholicorum, ex ratione, quia Pontifex in Hierarchia ecclesiastica est supremus, *ex dd.* adeoque non habet judicem à quo judicetur, condemnetur & puniatur. Colligitur *ex dissert. præced.* & quæ ibi objecta sunt contra superioritatem Pontificis, huc applicari possunt.

Resp. 2. Neque etiam vi directivâ directâ legum suarum Pontifex obligatur, AA. catholici fere communiter.

Ratio, quia ut dicitur *in l. 51. ff. de recept. qui arbit.* nemo imperare sibi, aut seipsum prohibere potest. ad quam *L.* glossa finalis tradit illud Brocardicon: *Imperativus caret prima personâ*, nimirum omnis obligatio directa supponit in imperante superioritatem, & in faciente subjectionem, quæ cum deficiat in Legislatore respectu sui ipsius, deficit quoque obligatio directa per legem intenta, & ita intelligendi sunt textus *in c. 20. de Elect.* ibi: *Successoribus suis nullum potuit hac in parte præjudicium generare. c. 3. §. cæterum sanctæ de V. S. in 6.* ibi: nec successorem suum (nimirum lex antecessoris) quomodolibet obligavit, cum non habeat par in parem imperium.

Objicies cum Suarez. *de LL. lib. 3. c. 35.* quod ratio dictet, non aliter à Deo summo Pontifici potestatem legislativam fuisse concessam, quam ut pari obligatione patiatur legem à se ferendam, qui proinde instar Ministri Dei inter cæteros sibi tanquam membro communitatis ferat legem, sicque diversa ratione sit sibi ipsi superior & inferior.

Resp. N. quod recta ratio dictet, ut summus Pontifex tam sibi, quam ovibus legem ponat, alias si sibi legem poneret, nec ipse, nec successor legem abolere posset. Potestas ligandi & leges ferendi est pro ovibus & fidelibus Ecclesiæ, ipse autem non est ovis, sed pastor, non fidelis subditus sed caput.

Objicies. 2. *in c. 7. caus. 25. quæst. 1.* Negat Zosimus Papa, quod Apostolicæ Sedis authoritas Patrum statuta immutare valeat, adeoque supponere videtur, quod etiam Pontificem ligent, ergo Pontifex successor obligarur decretis antecessorum.

Resp. Explic. antec. & est dicendum, quod Zosimus ibidem per statuta Patrum intelligat Decreta fidei, quibus non minus Pontifex quam cæteri fideles assurgere tenen-

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

nentur, si enim SS. PP. extra fidei materiam quidquam definiunt, non solum nec Pontificem, verùm nec privatos obstringunt efficaciter; quam responsionem colligere etiam licet *ex c. 6. d. caus. & quæst.*

Resp. 3. Summus Pontifex obligatur vi directivâ indirectâ legum suarum. Haunold. *tract. 1. de J. & J. n. 54.* D. König. *ad tit. de Constit. n. 10.* D. Francisc. Schmier. *in tract. de Jure leg. c. 5. sect. 1. §. 3. num. 89.*

Ratio est, quia summus Pontifex cum sit pars Ecclesiæ, non qualiscunque sed Principalis, tenetur ex ipso juris naturalis dictamine bonum Ecclesiæ promovere, nec verbo tantum sed & exemplo; quod, si in ulla re, certe in legis observantia, est longe potentius verbis, ut ait Claudianus:

Primus jussa subi, tunc observantior æqui
Fit populus nec ferre negat, cum viderit ipsum
Authorem parere sibi, componitur orbis
Regis ad exemplum, nec sic inflectere sensus
Humanos edicta valent, ut vita Regentis.

Ergo summus Pontifex legibus suis indirecte saltem tenetur, nempe non ex virtute per legem intenta, sed occasione legis quæ excitat dictamen naturale, ut quam aliis imponit servandam legem, ipsemet servatu possibilem opere commonstret, ne dum primus est legis fractor potius quam lator, subditis præbeat ansam sequendi malum exemplum; quo sensu inteligendi sunt *c 14. c. 15. caus. 25. quæst. 1.* qui textus possent objici; quam responsionem intellige sic demum, si materia legis sit æque conveniens summo Pontifici ac cæteris subditis.

Urges ergo Pontifex arctius sua lege obstringitur, quam fideles subditi, qui lege positivâ tantùm, ille vero ex lege naturali obligatur. Sed malè! etiam subditi fideles ex divino & naturali jure justa mandantibus obtemperare coguntur, ergo non magis legislator, quam isti obligantur. Porro dici potest, quod transgressio legis Pontificiæ, sit etiam transgressio naturalis & divinæ, intellige: quod sit talis reflexè, scilicet quia legem Pontificiam servare præcepit jus naturale & divinum, adeoque transgrediendo legem hanc etiam transgredimur illas; Quod si

Pergas 2. Cum fidelibus in sua lege dispensat Pontifex, (quia lex naturalis & divina non obligant,) si fideles non amplius velit obligatos esse Pontifex, sed in lege naturali dictante & imperante ut summus Pontifex legem suam custodiat, non dispensat Pontifex, quia lex illa neutiquam alligatur voluntati Pontificis, ergo adhuc est fortior & intensior obligatio Pontificis.

Resp. Sicut jus naturæ non vult, ut Pontifici obediant subditi, quando non imperat, ita jus naturæ non vult, ut summus Pontifex servet

legem, ad quam servandam ex justa causa non tenetur, sicut ergo non obligatur sua lege, nisi justè voluerit, sic rectè dispensat in sua lege, si ob justæ causæ interventum eum obligari jus naturæ non velit.

10 Quæres 9. *A quo tempore leges Pontificiæ universales incipiant obligare?*

Resp. Leges Pontificiæ universales non obligant in actu secundo, nisi post lapsum duorum mensium à die promulgationis.

Ratio est, quia *in Novella 66. in rubric. præfat. & c. 1.* pro legum civilium obligatione tempus bimestre post promulgationem requiritur, ut nempe totum quasi Imperium in uno eodemque tempore simul & semel obligari incipiat, ac uniformitas in operando statuatur, tum quia constitutio ejusdem novellæ non tantum generali receptione à jure ecclesiastico assumpta, sed speciali constitutione probata videtur, dum Pius IV. *in Bulla sicut ad sacrorum* anno 1564. postquam consultus erat de tempore, quo Concilium Tridentinum obligare inceperit, ita rescribit, *quia jure etiam communi sancitum est, ut constitutiones novæ vim nonnisi post certum tempus obtineant, æquum nobis & justum visum est prædicta decreta à Calendis Maji proximè præteriti omnes obligare cœpisse.* Quò etiam quadrat rotundus textus, *in c. 1. de Concess. præbend. in 6.* ibi: *Quo lex seu constitutio & mandatum nullos adstringant, nisi post tempus, intra quod ignorare minimè debuissent.* Si Dicas: Jus Civile per Pii IV. bullam non absolutè recipi, sed quoad prædicta tantum, nec cum determinatione bimestris sed lapsu alicujus intervalli indeterminati. Sed

Contra est, quia Pontifex imprimis supponit utroque jure Canonico & Civili sancitum esse, ut quæcunque novæ constitutiones non statim obligent à momento promulgationis, quia dicit indefinitè: Jure communi & constitutiones novæ; deinde supponit certum tempus jure communi determinatum esse, quo in actu secundo nova lex obligationis faciat exordium, *in verb. nonnisi post certum tempus.* Ergo licet summus Pontifex *in cit.* Bulla non præcise tempus bimestre pro concilii obligatione præscribat, sed tempus trimestre, ut constat ex bulla alia, quæ incipit, *Benedictus DEUS:* in qua concilium confirmatum, ac sub finem mensis Januarii præcedentis Romæ publicatum legitur: Nihilominus Jus Civile absolutè & quoad determinationem bimestris recipit, tempusque longius pro Tridentini obligatione ideo tantum expressit, quia à die promulgationis non parum temporis in exemplaribus diligenter emendateque imprimendis consumptum fuit, ut fatetur ipsemet Pius IV. *in cit. bulla sicut ad sacrorum.*

Nulla igitur est repugnantia, quia summus Pontifex tempus subinde majus subinde minus bimestri ad legum universalium actualem observationem, pro materiæ ac circumstantiarum diversitate determi-

terminare valet, quandoquidem ex natura rei spatium duorum mensium non exigitur, sed si tempus aliud expressum non sit, ex tacita & præsumpta legislatoris voluntate requiri, rectè defenditur.

11 Quæres 10. *Ubi leges universales summi Pontificis promulgari debeant ad hoc ut obligent?*

Respondent Panormitanus ad *c. 2. de Constit. n. 7. circa fin.* Felinus *ibid. n. 7.* Molina *de J. & J. Tract 2. disp. 395. à n. 6.* Gibalinus *scient. Canon. lib. 7. c. 2. quæst. 1. num. 7.* P. Engel. *ad tit. de Constit. num. 65.* D. König. *ibid. n. 20.* D. Francisc. Schmier. *cit. tract. c. 5. sect. 1. §. 1. n. 14.* non sufficere eas promulgari Romæ, sed eas insuper in Provinciis promulgari debere.

Prob. 1. Promulgatio in partibus facienda, tum ex natura rei (si non de necessitate, saltem de congruentia & convenientia) tum ex dispositione juris requiritur ad legem ecclesiasticam; nam ex natura rei lex est jussio & allocutio publica, non ad particulares & singulos homines, sed totam communitatem directa, ergo ita debet esse comparata, ut apta sit per se percipi à tota communitate Christiana; atqui lex Romæ promulgata non est apta per se percipi à tota communitate Christiana, neque enim curia Romana laborat, ut lex Romæ promulgata aliis innotescat, neque si privatam quis notitiam legis constitutæ habeat, tenetur eandem notitiam promovere, Ergo &c. unde Cajetanus à Gibalino *loc. cit. num. 16.* adductis scripsit; *si nova Romæ promulgatur lex, & nec curia ipsa procurat, ut promulgatio ad Ecclesias Cathedrales deveniat, nec Prælati, qui ibi sunt, insinuant suis Ecclesiis, accusari nec apud Deum, nec apud homines ignorantiæ possunt, nescientes,* Neque

Dicas ex hoc sequi, debere legem singulis hominibus intimari, contra *c. 1. de postulat. prælat.* quatenus in legis notitiam facilius veniant. Nam contra est, quia lex, sicuti singulis non ponitur, sed communitati, ita non singulis sed communitati debet intimari, ergo debet promulgari in omnibus provinciis Christianis; quippe quæ collectim sumptæ constituunt & integrant communitatem Christianam & Ecclesiasticam.

2. Constitutio juris civilis apertè huic sententiæ suffragatur, licet enim summus Pontifex non teneatur in modo regendi & imperandi legibus sese conformare, attamen propter majorum canonum & legum cathedræ Apostolicæ & solii Imperatorii concordiam ultro voluit, ut quæ jure civili statuta sunt, trahantur etiam ad jus canonicum per vulgatissimos textus *c. 1. & 2. de N. O. N. c. 9. c. 11. c. 12. & seqq. dist* 10. ergo quia leges Civiles ex constitutione *Novellæ 66.* requirunt promulgationem in singulis Imperii provinciis, requirunt etiam Ecclesiasticæ, de quibus in contrarium nulla exstat ordinatio; idque tanto magis

magis, quanto Romana Ecclesia in pluribus mundi regionibus & regnis, quam Romanum Imperium est dilatata.

3. Non solùm jus civile sed etiam jus Canonicum promulgationem in provinciis desiderat, siquidem *in c. 13. de pœnit. & remiss.* Innocentius III. constitutionem de medicis in Concilio Lateranensi editam, ut cum eos ad infirmos vocari contigerit, ipsos ante omnia moneant & inducant, ut medicos advocent animarum, tunc demum obligare vult, postquam per prælatos locorum fuerit publicata. Si

Dicas 1. Non obligationem recitatæ constitutionis, sed pœnam ingressus in Ecclesiam ad promulgationem localem adstringi.

Contra est, si pœna non obligat, antequam lex pœnalis promulgationem localem adepta est, certè nec præceptiva lex obligabit antea; tum quia gravius & deterius est, reatum culpæ & pœnæ æternæ, quam temporalis incurrere, tum quia ipsa lex pœnalis spiritualis non obligat, nisi culpa præcesserit. Si

Dicas 2. Allatam constitutionem particularem esse, atque vel ex hoc ad alias leges non ampliandam, quia in aliis similes clausulæ non reperiuntur. enim vero sicuti *Novella 66.* licet particularis sit, de *LL.* testamentariis duntaxat præscripta, nihilominus ob paritatem rationis, ad reliquas *LL.* porrigitur, ita *cit. c. cum infirmitas;* esto particulare sit, ac de medicis tantùm loquatur, ad alias tamen *LL* ob rationis paritatem erit extendendum, quia videlicet absonum est, leges obligare, antequam sint communitati sufficienter manifestatæ.

Sententiam oppositam & asserentem, quod sufficiat promulgatio Romæ, utpote probabilem etiam defendunt AA. gravissimi, qui proinde

Objiciunt 1. promulgatio in singulis provinciis facienda, neque ex natura rei, neque ex constitutione juris requiritur. Ergo. prob. antec. quoad primam partem deducitur ex eo, quod promulgatio Romæ facta sufficiat, si lex in notitiam orbis Christiani succesivè possit devenire; quoad alteram partem declaratur sic; quia pro necessitate promulgationis in Provinciis faciendæ, solummodò affertur paritas ex *LL.* civilibus petita, hæc verò est eo debilior, quo minus summus Pontifex *LL.* civilibus in modo regendi sese accomodare tenetur. [12]

Resp. 1. Dist. promulgatio, qualis de facto fit, in singulis provinciis non requiritur ex natura rei absolute C. non requiritur ex natura rei secundum quid & quoad melius esse. N.

Resp. 2. Quod promulgatio in provinciis facienda etiam requiratur ex jure canonico, monstravi supra, interim verum quidem est, quod Pontifex non obligetur legibus Civilibus, vult tamen eas recipere ad declarationem sui juris dubii *d. c. 1. de N. O. N.*

Obji-

Objicies 2. Ex ſtylo Romanæ Curiæ recenter editæ bullæ non alibi, quam Romæ promulgantur, regulæ cancellariæ in partibus nunquam ſunt promulgatæ, omnes etiam cauſæ juxta conſtitutiones Romæ promulgatas decidi ſolent. Ergo ſignum eſt ſummi Pontificis mentem & voluntatem eſſe, ut novæ conſtitutiones ſtatim obtineant vim obligativam, poſtquam in Campo Floræ ad valvas Vaticani fuerint appenſæ.

Reſp. Quod regulæ Cancellariæ non ſint in partibus publicatæ, hinc illas non habere vim legum univerſalium ſed Romæ ſolum ſecundum eas, tanquam leges Romæ publicatas, judicari, quæ leges dicuntur potius ſtylus curiæ; qui extra curiam non facit jus, cum cauſæ beneficiales & quæcunque extra curiam ventilandæ, juxta commune jus poſſint decidi; licet in curia diſcutiendæ ſecundum curiæ ſtylum regulentur.

Cæterum ipſimet adverſarii fateri coguntur plurimas extravagantes Bullas in Germania & alibi non obligare. Cur ita? vel quia ſic habet conſuetudo, ut ejusmodi Bullæ non publicatæ in partibus non obligent, vel quia regibus & principibus privilegium eſt conceſſum, ut leges eccleſiaſticæ non ſtringant ante promulgationem in provinciis factam.

Dicendum igitur, quod naturæ legum valde ſit conforme, ne prius univerſaliter obligent, quam ſint in provinciis publicatæ, niſi Legislator expreſſe contrarium ſtatuat; de legibus infirmantibus contractum, inferentibus cenſuram & ſimilibus, plerique ſentiunt illas non obligare, niſi promulgatas in provinciis, ne cum publico diſpendio plures contractus reſcindi, aut cum animarum periculo cenſuras ſæpius incurri, neceſſe ſit. Sic in ſpecie Concilium Tridentinum (extra fidei decreta) non obligat in provinciis, in quibus promulgatum non eſt, fuitque hæc antiquiſſima & plurium ſæculorum uſu approbata conſuetudo, quod leges tum ſummi Pontificis, tum Conciliorum à Pontifice aprrobatorum ſingulis provinciis promulgari conſueverint.

Quæres 11 *An adhoc, ut leges univerſales Pontificiæ obligent, requiratur acceptatio populi Chriſtiani?* 13

Reſp. Negative. Ratio eſt, ſummus Princeps Eccleſiaſticus poteſt obligare independenter à conſenſu & acceptatione populi, partim quia abſolutam obligandi poteſtatem à Deo immediatè accepit *ex dd.* eamque independenter à concilio excercere poteſt *ex dd.* Partim quia ſummi paſtoris & gubernatoris, non vero ovium eſt diſcernere, an legem ſervari expediat, nec ne? habet præterea ſummus Pontifex voluntatem legem independenter à populi Chriſtiani voluntate ferendi, eique efficaciam obligativam tribuendi, dum non tantum mandat & imperat, ut lex promulgata

servetur, sed etiam in non servantes pœnas ac censuras fulminat, ergo cum ad legis vigorem plura non requirantur, quam voluntas & potestas legislatoris, lex ecclesiastica sufficienter promulgata populum Christianum sufficienter obligat. Sic etiam lex naturæ & divina sine acceptatione populi obligat, quia illæ leges immediatè à DEO procedunt; atqui etiam potestas ferendi legem ecclesiasticam immediatè procedit à DEO; Ergo & huic potestati populus obedire tenetur, abstrahendo an velint aut nolint legem acceptare. Si

Dicas summus Pontifex ex benignitate non vult obligare populum ad legem, antequam subditi eam acceptaverint. Contra est. lex summi Pontificis essentialiter distinguitur à consilio, quod si verò summus Pontifex ex benignitate permittat populo liberum, velitne legem acceptare, vel non, lex non distinguitur essentialiter à consilio. 2. Si ex conniventia summi Pontificis legem recusare liceret, etiam verum esset, quod sine omni causa legem recusare liceret, quia sinè voluntate obligandi lex non obligat; sed hæc sequela ab Alexandro VII. de anno 1665. est damnata hisce formalibus: *Populus non peccat, etiamsi absque ulla causa non recipiat legem à Principe promulgatam.*

14 Objicies 1. *c. 3. dist. 4.* ubi dicitur, leges instituuntur, cum promulgantur, firmantur, cum moribus utentium comprobantur, ergo ad hoc, ut lex summi Pontificis robur accipiat, à populi moribus debet comprobari.

Resp. Textum Gratiani non de firmatione juris sed facti accipiendum esse, eo videlicet intellectu, quod usus & observantia legis, legem in effectum deducat, non ex voluntate populi, sed imperio Legislatoris, cum enim ipsemet Gratianus asserat institutionem & substantiam legis à promulgatione haberi, nequeunt utentium mores aliam, quam extrinsecam confirmationem legi superaddere; acceptatione ergo confirmantur leges. Dist. extrinsecè. T. intrinsecè, quoad vim legis N.

Objicies 2. *c. 6. de Cleric conjug.* ubi Innocentius III. considerans, quod Orientalis Ecclesia votum continentiæ non admiserit, declarat: Græcos in minoribus ordinibus matrimonium rectè contrahere & in superioribus matrimonio jam contracto licite uti posse. Ergo Græci excusantur propter legem non receptam.

Resp. Citatum textum neutiquam supponere, quod in voluntate Græcorum steterit, velintne legem continentiæ clericalis acceptare vel non? sed mentem Pontificis tam benignam fuisse, ut Græcorum infirmitati descendere, ac præceptum illorum indoli non adeo conveniens, ad Ecclesiam orientalem extendere non voluerit.

Objicies 3. Plurimæ Leges Pontificiæ in desuetudinem abierunt,

ex

ex nulla alia ratione, nisi quod usu nunquam fuerint receptæ.

Resp. Leges quæ usu non receptæ dicuntur, opitulante consuetudine legitime introducta vim obligandi perdidisse, neque tamen exinde licet arguere, etiam non acceptationem populi vim legi adimere, si enim consuetudo rationabilis & justa sit, non tam ex consensu populi, quam legislatoris authoritatem accepit, cum tamen sola non acceptatio ex libero subditorum arbitrio proveniat, legislatore dissentiente & contradicente; & inde est, quod non receptio legis sit quidem occasio & prima dispositio ad consuetudinem contra legem, non tamen statim perimit, nec subditos à legis observatione eximit, sed potius tamdiu stringit, quamdiu requisita legitimæ consuetudinis non concurrunt, indeque fluit, quod consuetudo contra legem consurgere non possit, nisi per actus formaliter peccaminosos, factos nempe contra legem promulgatam & obligantem, ex proposito & voluntate eam abrogandi. Occasione hujus

15 Quæres 12. *An & quatenus Græci obligentur Legibus universalibus summi Pontificis?*

Nota. Distinguendum esse inter leges pure humanas & declarativas juris naturalis vel divini. Hinc

Resp. Leges Ecclesiasticæ declarativæ juris naturalis vel divini positivi, æque Græcos ac Latinos stringunt. Ratio est, quia lege naturali & divina sine discrimine nationis aut conditionis omnes tenentur, ergo etiam lege declarativa juris naturalis vel divini, quia lex declarativa non tam nova lex est, quam antiquæ legis major explicatio. D. König *de Constit. n. 7. in fine.*

Confirmatur si summus Pontifex articulum fidei antehac inter Professores & Doctores ambiguum decidat, utique Græcos non minus quam Latinos habebit ad obsequendum obstrictos; ex quo enim fides est una, nec alia apud Græcos, alia Latinos, in Decreta fidei unitis viribus & Græci & Latini jurare debent. Ecclesia una est, ait D. Cyprianus *in c. 8. caus. 24. quæst. 1. quæ in multitudinem latius incremento fœcunditatis extenditur, quomodo solis multi radii sed lumen unum, & rami arboris multi, sed robur unum tenaci radice fundatum, & cum de fonte uno rivi plurimi defluunt, numerositas licet diffusa videatur, exundantis copiæ largitate, unitas tamen servatur in origine.* Succinit Cypriano Gregorius, Gregorio Ambrosius, Ambrosio Hieronymus, Hieronymo venerabilis Beda *c. 20. & seqq caus. 24. quæst. 1.*

Resp. 2. Leges Pontificiæ purè humanæ non obstringunt Græcos. D. Francisc. Schmier aliique ab eo relati *Tr. de jure legat. cap. 5. sect. 3. §. 2. n. 28.*

Ratio est, quia summus Pontifex etiamsi quoad Græcos eandem ligandi,

gandi, solvendi pascendi & jubendi potestatem adeptus fuerit, quam adeptus quoad Latinos, ex benigna tamen voluntate & intentione non vult eandem potestatem adversus Græcos circa leges Ecclesiasticas pure humanas usurpare. Idque constat ex *c. fin. dist. 31. c. 6. de Cleric. conjugat. c. 7. de panit & remiss.* dum tres Pontifices Stephanus, Innocentius III. Clemens III. præceptum Ecclesiasticum de servanda à Clericis in majoribus ordinibus continentia Græcos non obligare, dilucidè profitentur, constat etiam ex aliis Ecclesiasticis præceptis *v. gr.* de consecratione in fermentato, collatione ordinum, sacrificio missæ, in quibus modum plane à Latinorum more alienum observant Græci; quia ergo ad efficacem & actualem legis obligationem non sufficit sola potentia, si desit obligandi voluntas, sanè modernis temporibus Græci non obligantur Ecclesiasticas leges servare.

Dixi *modernis temporibus*, ut excuperem illas leges, quæ antequam orientalis à Romana Ecclesia divortium & secessum fecit, tam Græcis quam Latinis communiter promulgatæ noscuntur, quarum numerosam partem per concilia in oriente celebrata in orbem Catholicum prodiisse, quis tam peregrinus est, ut nesciat.

16 Quæres 13. *Utrum lex summi Pontificis obliget in conscientia?*

Obligare in conscientia nihil est aliud, quam obligare sub peccato, sive dein gravi sive levi, adeo ut transgessores legis peccent graviter vel leviter, pro diversitate aut materiæ, aut voluntatis in legislatore graviter vel leviter obligante. Igitur ad quæstionem

Resp. Affirmativè. Est communis sententia Catholicorum, teste Suarezio *de legibus lib. 4. c. 12.* & prob. ex variis sacræ scripturæ testimoniis. *Matth. 16. 18. Joan 21. act. 15. ad Rom. 13. 1. Petr. 2.* & insuper ratio est, quia dum Pontifici potestas regendi fidelium animas, utendi gladio spiritualis vindictæ, claudendi & reserandi cœlum est concessa, *Math. 16. tibi dabo claves regni cœlorum.* Pariter concessa erit facultas ligandi conscientias.

Contrariam sententiam præter omnes Acatholicos tenuit vir suo ævo famigeratissimus Joannes Gerson *part. 3. tr. de vita spirituali. lect. 4. Alphabeto 62.* duabus potissimum rationibus permotus; primâ: quia nemo potest obligare in foro superiori, & ad pœnam quam infligere nequit. Altera, quia ex definitione S. Augustini omne peccatum est *dictum, factum, vel concupitum contra legem Dei*; Pontifex autem *primò* nequit infligere pœnam peccati, quæ pœna in altera vita persolvitur modò; dein lex Pontificia non est lex Dei. Sed

Resp. Homines uti delinquendo contra leges Ecclesiasticas indirectè delinquunt contra legem divinam, utpote cum ex quarto Decalogi præcepto jubeantur superio-

perioribus justa & justè imperantibus obedeire, ita & pœnam æternæ mortis ex transgressione legis Ecclesiasticæ promeritam indirectè ab hominibus, directe à Deo statui & infligi. Exemplum affertur in lege principum inferiorum, qui ex potestate concessâ quandoque leges ferunt sub pœna mortis temporalis, ita tamen ut potestas ultimata puniendi supremo Principi reservetur.

§. II.

DE SUMMI PONTIFICIS POTESTATE DISPENSATIVA.

SUMMARIA.

1. Dispensatio quid sit? 2. Pontifex nequit dispensare in jure naturæ. 3. Qualiter lex naturæ possit mutari & quotuplex sit mutatio. 4. An & quomodo Pontifex possit relaxare vota? 5. Quomodo vinculum matrimonii rati à Pontifice possit dissolvi sine mutatione juris naturalis? 6. An Pontifex possit quoad jus naturæ uti Epikia verâ & propria? 7. Quid sit Epikia impropria? 8. Pontifex nequit dispensare in jure positivo divino. 9. Ponuntur objectiones. 10. An summus Pontifex possit abrogare vel corrigere leges imperiales aliasque Civiles rerum publicarum. 11. An Pontifex possit relaxare juramenta & quando? 12. Potestas Papæ quoad matrimonia recensetur.

1 Dispensare in lege nihil est aliud, quam remanente universaliter legis vigore, aliquem in particulari hic & nunc à lege eximere, adeo ut tali liceat in particuluri, quod reliquis & universaliter prohibitum.

Quæres 1. *An summus Pontifex possit dispensare in jure naturæ?*

2 Resp. Negativè. quia dispensare in lege naturæ est legem naturæ propriè & formalite mutare, jus verò naturæ proprie & directe ne quidem à DEO mutari potest, quod enim ex natura sua turpe est & ab intrinseco repugnat naturæ humanæ, etiam authoritate divina nequit naturæ humanæ consonum & condecens reddi. Quod etiam intellexit Imperator *in §. 11. Inst. de J. N. G. & C.* ubi ait: *Naturalia jura divina quadam providentia constituta, semper firma atque immutabilia permanere.*

Dixi, quod summus Pontifex in lege naturæ nequeat dispensare; 3 hinc avertendum est, qualiter lex naturæ possit mutari; & quidem mutatio duplex cogitari potest, prima est *propria, directa, formalis,*

quando manentibus iisdem circumstantiis lex in se totaliter vel particulariter tollitur, ita ut nuda legislatoris voluntas perimat obligationem legis, qualis modus tollendi legem naturalem esset dispensatio, ab aut derogatio.

Secunda mutatio est indirecta impropria materialis, quando nimirum variatis circumstantiis materia seu objectum legis non amplius sub lege & legislatoris voluntate comprehenditur, quâ ratione lex de non auferendo alieno dicitur impropriè & materialiter mutari, quando Dominus consentit, quia tunc circumstantia (si Dominus invitus sit) sub qua ablatio rei alienæ legem terminabat, variatur, indeque materia non amplius sub lege concluditur. 2. Materia legis naturalis subinde potestati humanæ subjecta est, subinde divinæ, subinde neutri; humanæ potestati subest, quando vel circa bona externa versatur, vel quando ex præcedente actu voluntatis humanæ legem terminat; divinæ potestati subjacet, quando divinæ perfectioni & sanctitati non repugnat; neutri potestati subjacet materia legis naturalis, quando illius exemptio à lege, adversatur divinæ perfectioni & sanctitati.

Quando ergo dicitur, quod Pontifex nequeat dispensare in jure naturæ, idem est dicere, quod directè nequeat mutare jus naturæ, sed licet ita mutare nequeat, potest tamen saltem *impropriè*, *indirecte* & materialiter mutari à summo Pontifice tunc, quando materia juris naturalis pendet à potestate humana, quia ex *dd.* legem naturalem impropriè mutari nihil est aliud, quam circumstantias ita mutari & variari, ut materia non amplius sub lege & legislatoris voluntate vel intentione contineatur, sed quando materia juris naturalis pendet à potestate humana, hæc circumstantias ita variare potest, ut materia non amplius maneat sub lege & legislatoris intentione. Ergo &c.

Confirmatur. Quando materia juris naturalis humanæ dispositioni subest, non habet obligationem absolutam sed conditionatam: quousque videlicet humana potestas aliud statuerit, jus naturæ desinit obligare, quia cessante conditione non tantum actus & contractus privatorum, sed etiam leges conditioni alligatæ cessant obligare.

Corollarium 1. ex his fluit, quod summus Pontifex, licet in voto nequeat dispensare, possit tamen votum libere DEO nuncupatum, quod naturali jure voventem obstringit (cum æque conveniens sit DEO, quam homini præstitam fidem servare) Pontificia potestate relaxare. 4

Ratio est, quia votum non obligat nisi dependenter à voluntate voventis, ergo materia voti subjecta est potestati humanæ, cum ipsa hominis voluntas, à qua substantia voti proficiscitur, eidem

subjecta

subjecta sit, juxta illud Apostoli *ad Rom. 13. Omnis anima sublimioribus potestatibus subdita sit.* Ergo quia votum non obligat absolutè sed conditionatè, quamdiu nempe superior voventem voluerit esse obligatum, relaxari à Pontifice potest, absque eo, quod jus naturæ formaliter immutetur, idem de juramento dicendum est.

5 Corollarium 2. Vinculum matrimonii rati à summo Pontifice dissolvi potest, sine dissolutione juris naturalis.

Ratio est, quia vinculum matrimonii divinâ quadam ordinatione, præviâ tamen ac mutuâ conjugum voluntate & conventione inducitur, ergo lex naturalis de tenenda individua vitæ societate habet pro materia promissionem humanam, & hoc ipso dispositioni Ecclesiæ subjectam, ergo si summus Ecclesiæ Princeps Pontifex Romanus promissionem irritet, tollitur vinculum matrimonii, nec tamen infringitur jus naturæ, utpote, quod obligare desinit in illa circumstantia, quando promissio & conventio de perpetua cohabitatione & conjunctione irrita fuisse supponitur.

6 Quæres 2. *An summus Pontifex possit uti Epikia vera & propria, quoad jus naturæ?*

Epikia vera & propria est, qua non tam interpretamur legem, quam emendamus legem, atque casum à lege comprehensum ex benigna præsumptione à lege excipimus.

Resp. Negative Suarez. *de LL. lib. 2. c. 16. num. 2.* Gibalinus *scient. can. lib. 3. c. 3. q. 3. n. 11.*

Ratio est *primò*, quia jus naturæ cum in recta ratione fundatum, atque à Dei lege æternâ distinctum non sit, non potest in ullo casu deficere. Ergo etiam in nullo casu per Epikiam emendari potest. 2. Jus naturæ præcipit vel prohibet, quæ decentiam, vel indecentiam habent connatam, & intrinsecam, sed fieri non potest, ut quæ ex connatâ indole sunt decentia evadant indecentia, & vicissim; ergo nec fieri potest, ut jus naturæ in aliquo casu deficiat. Ergo non potest admitti Epikia. 3. Quia juris naturalis formalis mutatio est implicatoria, ergo & Epikia vera, quæ jus naturale in casu particulari verissimè immutat.

Objicies. Lex positiva recipit veram Epikiam, quia occurrere possunt circumstantiæ, in quibus prudens formari potest præsumptio, quod legislator non voluerit obligare; atqui in lege naturali quoque similes circumstantiæ emergere possunt, nam mutilatio proprii corporis *v. gr.* non censetur cadere sub prohibitionem legis naturalis in illa circumstantia, quâ supponitur esse necessaria ad proprii corporis conservationem. Ergo,

Resp. N. Conseq. & prob. Min. Ratio negandi est, quia jus naturæ cum unum & universale sit in omnibus hominibus, unam eandemque obligationem semper habet,

bet, non ex intentione ſolius legislatoris, ſed quaſi ex neceſſitate naturæ & exigentia materiæ. Ergo non poteſt formari prudens præſumptio in ullo caſu, quod obligare non velit; at verò lex poſitiva fundamentum & vim habet ex intentione ipſius legislatoris, qui, cum humanus ſit, nequit omnes omnino caſus in ſanctione legis prævidere & proſpicere; ergo mirum non eſt, quod deficiente legislatoris intentione lex deficere incipiat. Ad inſtantiam de mutilatione, Reſpondeo, non tam legem naturæ deficere, quam illius materiam, quando mutilatio eſt neceſſaria ad conſervationem totius corporis; nam mutilatio non prohibetur, niſi quatenus eſt noxia corpori, qualis non eſt, quæ fit & ordinatur ad vitæ & corporis totius integritatem conſervandam, melius enim eſt pedem *v. gr.* quam vitam perdere.

7 Porro Epikia impropria eſt nuda legis declaratio & explicatio, quam indubiè jus naturale admittit, tum quia naturalia præcepta quandoque diſcurſu indigent, ut ritè percipiantur & applicentur, tum quia non obligant ſemper abſolutè, ſed non raro conditionate: poſitis nempe certis circumſtantiis; tum quia præceptum *v. gr.* de homicidio vitando, de voto exolvendo, de depoſito reddendo &c. ſuam limitationem recipit, ſi homicidium ex cauſa neceſſariæ defenſionis ſuſcipiatur, ſi votum ſervatu ſit impoſſibile, ſi depoſitum à furioſo repetatur.

Quæres 3. *An ſummus Pontifex* 8 *diſpenſare poſſit in jure divino?*

Reſp. Negative Covarruvius *in 4. decret. p. 2. c. 5. 6. 9. n. 4.* Suarez. *de LL. lib. 10. c. 6. num. 7.* Reding. *de LL. quæſt. 15. art. 3. Controv. 6. n. 3.* Barboſa *J. E. V. c. 2. n. 119.*

Ratio prima: Inferior nequit tollere vel mutare jura ſuperioris. *Clement. 2. in princ. de Elect.* ergo neque lex divina tolli aut mutari poteſt à ſummo Pontifice. Neque

Dicas. Epiſcopi ſunt inferiores ſummo Pontifice, & tamen ex cauſa rationabili & urgente, quando recurſus ad ſummum Pontificem eſt difficilis, aut impoſſibilis, juxta communem DD. ſententiam in lege Pontificia diſpenſare poſſunt.

Reſp. Hoc ipſo, quod Epiſcopi tunc ſolum in lege Pontificia diſpenſare poſſint, quando ſubeſt urgens & rationabilis cauſa, conſequens eſt, Pontificem in lege divina diſpenſare non poſſe, quia urgens & rationabilis cauſa ſubeſſe nequit, DEUS, quippe, qui non tantum eventuum futurorum cauſas æterna ſua providentia comprehendit, ſed ipſemet futurorum contingentium eſt cauſa, ad omnes omnino caſus leges ſuas poſitivas extendit, ſicque non eſt dabilis circumſtantia, quam DEUS non prævidiſſe, aut legi ſubducere voluiſſe cenſendus eſt.

Ratio 2. Ipſimet Pontifices negant hanc poteſtarem Eccleſiæ com-

competere. *in c. 6. cauſ. 25. quæſt. 1.* Urbanus Pontifex ait: *Ubi apertè Dominus vel ejus Apoſtoli, & eos ſequentes SS. Patres ſententialiter aliquid definierunt, ibi non novam legem Romanus Pontifex dare, ſed potius, quod prædicatum, usque ad animam & ſanguinem confirmare debet, ſi enim, quod docuerunt Apoſtoli & Prophetæ, deſtruere* (quod abſit) *niteretur, non tam ſententiam dare, ſed magis errare convinceretur. c. 7. eod.* ait Zoſimus Papa: *Contra ſtatuta Patrum (quæ jus divinum declarant) condere aliquid, nec hujus quidem ſedis poteſt authoritas. in c. 8. eod.* dicit Marcellinus: *Nec quidpiam, quod contra Evangelicæ vel Propheticæ aut Apoſtolicæ doctrinæ conſtitutionem ſucceſſorumve eorum, ſive SS. Patrum actum fuerit, ſtabit. in c. 9. eod.* Hormiſda inquit: *Prima ſalus eſt, rectæ fidei regulam cuſtodire, & à conſtitutis Patrum nullatenus deviare.* Pariter Innocentius III. *in c. 13. de reſtitut. ſpoliator.* decernit mulierem, quæ ſcit inter ſe & maritum intercedere impedimentum matrimonii, jure divino introductum, nec tamen probare poteſt, etſi à ſede Apoſtolica jubeatur marito ſe commiſcere, debere potius excommunicationem ſuſtinere, quam ſententiæ parere. Ergo poteſtas diſpenſandi in jure divino non eſt penes ſummum Pontificem.

Ratio 3. Poteſtas diſpenſandi neque poſſibilis ex parte Eccleſiæ, neque utilis; non primum: quia vel DEUS vult in omni cauſa legem ſuam obtinere vel non vult? ſi vult: fruſtra legis vinculo ab humana poteſtate exuitur, qui divina poteſtate manet ligatus. Si non vult: ſuperflua & nugatoria eſt diſpenſatio, utpote quæ legis obligationem præſupponit: non ſecundum: nam datâ vel ſemel diſpenſatione recludetur janua mille diſpenſationes indulgendi, & ſic neque unitas Eccleſiæ in præceptorum & doctrinæ unione concors perennare, neque divina lex ad finem mundi durare poterit.

Contrariam tamen ſententiam tenent Panormitanus *in c. 4. de Conceſſ. præbend. n. 20.* Felinus *in c. quæ in Eccleſiarum. 7. de Conſtit. n. 19. & ſeqq.* Decius *ad idem cap. n. 25. & ſeqq.* Sanchez. *lib. 8. de Matrim. diſput. 6. n. 5. & 6.* & alii ab his relati, cum quibus:

Objicies. 1. *Matth. 16.* abſoluta & illiminata poteſtas ſummo Pontifici conceditur, quodcunque vinculum aut ligamen diſſolvendi; ergo etiam vinculum juris divini Pontifex diſſolvere poterit. 9

Reſp. *cit.* textum probare nimium, totam videlicet legis Evangelicæ ſummam Pontificiâ poteſtate ſubverti poſſe, quod nec adverſarii admittunt, nec ſalvâ fide admittere valent; probat ergo nihil quoad intentum contrarium, ſed ſolummodò commonſtrat ea, quæ fiunt à Pontifice circa propriam materiam in terris, rata & grata haberi in cœlis; propria verò materia non ſunt conſtitutiones & ordinationes divinæ, ſed actiones hominum vo-

luntariæ, circa quas tam amplâ potestate gaudet summus Pontifex, ut earum obligationes non tantùm in foro fori, sed etiam in foro poli aut ligare aut solvere valeat.

Objicies. 2. *c. 2. de translat. Episc.* Innocentius III. dilucidè proponit, matrimonium quod est Episcopum inter & Ecclesiam, jure divino colligari; & tamen expresse fatetur, Apostolicæ sedi potestatem adjacere tale matrimonium dissolvendi.

Resp. Spirituale matrimonium, quod habet Episcopus cum suâ Ecclesiâ mediatè solùm & originaliter, non formaliter & immediatè à DEO stabilitum esse, in quantum Ecclesiæ facultatem disponendi de Episcoporum & Prælatorum juribus & obligationibus concessit.

2. Transmisso hoc, quod matrimonium inter Episcopum & Ecclesiam à DEO vinculum indissolubile nactum sit, quia verò non minùs, quam matrimonium carnale ratum libero humanæ voluntatis consensu perficitur, hinc indirectam & materialem mutationem à summo Pontifice, cujus dispositioni materia subjacet, faciendam admittit.

Objicies. 3. Ex praxi & consetudine Ecclesiæ habetur, quod in matrimonio rato, voto, juramento, aliisque obligationibus jure divino constitutis summus Pontifex dispenset. Ergo.

Resp. Vota, juramenta matrimonia &c. obligant quidem jure divino & naturali, sed conditionatè, suppositâ nempè voluntate, quatenus ab Ecclesia acceptata & non irritata est.

Objicies. 4. Benignissimus DEUS Ecclesiæ suæ illam potestatem tribuisse censetur, quæ moraliter erat necessaria ad rectam & conveni-entem fidelium gubernationem, nam casus aliquoties evenit, & deinceps evenire potest, in quo dispensatio in jure divino petita, ad majus Ecclesiæ bonum procurandum vel ad majus malum evitandum erat necessaria. Ergo.

Resp. N. antec. Lex enim divina cum à legislatore omnium futurorum præscio lata fuerit, in nulla circumstantia non obligabit, quæcunque autem Ecclesiæ utilitas ex dispensatione promanatura asseratur, ea nequibit præponderare majori incommodo, quod ex liberâ dispensandi facultate timendum foret.

Porro de Epikia in jure divino, servata proportione erit idem judicandum, quod paulò superiùs de jure naturæ dictum est; id solum advertendum est, Epikiam impropriam seu potius interpretationem authenticam juris divini ad officium summi Pontificis spectare.

Quæres. 4. *An summus Pontifex* 10 *habeat potestatem immutandi, corrigendi, aut abrogandi leges Civiles & quando?*

Resp. Affirmative: Scilicet tunc, quando

quando agitur de peccato, totiusque Ecclesiæ bono, poterit summus Pontifex legibus civilibus derogare, principes coercere per censuras &c. & ita *indirectè*, *& extraordinariè*, & veluti *casualiter* leges civiles tollere vel in totum, vel secudum quid, prout salus animarum & Ecclesiæ commune bonum exposcet, quod satis colligitur ex *c. 34. de Elect. c. 13. de judic. c. 5. & fin. de præscript. c. 6. de vot. Extravag. 1. de Major. & obed. inter commun.* & constat ex perpetua Ecclesiæ praxi.

11 Corollarium 1. Summus Pontifex potest relaxare juramenta ex justa causa & cessante præjudicio tertii; siquidem si juramentum in favorem tertii præstitum sit, id ne summus Pontifex relaxare potest, absque illius, cui præstitum est, consensu, nisi relaxationem postulet, vel bonum commune Ecclesiæ vel delictum promissarii, vel gravis injuria, quam passus est jurans. Layman. *Theol. moral. lib. 4. tract. 3. c. 11. n. 5.*

Corollarium 2. Papa dissolvit 12 matrimonium ratum non consummatum, ut communiter notatur *in c. commissum de sponsal. & matrim.* & *in c. ex publico de convers. conjug.* 2. Etiam quandoque consummatum, videlicet inter infideles, cum alter conjugum ad fidem convertitur, & alter renuit secum habitare, sine contumelia creatoris *c. quanto. de divort.* tametsi inter eos verum sit matrimonium, eisque dictum fuerit à Domino, *quos DEus conjunxit &c. c. de infidelibus. de convers. Conjug.* & hoc casu etiam dissolvit matrimonium carnale consummatum, altero conjuge quamvis invito.

3. Papa dare potest facultatem omnibus personis sanguine conjunctis in ordine ad matrimonium, inter patrem tamen & filiam aut matrem & filium nequit validum reddi authoritate Pontificiâ. S. Thom. *in 4. sentent. dist. 40. quæst. 1. art. 3.* Fagnanus *c. vir qui de Consang. & Affinitat. n. 35.* aliique ab eo relati. &c.

§. III.

DE POTESTATE SUMMI PONTIFICIS CIRCA BENEFICIA ET DIGNITATES ECCLESIASTICAS.

SUMMARIA.

1. *Ad quem spectet de jure communi potestas conferendi beneficia Ecclesiastica?* 2. *Quæ beneficia sint de jure communi reservata summo Pontifici?* 3. *Quid sit beneficia vacare in curia?* 4. *Regulæ Cancellariæ quæ dicantur?* 5. *Quæ beneficia summo Pontifici reserventur ex regulis Cancellariæ?* 6. *Quid veniat sub nomine concordatorum Germanæ?*

7. Quæ beneficia summo Pontifici reserventur per concordata. 8. An liberæ collationi Pontificiæ reservatæ sint prælaturæ, quarum vacantia ob crimen ipso facto inducitur, per legem communem in corpore juris clausam. 9. An Decanatus Cathedralis summo Pontifici reservetur, quando à Decano in Episcopum electo ante confirmationem resignatur. 10. Quinam sint menses papales. 11. An sede papali vacante incipiat aliquod beneficium vacare, illud censeatur reservatum? 12. An per concordata Germaniæ censeatur abrogatum c. 3. de præbend. in 6. 13. Ponuntur objectiones.

Sicut summus Princeps in republica civili & politica confert dignitates & bona vacantia politica, ita non immeritò quæritur, quas dignitates & beneficia Ecclesiastica summus Pontifex queat indulgere. 2. Sicut præterea certa regalia Imperatori reservata, ita quæri potest, quorum beneficiorum collatio sit reservata summo Pontifici?

1 Ex jure communi liberrima quarumcumque dignitatum collatio summo Pontifici competit, huic enim tanquam supremo rerum spiritualium dispensatori illimitata potestas circa beneficia disponendi ex officio & natura summi præsulatûs est permissa; hic enim, sicut ab initio nascentis & adolescentis Ecclesiæ, antequam beneficia & beneficiati in tantum numerum excrescerent, solus beneficia conferre consuevit; sic etiam, postea quam jus conferendi communicavit aliis, nihilominus plura beneficia suæ collationi reservavit, quin & absolutum jus circa beneficia in casibus urgentis necessitatis vel utilitatis disponendi, nec abdicavit, nec abdicare potuit *c. 2. de præbend. in 6. Clement. 1. ut lite pendent.*

Quæres. 1. *Quæ beneficia de jure communi sint reservata summo Pontifici?* 2

Resp. Sequentia: & quidem primo, *in c. 2. c. 3. de præbend. in 6. Clement. 1. eod.* Reservantur beneficia, quæ vocant *apud sedem Apostolicam*, vel *in curia*; nonnulli quidem cum P. Reiffenstuel. *ad tit. de præbend. n. 434.* putant inter hæc duo: vacare *apud sedem*, & *in curia* differentiam intercedere, verum attento jure communi, probabilius nulla est differentia, sed ut patet *ex cit. c. 2. Extravag. 4. de Elect. inter commun.* pro synonimis accipiuntur. Glossa *in cit. c. 2. verb. curia.*

Adeoque in curia vel apud sedem dicuntur vacare beneficia, quorum vacatura Romæ inducitur, vel quia beneficiatus, dum in curia Romana (cujus nomine intelligitur locus, in quo causarum & litterarum Apostolicarum est audientia & expeditio) morabatur, aut ibidem aut in discessu in loco vicino intra duas diætas legales seu intra iter bidui mortuus est; vel quia beneficiatus in manus Papæ suum beneficium resignat, vel quia aliàs authoritate Pontificis vacatura con-

contingit, *d. extravag. 4 de Elect. inter commun. Extravag. 13. de præbend. inter commun.* Secundò *in Extravag. Execrabilis Joannis XXII. d. t.* reservantur beneficia, quæ vacant per retentionem primi, quando enim is, qui secundum Beneficium incompatibile cum primo pacificè accipit, & illud una cum primo, quo ipso jure privatus est, retinere contendit, privatur etiam secundo, idque reservatum efficitur in *cit. Extravag.* An vero primum beneficium etiam fiat reservatum, incertum est. Negativa tamen videtur melior, eo quod nec ante illam Extravagantem fuerit reservatum, juxta *cap. 28. d. t.* nec post Extravagantem. *c. licet Episcopus. 21. d. t. in 6.* nec in ipsa Extravagante: ubi Joannes XXII. jubet ut beneficia talia in manibus ordinariorum dimittantur. Barbosa *in collect. ad cit. Extravag. n. 10.* Pirrhing. *ad d. t. n. 154.* & licet verba *d. Extravag.* sint ampliora ac *omnia & singula beneficia vacatura (ut præmittitur) vel dimissa, sedis Apostolicæ* dispositioni reserventur, attamen ad evitandam jurium correctionem (de qua nulla *ibid.* fit mentio) & salvandam concordiam inter verba antecedentia & consequentia, ad solum beneficium secundum restringi debent.

Tertio *in Extravag. ad Regimen 13. d. t. inter commun.* reservantur plurima beneficia. 1. vacantia per depositionem, privationem, translationem, consecrationis susceptionem, electionis aut postulationis cassationem, muneris renunciationem, authoritate Apostolica inductam. 2. Vacantia per obitum Cardinalium, Legatorum & aliorum sedis Apostolicæ officialium. 3. Vacantia per quamcumque promotionem ad majores dignitates, Patriarchalem, Archiepiscopalem, Episcopalem, Abbatialem authoritate Pontificiâ factam, postquam sic promoti pacificam possessionem sunt adepti; ex quo infert P. Engel *ad tit. de præbend. n. 15.* Episcoporum titularium tantùm, qui à summo Pontifice pro suffraganeis aliorum cum assignatione Diœcesis cujusdam in partibus infidelium, creantur, beneficia non esse reservata, eo quod pacificam possessionem cum jure actuali percipiendi fructus non consequantur.

Quæres. 2. *Quænam beneficia per regulas Cancellariæ sint reservata?*

Nota. Regulas Cancellariæ nihil aliud esse, quam constitutiones, quas circa causas beneficiales aut judiciales summi Pontifices vel initio sui regiminis de novo condere, vel jam antea conditas à prædecessoribus innovare & augere solent. Unde variant in numero & ordine, & quæ forte apud hunc Pontificem erat secunda, apud alium est tertia. Regulas à SS. D. N. D. Clemente XI. divinâ providentiâ modo regnante Pontifice editas exhibet P. Reiffenstuel *ad tit. de præbend. pag. 183. & seqq.* 4

Nota. 2. Has regulas ex communi Canoniſtarum, veris equidem legibus accenſeri, ſed reſtrictim ad vitam Pontificis, nam ſede papali vacante nullam vim obligandi obtinent. Gonzalez. *ad regul. 8. Cancell. proœm.* §. 5. *n* 5.

Nota. 3. Ejusmodi regulas juxta ſuperius *dd.* non obligare in noſtris partibus, ideoque ut praxis demonſtrat illas accuratiùs Romæ, quam in Provinciis obſervari.

Nota. 4. Modernus ſummus Pontifex *in reg.* 71. declaravit, quod per quamcunque amplam & largam conceſſionem aut derogationem nolit regulis Cancellariæ derogare, niſi facta fuerit de illis expreſſa mentio. Reiffenſtuel *cit. l. n.* 492. *& ſeqq.*

5 Reſp. 1. In regula II. Cancellariæ reſervantur omnes Eccleſiæ Patriarchales, Primatiales, Archiepiſcopales, Epiſcopales, nec non omnia Monaſteria virorum, valorem annuum ducentorum florenorum auri communi æſtimatione excedentia &c. item dignitates & beneficia omnia ad collationem, præſentationem, electionem & quamcunque aliam diſpoſitioem Patriarcharum, Primatum, Archi-Epiſcoporum, Epiſcoporum, Abbatum ac aliorum quorumcunque collatorum & collatricum ſæcularium & regularium (non tamen ad collationem cum alio vel aliis, aut etiam ad alterius præſentationem vel electionem pertinentia) quæ poſt illorum obitum, reſignationem, privationem vel aliàs quomodocunque vacaverint, usque ad proviſionem ſucceſſorum Apoſtolicâ authoritate faciendam, & adeptam ab eisdem ſucceſſoribus pacificam illorum poſſeſſionem.

Reſp. 2. In regula III. extenditur & ampliatur *d. extravagans Execrabilis*, ac prohibetur, ne qui ſecundum beneficium incompatibile cum priori accepit, illud in fraudem Apoſtolicæ reſervationis, nulla de eo facta mentione, reſignare præſumat.

Reſp. 3. In regula IV. reſervantur dignitates majores poſt pontificales in cathedralibus, Metropolitanis & Patriarchalibus, nec non dignitates Principales, valorem decem Florenorum auri communi valore excedentes in collegiatis Eccleſiis, item Prioratus, Præpoſituræ, ac aliæ dignitates conventuales & præceptoriæ generales ordinum quorumcunque, ſed non militarium, &c item quæcunque beneficia, quæ ſui (id eſt Papæ) dum Cardinalatûs fungebatur honore, aut aliorum S. R. E. Cardinalium familiares & continui commenſales obtinent, & impoſterum obtinebunt, eorum familiaritate durante, ſeu ad quæ jus eis competiit aut competierit, etiamſi ab ipſa familiaritate receſſerint. &c.

Reſp. 4. In regula VIII præter beneficia & Canonicatus Eccleſiarum S. Joannis Lateranenſis & S. Petri ac B. Mariæ Majoris, in urbe Romana, reſervantur beneficia

quæ-

quæcunque ad dispositionem Cardinalium à Romana curia absentium (nisi ob servitium sedis Apostolicæ cum licentia abfuerint, aut in propriis Ecclesiis resederint) spectantia, ac durante absentia vacatura.

Resp. 5. In regula IX. quæ antiquitus erat VIII. atque ab Hieronymo Gonzalez. insigni commentario fuit illustrata, reservantur omnia beneficia qualitercunque qualificata, in Januario, Februario, Aprili, Majo, Julio, Augusto, Octobri & Novembri, aliter quam per resignationem quomodocunque vocatura, ad quorumcunque dispositionem (non tamen Cardinalium aut aliorum sub certis concordatis comprehensorum) pertinentia &c. Episcopis tamen, qui residerint in sua Ecclesia, alternativa mensium in collatione indulgetur.

Resp. 6. In regula LXIII. reservantur omnia beneficia aliàs per regulas Cancellariæ reservata, quæ vacarunt sede Papali vacante, si de illis per ordinarios collatores, uti potuisset, interea non sit facta provisio.

Sunt porro & aliæ reservationes in regulis Cancellariæ comprehensæ, quas tamen enumerare supersedeo, quia in nostra Germania non vigent aliæ reservationes, ac quæ in concordatis Germaniæ continentur, & quæ in hisce concordatis comprehensa non sunt, in Germania pro reservatis non habentur.

Quæres. 3. *Quænam beneficia per concordata Germaniæ sint reservata?*

Nota. 1. Concordata Germaniæ esse pactionem solemnem inter Nicolaum V. Pontificem maximum, ex una, & Imperatorem Fridericum III cæterosque Germaniæ Proceres, tum Ecclesiasticos tum sæculares ex altera parte, de dignitatibus & præbendis Ecclesiarum Germaniæ conceptam, ad bonum & tranquillitatem nationis Germanicæ, cum enim continuæ quasi lites & discordiæ circa beneficia & dignitates ecclesiasticas ob tam multas summorum Pontificum reservationes emergerent, anno 1497. pro majori pace & unione Germanorum cum sede Romana, quædam concordata seu articuli super reservatione beneficiorum communi consensu sunt conditi, ut patet ex constitutione Nicolai V. quæ incipit: *ad sacram Petri sedem §. nuper. 1.* 6

Nota. 2. Nicolaum V. *in cit. Bulla. §. placet etiam. 4. in fine* & *§. placet similiter. 5. in fin.* asseverasse, quod eadem concordata semper sint duratura, nisi in futuro concilio de consensu nationis Germaniæ aliter fuerit ordinatum; unde deducitur per bullas & novas constitutiones summorum Pontificum non facile derogari concordatis, prout constat ex bulla Pauli V. quæ incipit: *ex Pastoralis* & Gregorii XIII. *in quadam constitutione de die 6. Junij 1572.* tum, quia sic Pontifex qua talis, nomine dignitatis suæ, quasi stipulato promisit; tum quia pacta & pactata

pactata anteceſſorum ligant etiam ſucceſſores, ſi propter bonum publicum cum aſſenſu eorum, quorum intereſt, fuerint inita. P. Engel *ad cit. tit. de præbend. num. 54.* D. Franciſc. Schmier. *tract. de perſon. reb. & jur. Eccleſ. part. 2. c. 3. ſect. 5. §. 3. n. 188.*

Quamvis de plenitudine poteſtatis ob cauſam utilitatis vel neceſſitatis publicæ negari non poſſit, quin ſummus Pontifex concordatis valeat derogare, cum eam poteſtatem abdicare nec potuerit, nec voluerit; uti conſtat *ex d. Conſtit.* Nicolai §. *item placet.* 3. *poſt initium*, ubi ſummus Pontifex ſpondet ſe electiones canonicas confirmaturum, niſi ex rationabili & evidenti cauſa de fratrum ſuorum conſilio de digniori & utiliori perſona duxerit providendum.

7 Reſp. In concordatis juxta *citat.* conſtitutionem Nicolajanam renovantur & confirmantur reſervationes juris ſcripti *Extravagantis Execrabilis*, & *Extravagantis ad regimen*, ac 1. ante omnia reſervantur dignitates, quas poſſederunt ante obitum S. R. E. Cardinales. Textus eſt in concordatis §. *placet nobis*, conformiter ad *Extravagant. ad regimen. 13. de præbend. inter commun.* ſic poſtquam obiit ſereniſſimus Dux Philippus Epiſcopus Ratisbonenſis S. R. E. Cardinalis &c. Poſt deceſſum ejus Capitulum cathedrale proceſſerat quidem ad electionem Illuſtriſſimi D. Sigismundi Friderici Fugger, eam tamen ſedes Apoſtolica caſſavit atque propter ſingularia perſonæ merita non ratione electionis, ſed liberæ collationis eidem Sigismundo Epiſcopatum Ratisbonenſem conceſſit. Ad collationem Papalem ſpectant 2. dignitates per obitum alicujus officialis, vel etiam commenſalis Pontificii, puto Vice-Cancellarii, ſeptem Notariorum, Auditorum, Referendariorum & aliorum, qui recenſentur in concordatis *d. §. placet.* vacantes. Exemplum adducit Gregorius Branden. *in collect. ſuper concord. quæſt. 16. n. 5.* in Franciſco Crano Palatii Apoſtoli Auditore, cujus tres Præpoſituræ, quas in Diœceſi Leodienſi habebat, quamvis eſſent electivæ, à ſummo Pontifice poſt ejus obitum liberè ſunt collatæ.

Tertio pro libitu confert ſummus Pontifex Prælaturas apud ſedem & in curia vacantes, tales ſunt: Prælaturæ eorum, qui quorumcunque negotiorum cauſa ad curiam Apoſtolicam (cujus nomine probabilius intelligitur locus, in quo cauſarum & litterarum Apoſtolicarum eſt expeditio. Wieſtner. *ad tit. de præbend. n. 80.*) accedunt, vel ab ea recedunt, quando in curia vel extra curiam in loco ultra duas diætas ſeu iter biduanum non diſtante moriuntur *d. §. placet.* tales quoque ſunt Prælaturæ, quarum reſignatio fit in manus Pontificis, ſive reſignatio à Principali præſente ſive ab abſente per Procuratorem fiat. Covarruv. *practic. quæſt 36. n. 4.*

Gon-

Gonzalez. *ad regul. 8. Cancellar. Gloss. 12. §. 4. n. 42.* P. Engel. *ad tit. de præbend. n. 9. in fin.* P. Pirrhing. *eod. tit. n. 360.*

Quartò liberam collationem habet ſummus Pontifex in Prælaturis per depoſitionem, privationem & translationem authoritate ſedis Apoſtolicæ factam, vacantibus; *d. §. placet.* hac de cauſa ſuperioribus annis Capitula Cathedralia Friſingenſe & Ratisbonenſe Eccleſiis ſuis per Sereniſſimi Principis Clementis Epiſcopi ad Leodienſem Eccleſiam translationem vacantibus, & propterea reſervatis, ad Epiſcopi novi electionem non potuiſſent procedere, niſi ex ſpeciali ſedis Apoſtolicæ gratia eligendi facultatem impetraſſent.

Quintò. Sub liberam collationem veniunt dignitates, quas authoritate Apoſtolicâ promoti ad Epiſcopales, Archi-Epiſcopales, & Patriarchales Eccleſias, nec non regimina Monaſteriorum, poſſidebant *dict. §. placet*; neque attenditur an ejus generis dignitates per electionem præviam delatæ ſint, ſi modo confirmatio ad ſedem Apoſtolicam ſpectet, quia vacare cenſetur non à tempore factæ electionis, ſed impetratæ confirmationis. Wieſtner *de præbend. n 92.*

Sextò. Liberè conferuntur Prælaturæ tum Abbatiales, tum Epiſcopales, quarum confirmatio ad ſedem Apoſtolicam pertinet, quando electio vel poſtulatio aut debito tempore, non eſt celebrata, aut contra formam præſcriptam inſtituta, aut ab indignis vel de indignis formata; ideoque à ſede Apoſtolica caſſata & reprobata eſt. *Concordat. §. idem placet.* P. Pirrhing. *ad tit. de præbend. n. 360.*

Septimò. Collationi Papali ſubjacet in Eccleſiis Cathedralibus & Collegiatis major dignitas, poſt principalem. *Concordat. §. de cæteris.* Qualis ex hodiernis Germaniæ moribus in Eccleſiis Cathedralibus eſt Præpoſitura, in Collegiatis Decanatus, niſi forte & Præpoſitura ex ſpeciali indulto ſit electiva.

Dubium eſt, *an liberæ collationi Pontificiæ reſervatæ ſint Prælaturæ, quarum vacantia ob crimen ipſo facto inducitur, per legem communem in corpore juris clauſam?*

Reſp. Si Prælatura ipſo jure propter crimen ſimoniæ *v. gr.* aut hæreſis dicitur amitti, uti in textu *c. 9. de hæret. Extravag. 1. & 2. de Simoniæ inter commun.* ac ſententia declaratoria criminis, quæ præcedere debet antequam pœna per legem dictata locum habeat in conſcientia, feratur ab ipſo ſummo Pontifice, ejus curiâ vel Nuncio, prælatura ſic amiſſa collationi Pontificiæ reſervatur. Deducitur hæc Reſponſio evidenter ex concordatis §. *placet*, ubi Pontifex omnes per depoſitionem privationem per ſe vel ſua authoritate factam vacaturas, ſuæ diſpoſitioni reſervat. Si verò ſententia declaratoria ab ordinario Epiſcopo vel Archi-Epiſcopo feratur,

tur, amissæ Prælaturæ non reservantur, sed electivæ persistunt.

Ratio est, quia exceptio firmat regulam in casibus non exceptis; hocque præprimis accidit in concordatis Germaniæ, ubi *in* §. *cæteris*, disertè promittit Pontifex, quod ultra casus expressos nulla alia reservatio valeat. Atqui in concordatis solæ illæ reservantur Pontifici, quarum privatio sede Apostolica inducitur; ergo si hæc privatio authoritate ordinarii Episcopi vel Archi-Episcopi inducatur, Prælatura non erit reservata.

Opponit Branden *ad Concordat. quæst. 10. num. 8.* contrarium esse stylum curiæ. 2. Bullam Sixti V. quæ incipit Pastoralis. 3. Quod per concordata censeantur esse reservata beneficia, quorum privatio Romæ inducitur, sicque & illa, quæ vacant ob crimen, cui lex Romæ constituta, privationem imposuit.

Resp. ex P. Engel *ad tit. de præbend. sub n. 18.* quod videlicet stylus sit aliquid facti, adeoque probari debeat: 2. quod Bulla Sixti V. sit declaratoria concordatorum Galliæ, ac nomine relaxationis, vi cujus beneficia per confidentiam Simoniacam accepta, à reservatione speciatim excipiuntur, non tam juris dispensationem quam explicationem intelligat. 3. Quod contra sensum concordatorum dicantur vacare beneficia per privationem Romæ inductam, quando non judex sed lex Romæ lata sententiam dictat, quippe cum aliàs plurima beneficia forent reservata, quæ tamen reservata non sunt.

Dubitatur 2. *An Decanatus Cathedralis summo Pontifici reservetur, quando à Decano in Episcopum electo ante confirmationem resignatur.* 9

Affirmativam tenent Branden *ad Concordat. quæst. 7. n. 2. & quæst. 9. n. 2.* Wagnerek. *ad Regul. 26. Cancellariæ* §. *ad hujus.* Cockier. *ad eand. n. 24.*

Rationes sunt 1. quia in *Concordat.* §. *placat.* expressè reservantur dignitates, quas habent promoti ad Episcopatus, cui reservationi officere nequit facta resignatio à promotis, cum in fraudem conventionis & legis publicæ fiat. 2. Quia in *cit. reg.* Cancellariæ prohibentur & irritantur omnes resignationes dignitatum & beneficiorum, quæ promoti ad prælaturas quasvis faciunt post electionem, ante impetratam confirmationem, indeque inferri videtur, quod primum incipiant vacare post diem confirmationis, fiantque Pontifici reservata.

Resp. Negative. Flaminius *lib. 3. de resignat. quæst. 6. n. 91.* P. Engel. *ad tit. de præbend. n. 37.* P. Wiestner. *ibid. n. 99.*

Ratio 1. est, quia concordata non reservant dignitates vel beneficia jam resignata, sed adhuc possessa tempore confirmationis, neque facere censetur in fraudem conventionis vel legis publicæ, qui jure resignandi, quod habet, utitur, præsertim cum aliquando possit rationabilis

nabilis occurrere resignandi causa, ut noviter electus Decanus | post discessum alterius ad aulam & administrationem, quam electus Episcopus in concordia nostris in partibus facere potest, munere suo statim fungatur. 2. Quia citata regula Cancellariæ non irritat resignationes, sed dignitatum resignatarum provisiones vel collationes ab alio, quam summo Pontifice faciendas, ergo resignatio est valida, nec dignitas resignata obnoxia reservationi, cum secundum concordata non reputentur reservata beneficia, quæ quis tempore promotionis seu confirmationis Apostolicæ non amplius habet; & quia hæc regula posterior est concordatis, illis tamen non derogat, eo quod Pontifex in fine diserte spoponderit, quod derogare non velit. 3. Quia decisioni rotæ, quæ ab AA. primæ sentiæ allegatur, contrariam adducit P. Engel *loc. cit.* ex Flaminio, eamque majori pretio habet, quod idem Flaminius Doctor Romanus, adeoque Romanæ praxeos peritissimus extiterit, atque insuper prior decisio de casu planè diverso, puta de præpositura Padibornensi, quæ velut prima dignitas post Episcopalem, abstrahendo à speciali indulto, per se reservata. est ex *dd.*

10 *Octavo.* Reservata sunt beneficia quæcunque vacantia in mense Januario, Martio, Majo, Julio, Septembri & Novembri, ita tamen, ut si intra tres menses à die vacationis notæ, in loco benficii non apparuerit, quod alicui de illo Apostolicâ authoritate provisum fuerit, ex tunc & non antea, ordinarius vel alius, ad quem illius dispositio pertinebit, de illo libere disponant *§. placet etiam.*

Dubitari potest 1. *An si sede Apostolicâ vacante aliquod beneficium incipiat vacare, illud censeatur reservatum?* Ubi

Notandum est 1. beneficia quæ apud sedem & in curia dicuntur vacare, etiam vacante sede Apostolica censeri reservata, eo quod eorum reservatio de jure communi sit perpetua. *c. 34. §. idem de præbend. in 6.* 2. Beneficia post obitum Cardinalium aliorumque sedis Apostolicæ officialium vacantia, itidem pro reservatis habentur, *d. Extravag. 14. de præbend. inter commun.* 3. Beneficia quæ per privationem, resignationem, cassationem, aut promotionem sedis Apostolicæ authoritate factam, sede vacante incipiunt vacare, pariter sunt reservata, non quidem ex naturâ suâ, sed per accidens, quia sede vacante Cardinales, ob defectum potestatis non possunt de eis disponere, privationem, resignationem, depositionem &c. admittendo; sed usque ad electionem novi Pontificis differre debent. 4. Beneficia curata in mense papali vel post mortem Pontificis vel jam ante mortem vacantia sed necdum collata, possunt ab ordinariis sede vacante pro libitu conferri *c. 35. de præbend. in 6.* igitur dubium procedit

cedit de aliis beneficiis non curatis, *v. gr.* Canonicatibus, an si sede vacante eorum vacatura incipiat in mense Papali, censeantur esse reservata?

12 Resp. Negativè. Ratio est, quia beneficia in regulis Cancellariæ reservata ante concordata non credebantur reservata, quando post obitum summi Pontificis inceperunt vacare. Ergo nec reservata creduntur post illius obitum. Partim quia concordata jus conferendi beneficia, quod habebant collatores Germaniæ, non effecerunt deterius, sed melius, partim quia ex testimonio aliorum DD. ordinarii extra Germaniam, ubi alia vigent concordata, conferunt beneficia sede Papali vacante, vacantia, partim denique, quia concordata cum beneficiorum collationem propius ad jus comune reducant, debent potius in favorem, quam in odium ordinariorum explicari. Cardinal. de Luca *de Benefic. disc. 27. n. 4.* Si forte

Dicas. Concordata sunt perpetua durantque semper, donec in futuro Concilio cum consensu nationis Germanicæ revocentur. Ergo etiam reservationes beneficiorum inibi contentæ sunt perpetuæ.

Resp. Dist. sunt perpetuæ subjectivè C. objectivè N. nimirum beneficiorum reservatio est perpetua, in quantum concordata, in quibus continentur, sunt perpetua, nec indigent ulla renovatione vel repetitione; at ipsa beneficia non sunt perptua reservatione affecta, sed desinunt esse reservata, si fiant vacantia sede papali vacante.

Dubitari potest 2. *An per concordata Germaniæ fuerit abrogatum c. statutum. 3. de præbend. in 6.* in quo Gregorius X in Concilio Lugdunensi generaliter concedit ordinariis collatoribus licentiam, beneficia in curia vacantia, & propterea summæ sedi reservata, post spatium unius mensis, à die vacaturæ, conferendi?

Resp. Negative. ita P. Engel. *ad tit. de præbend, n. 52.* P. Wiestner. *ad d. tit. n. 115.*

Ratio est, quia per dispositionem generalem non derogatur speciali, sine speciali illius mentione, atqui dispositio *dict. cap. statutum. 3.* est conciliaris & specialis, cum agat de solis beneficiis in curia vacantibus; dispositio è contra in concordatis est generalis, agitque in genere de beneficiis in mense Apostolico vacantibus, quod possint ab ordinariis post lapsum trium mensium conferri, imo supponit beneficia illa non esse alia quadam reservatione affecta, sicuti sunt affecta, quæ vacant in curia. Ergo &c.

Objicies 1. est eadem ratio quoad 13 beneficia apud sedem vacantia, & alias propter menses papales reservata, adeoque eandem dispositionem obtinere oportet.

Resp. Disparem rationem assignari posse ex eo, quod beneficia apud sedem vacantia facilius innotescant

teſcant ſummo Pontifici quam vacantia & reſervata ſolùm ob menſes papales, unde in his longius tempus, quam in illis ad faciendam collationem ab ordinariis, determinandum videbatur.

Objicies 2. *d. cap. ſtatutum* per *Extravagantem ad Regimen* eſt ſublatum, dum per hanc omnes conſtitutiones, quæ obſtant reſervationi beneficiorum in curia, abolentur, adeoque etiam per concordata in quibus eadem extravagans eſt recepta.

Reſp. *c. ſtatutum* non obſtare reſervationi, ſed reſervationem per illud ſolummodo modificari, adeoque nec per extravagantem ad regimen, nec per concordata ſublatum eſſe.

Dubitatur 3. An poſſit ordinarius poſt lapſum trium menſium ſtatim conferre beneficium, quod inceperat in mente papali vacare?

Rationem dubitandi præbet conſtitutio Gregorii XIII. quæ ſuper declaratione *cit. §. placet in concordat.* anno 1576. emanavit, dum improbat præproperas collationes beneficiorum in menſe papali vacantium. Verum quia mens Gregorii fuit, non tam collectiones per tres menſes inhibere, quam potius impedire, ne ſi intra tres menſes à ſummo Pontifice proviſum fuerit de beneficio, proviſus autem ob viarum & locorum diſtantiam in loco beneficii ſe ſiſtere nequiverit, excludatur, ſi poſt tres menſes ad primum ſe ſiſtat, hinc per ſe loquendo ordinarius ſtatim poſt tres menſes ad collationem procedere valet, etſi conſultius faciat, ſi inveſtituram corporalem ſeu immiſſionem in poſſeſſionem paulo longiùs differat, usque dum nempe de collatione papali certior notitia haberi poſſit. D. Franciſc. Schmier, *Tract. de perſ. & rebus Eccleſ. part. 2. cap. 3. ſect. 5. §. 3. n. 207.* & ab eo relatus Zypæus *ad tit. de præbend. conſult. 5. p. 133.* interim etiam proviſus à papa tenebitur iter maturare, ut ſi intra illos tres menſes nequeat attingere locum beneficii, ſaltem non diu poſt illos menſes compareat, alioqui ſi negligens fuerit, non quidem beneficio ſuo privabitur, cum hæc privatio nullibi legatur ſtatuta, ſed arbitrariè punietur. Branden *ad Concordat. quæſt. 12. notab. 2, n. 9.* P. Engel. *tit. de reſcript. num. 23.*

Porro hæc ſufficiant de poteſtate Pontificis circa beneficia & dignitates; quis confirmet, conſecret Archi-Epiſcopos, Epiſcopos, Abbates exemptos, quis erigere poſſit novos Epiſcopatus, ſequetur infra *diſſert. ult.*

§. IV.

QVAM POTESTATEM HABEAT SUMMUS PONTIFEX CIRCA RES ECCLESIASTICAS TEMPORALES, PIAS FUNDATIONES, TESTAMENTA AD CAUSAS PIAS ETC.

SUMMARIA.

1. Res Ecclesiasticæ mobiles pretiosæ vel immobiles sine consensu Pontificis nequeunt alienari. 2. Ab hâc regulâ quinam casus excipiantur? 3. adstruitur pœna temerè alienantium. 4. An consensus Papæ in alienatione prædictorum bonorum etiam intercedere debeat de consuetudine Germaniæ? 5. An summus Pontifex habeat potestatem bona sua uni Ecclesiæ auferendi aut alteri Ecclesiæ concedendi. 6. Referuntur argumenta sententiæ affirmativæ. 7. Adstruitur & probatur sententia negativa. 8. An summus Pontifex sine justâ causâ possit Episcopatum dividere? 9. Respondetur ad argumenta contraria. 10. Quæ dicatur Pontificis potestas ordinaria. 11. Quæ dicatur plenitudo potestatis. 12. Omnes piæ dispositiones subsunt summo Pontifici. 13. An legatum fiat caducum ex eo quod ad usum à testatore intentum nequeat applicari. 14. Quando testator legat alicui incapaci sub modo licito, & casu quo onera injuncta non impleantur, substituit alios, an tunc legatum possit à Pontifice in alios usus converti? 15. Quando testator legat sub modo illicito, quid agendum? 16. Quando legat alicui incapaci sub modo illicito, quid eo casu agendum sit. 17. An summus Pontifex sine consensu Cardinalium possit alienare bona immediatè spectantia ad sedem Apostolicam?

1 Quæres 1. *An sine consensu summi Pontificis possint res Ecclesiasticæ immobiles, fundi nimirum, districtus, territoria, validè alienari?*

Resp. Res immobiles vel mobiles pretiosæ Ecclesiasticæ, adeo subjectæ sunt reservationi pontificiæ, ut sine consensu Pontificis nequeant validè alienari. Fagnanus *ad c. nulli 5. de rebus Eccles. non alien. n. 12.* P. Engel. *n. 15. eod. tit.*

Prob. *per Extravag. ambitiosæ de rebus Eccles. non alien.* ubi Paulus II. prohibet omnium rerum & bonorum Ecclesiasticorum (scilicet immobilium & mobilium pretiosorum) alienationem, omneque pactum, per quod ipsorum Dominium transfertur, concessionem, hypothecam (scilicet specialem) locationem & conductionem ultra triennium, nec non infeudationem,

nem, contractum emphyteuticum, præterquam in casibus à jure permissis, ac de rebus & bonis in Emphyteusin ab antiquo concedi solitis, & tunc Ecclesiarum evidenti utilitate, ac de fructibus & bonis, quæ servando servari non possunt, pro instantis temporis exigentia, & innovat decreta & constitutiones prædecessorum super hoc editas, alienationes, hypothecas, concessiones locationes conductiones & infeudationes irritat, & contravenientibus pœnas imponit. Quare per dictam extravagantem omnis alienandi modus etiam in casu licito, & servatis juris solennitatibus regulariter prohibetur Papa inconsulto: Sed

Dices. In eadem extravagante apponitur exceptio illa: *præterquam in casibus à jure permissis*, sed in jure permissum est, ut ob evidentem Ecclesiæ utilitatem & ob alias causas ac servata juris solennitate fieri possit alienatio bonorum Ecclesiasticorum, ergo etiam post dictam extravagantem licebit res Ecclesiæ alienare in casu licito & cum debita solennitate, sicut licebat per antiquiores Canones.

Resp. Clausulam illam: præterquam in casibus à jure permissis esse referendam ad Emphyteusin duntaxat, non autem ad præcedentia; quod ex eo colligitur, tum quia illa clausula est posita in medio duorum capitulorum, quæ de Emphyteusi loquuntur, & consequenter referri debet ad solum contractum Emphyteuticum, non autem ad omnia præcedentia, tum quia secundò ille textus permittit concessionem emphyteuticam de bonis in Emphyteusin concedi solitis, & addit verba illa: *& tunc Ecclesiarum evidenti utilitate*, quæ verba fuissent superflua, si exceptio illa præterquam in casibus à jure permissis esset referenda ad omnem speciem alienationis, quia causa evidentis utilitatis est unus ex casibus permissis in jure, ut *c. sine Exceptione cauſ. 12. quæſt. 2.* Unde sensus extravagantis est, ut contractus emphyteuticus bonorum Ecclesiæ sine beneplacito Apostolico licitè fieri possit, si tres conditiones concurrant: si sit de casibus in jure permissis. 2. Si sit de bonis ab antiquo in Emphyteusin dari solitis. 3. Si subsit evidens Ecclesiæ utilitas tempore contractûs.

Alienatio igitur bonorum Ecclesiæ immobilium, vel pretiosorum mobilium prohibita est, etiam cum causa & solennitate sine beneplacito Apostolico, hæc tamen assertio & regula.

Fallit 1. ex *dd.* in contractu emphyteutico, concurrentibus tribus conditionibus.

Fallit 2. in bonis Ecclesiæ feudalibus, seu ab antiquo in feudum dari solitis, possunt enim infeudari, non obstante juramento de non infeudando, Romano Pontifice inconsulto, ut est casus *in c. ex parte de feudis.* 2

Fallit

Fallit 3. in fructibus & bonis, quæ servando servari non possunt, pro instantis temporis exigentia, quæ exceptio similiter habetur in prælegata *Extravag. ambitiosæ*, tales autem dicuntur res mobiles, quæ non durant triennio, vel usu absumuntur, vel non fructificant. *arg. l. lex quæ tutores §. fin. C. de administrat. tut.* Fagnan. *loc. cit. aliique* ab eo relati.

Fallit 4. In terrulis & vineolis, quæ de consensu Episcopi alienari possunt sine solennitate. *c terrulæ cauſ. 12. quæſt. 2.* Rebuff *in Compend. alienat. n. 172.*

Fallit 5. In alienatione necessaria, quæ fit ex necessitate juris, eo quod jus præcipiat illam fieri, in ea enim non requiritur solennitas requisita in alienatione rerum Ecclesiæ, secus si fiat voluntate, licet ex causa necessitatis vel utilitatis Ecclesiæ. Anton. de Butr. *in c. pastoralis n. 11.* Abbas *ibid. 5. de his quæ fiunt à Prælatis sine consens. capit.* & ita servatur in curia, ideoque à S. congregatione Concilii Trident. responsum est, valere legatum immobilium fratribus minoribus sub modo licito, nempe ut vendant & pretium convertant in usum fabricæ vel sacristiæ, & idem si factum fuerit simpliciter, quia sub modo licito factum, intelligitur *c. exiit qui seminat. §. ad hæc. de V. S. in 6.* nec in hujusmodi alienatione opus est solennitate, quia fit ex juris præscripto. Fagnan. *loc. cit. n. 28.*

Porro juxta *d. Extravag. ambitiosæ de reb. Eccles. non alien.* in alienantes bona Ecclesiæ inconsulto Pontifice pœnæ sequentes sunt statutæ. 1. Est nullitas contractûs, qui tamen si aliàs Ecclesiæ sit utilis, cum nullitas proveniat ex defectu solennitatis, potest Ecclesia illum approbare & ratificare, nec ab eo receditur, nisi volente Ecclesiâ. Abbas *in c. causam. 2. de judic.* Jason *in l. 3. C. de procurat.* Put. *decis 3. & 4. de Except.* 2. Pœna est excommunicatio latæ sententiæ in alienantes, bona alienata recipientes. 3. interdictum ingressus Ecclesiæ Episcopis & Abbatibus, qui si sex mensibus in interdicto perseverarint animo indurato, à regimine & administratione Ecclesiæ cui præsunt, eo ipso sunt suspensi. 4. Inferiores Prælati eo ipso privati sunt beneficiis, quorum bona alienarunt. 5. Bona alienata ad Ecclesiam, ad quam pertinebant; libere revertuntur. Ultimo alienantes bona Ecclesiarum immobilia incidunt in pœnam constitutionis Leoninæ, quæ habetur *in L. jubemus. C. de SS. Eccles.* cujus pœna est depositio alienantis, & satisfactio incommodi Ecclesiæ de rebus propriis facienda, ad quod obligantur hæredes sui, & cum ea constitutio Leonis esset localis, per Justinianum extensa est ad omnes Ecclesias & omnia pia loca *c. 1. & c. 7. Novell. 7.*

Vera sunt hæc de puncto juris, attamen de consuetudine præsertim in Germania & locis remotis, unde difficilis aditus ad Papam est, *d. Extra-*

Extravagantem receptam non esse, saltem quoad hoc ut etiam inferiores Prælati Episcopis subjecti teneantur in alienationibus consensum Papæ & non Episcopi requirere, attestatur P. Engel *n. 15. de reb. Eccles. non alien.* & ab eo relatus Zypæus *in Analysi Juris Pontif. d. tit. num. 2.*

Porro *d. Extravagantem* adhuc obtinere quoad notabilium prædiorum, integrorum monasteriorum, Ecclesiarum, Episcopatuum, translationem & alienationem, indubium est, quapropter Pontifex nunquam adhuc consensit in alienationem Monasteriorum, & Episcopatuum ratihabitione etiam statuum Imperii ad manus sæculares translatorum.

5 Quæres 2. *An summus Pontifex habeat potestatem bona immobilia aut mobilia pretiosa ab una Ecclesia auferendi & alteri concedendi.*

Quæstio hæc coincidit cum illa: An summus Pontifex possit monasterium ordini cuidam auferre, & alteri concedere *v. gr.* extinguendo religiosos unius ordinis & instituendo ibidem alterum ordinem; item an possit Ecclesias Cathedrales vel Collegiatas transferre ad regulares & vicissim?

Prima sententia hanc quæstionem affirmans his nititur rationibus: 1. sicut Imperator potest auferre rem privati, & dare militibus pro præmio *L. item si verberatus. ff. de R. V.* ita & multo magis Papa potest auferre rem unius Ecclesiæ vel Clerici & dare alteri, etiam sine justa causa; & quamvis injustè agat; tamen ferendum, nec quisquam potest ei dicere: cur ita facis? *c. in memoriam. dist. 19. c. ex persona de pœnit. dist. 3.* tum quia nulla persona ecclesiastica habet dominium utile vel directum in suo beneficio sive sæculari sive regulari, sed est constitutus procurator & administrator à Papa; quo argumento utitur Paulus de Castro *lib. 1. Consil. 415. in facto præs. num. 4. vers. præterea* & idem *lib. 2. cons. 46. in fin. vers. plus videtur. n. 3.*

Secundò omnia beneficia mundi sunt obedientialia & manualia respectu papalis potestatis. Quod fuit celebre dictum Baldi *in l. rescripta. 8. v. item omnia beneficia mundi C. de precib. Imperat. offerend.* quem secuti sunt Alciatus *de præsumpt. reg. 3. præsumpt. 8. num. 3.* & dictum Baldi videtur probari *in c. si gratiose de rescript. in 6.* per quem textum dicit ibi Gemin. *in penult. col.* Papam in titulis beneficialibus habere pro ratione voluntatem, & posse ad libitum auferre prælato titulum beneficii, & idem dicit *in Consil. 88. incipien. Innocentius Papa in princ.* ibi: *Unde cum Papa possit removere beneficiatos quoscunque à titulis suorum beneficiorum, etiam nulla causa legitima subsistente.*

Tertio Papa habet (præsertim in beneficialibus) plenitudinem potestatis, cum sit supra omne jus humanum positivum *c. proposuit de Conces. præbend.* Unde in his absolute

lute potest omnia *c. 2. de præbend. in 6. Clement. 1. ad fin. ut lite pendent.* & qui de hoc dubitat, dicitur dubitare de fide Catholica, & tanquam sacrilegus est censendus, ut in terminis ait Baldus *lib. 1. consil. 477. n. 1.* quem sequitur Alexand. *lib. 1. consil. 2. n. 19.*

Quartò. Titulos beneficiales, & signanter Patriarchatus Archi-Episcopatus, Romana fundavit Ecclesia. ut est textus *in c. 1. & c. 2. dist. 22. c. olim dist. 95.* & patet ex decretali Epistola Eugenii IV. ad Episcopum Cantuarienſem, quæ incipit: *Non mediocri. §. quod vero dignitas* & habetur in Bullario *tom 1. pag. 282.* late Præpos. *in summa dist. 44.* ergo potest Episcopos à suis titulis & administrationibus pro libitu voluntatis amovere; quippe ad quem spectat institutio, ad eundem & destitutio spectabit *c. in Lateranensi §. 1. & 2. de præbend.*

Quintò. Inferiores sacerdotes possunt etiam inviti ex una ad aliam Ecclesiam transferri à suis Episcopis. *c. quæsitum de rer. permut.* Glossa *in c. omnes in verb. coactè cauſ. 7. quæst. 1.*

Sextò. Papa potest in uno Episcopatu duos Episcopatus constituere *c. non autem cauſ. 7. quæst. 1.* ubi hoc fuit gestum in persona Augustini, qui non successit, sed accessit Valerio adhuc viventi, nec fuit deputatus simplex Coadjutor, sed verus Episcopus, ut ibi legitur & notatur. Item potest summus Pontifex unire duos Episcopatus, aut unum in plures dividere *c. & temporis cauſ. 16. quæst. 2. c. sicut unire de exceſſ. prælat.* atque ita poterit summus Pontifex Ecclesias dividendo, uniendo, immutare, & consequenter bona unius Ecclesiæ sive immobilia sive mobilia pretiosa ab una auferre & alteri concedere.

Resp. Summus Pontifex sine ra- 7
tionabili causa non potest rem temporalem sive mobilem pretiosam sive immobilem uni Ecclesiæ auferre & alteri concedere. S. Thomas *in 2. 2. quæst. 100. n. 1. ad 7.* Cardinalis Cajetanus, Ulricus de Argentina Alberti Magni auditor *in sua summa Theologiæ*, Cardinalis Turrecremata & Præpos. *in c. latorem. cauſ. 1. quæst. 1.* Fagnanus *in c. quanto. n. 70. num. 83. 84. & 85. de translat. Epiſc.*

Prob. 1. *per c. Ecce. c. nullus dist. 99. c. de Eccleſiaſticis. cauſ. 25. quæst. 2. c. conqueſtus, c. nunc vero. c. per principalem. cauſ. 9. quæst 3.* & ratio est, quia Papa non est absolutè dominus bonorum Ecclesiæ, sed dispensator, ergo nequit pro libitu & sine justâ causa res suas uni Ecclesiæ auferre, & alteri concedere. quod eleganter exprimit *c. conquerente de reſtit ſpoliat.* ibi: *Non decet honestatem superioris sine manifesta & rationabili causa aliquem à suis beneficiis amovere, imo tenetur illis paterna provisione consulere.*

Aud. *cit.* Cardinalem Cajetanum *in 2. 2. quæst. 100. art. 7. Divi Thomæ*, ubi ait: Nota tertio, quod cum potestas papæ quoad res temporales

Ecclesiæ

Ecclesiæ sit potestas non Domini sed Dispensatoris, ut in littera dicitur, consequens est, ut plenitudo potestatis papalis circa bona Ecclesiæ temporalia non exeat limites potestatis dispensativæ, sicut in naturalibus plenitudo potentiæ calefactivæ non exit limites potestatis calefactivæ, & in politicis plenitudo potestatis regiæ non exit limites regiæ potestatis, ac per hoc non potest papa ad libitum NB. donare res Ecclesiæ, sed potest tanquam habens apicem dispensativæ potestatis multo plus de eisdem dispensare, quam quicunq; alius proximus Ecclesiæ alicujus prælatus; hæc ille. Debet igitur Apostolicus esse fidelis & providus dispensator, & ejus judicium debet de vultu Dei prodire, *c. ut nostrum. ut Eccles. benef. sine diminut. confer. c. cum æterni. de sentent. & re judic. in 6.* consequenter non licet ei res Ecclesiæ aut beneficium Clerico auferre sine justa & rationabili causa.

Prob. 2. Si summus pontifex posset res temporales uni Ecclesiæ auferre sine justa & gravi causa, esset ideo, quia quod fit authoritate papæ, dicitur factum authoritate Dei, & quia pontifex non puri hominis, sed veri Dei vicem gerit in terris, & papa dicitur habere *cœleste arbitrium. l. 1. in fin. C. de S. Trinitate*, atqui quando pontifex res suas uni Ecclesiæ auferret sine justa & rationabili causa, non Deus sed homo id faceret, non divina sed humana potestate id contingeret, quia Deus non est author iniquitatis. *c. quicunque cauf. 11. quæst. 3.* sed omnia aut justo judicio facit, aut suo permissu ita fieri sinit, ut dicit textus *in c. nec mirum. § Aruspicinæ. cauf. 26. quæst. 5.* eatenus igitur manet in Romano pontifice Petri privilegium, quatenus ex ipsius æquitate fertur judicium, ut dicit textus *in c. manet. cauf. 24 quæst. 1.*

Prob. 3. Papa non potest sine 8
justa causa Episcopatum dividere & invito Episcopo dare alteri, textus est apertus *in c. decimas. §. quod autem. cauf. 16. quæst. 1.* & tenet Glossa *in c. 1. verb. divisiones. dist. 10.* atqui Episcopatum dividere, est res uni Ecclesiæ auferre; ergo si Pontifex nequit Episcopatum dividere invito Episcopo, neque poterit res suas uni Ecclesiæ sine justa causa auferre. Nunc ad argumenta sententiæ oppositæ & quidem

Ad 1. Resp. Negando, quod Im- 9
perator possit privato auferre jus quæsitum sine justa causa. Porro *d. l. item verberatum*, quæ est *15. d. t.* est nimis ambigua (ut legenti patebit) potest concordandorum jurium gratia explicari, quod *ager quæsitus. d. l.* fuerit assignatus militibus publicæ utilitatis causa. Quod eodem numero dicitur: Neminem posse contradicere Pontifici, etiamsi injuste agat, hoc procedit forsan quoad Ecclesiam militantem, sive pro foro Ecclesiæ militantis, in quo non licet disputare de facto Pontificis *c. si quis suadente §. qui autem. cauf.*

cauſ. 17. quæſt. 4. quia ipſe de aliis judicat, ſed à nemine judicatur. *c. ſi papa diſt. 40.* at vero quoad forum internum & quoad Deum id non procedit; ut declarat Abbas *in cap. extirpandæ. §. qui vero n. 44. de præbend.* Unde ſi præter conſuetudinem Romanorum Pontificum contingeret hîc caſus, ut papa rem ſuam Eccleſiæ auferret & daret alteri, aut quem ſuo privaret beneficio absque rationabili cauſa, quamvis in tali caſu judicio Eccleſiæ non eſſet ſubjectus, & non liceret ei contradicere, attamen injuſte ageret, & quoad Deum non eſſet à peccato immunis; & dum dicitur quod papa habeat plenariam diſpoſitionem Eccleſiarum, & rerum eccleſiaſticarum, eſt hoc ita intelligendum: ut evitetur inconveniens, & ne alicui fiat injuſtitia. 3. Quod nulla perſona eccleſiaſtica habeat in ſuo beneficio dominium directum aut utile reſpondetur: vel ſumitur beneficium formaliter pro ipſo jure, vel objective pro rebus eccleſiaſticis illi beneficio ſive juri ſubjectis? igitur beneficiatus ſive ſæcularis reſpectu ſuæ Eccleſiæ, ſive regularis reſpectu ſui monaſterii, neuter inquam habet dominium ſive directum ſive utile reſpectu ſuæ Eccleſiæ vel monaſterii; illud ipſum tamen beneficium ſive ſæculare ſive regulare quod quis habet, & formaliter ſumptum eſt aliquod *jus reale*, quod æque parum ſine cauſa poteſt auferri, quam dominium; imo hæc argumentatio eſt prorſus inepta: Titius nec dominium directum nec utile habet in hoc vel illo objecto, ergo hoc objectum auferri poteſt; ſimiliter enim inferri poſſet; Titius in fundo Tuſculano nec dominium directum nec utile habet, ſed ſolum jus ſervitutis, decimandi, venandi, pignoris &c. Ergo hæc jura ei libere auferri poſſunt. Dein licet ſinguli beneficiati nec dominium directum nec utile habeant in rebus eccleſiaſticis ſuis beneficiis ſubjectis & annexis, ipſa tamen Eccleſia, ipſum gremium, & omnes beneficiati collectivè ſumpti habent verum dominium quod illis ſine juſta & gravi cauſa auferri nequit.

Ad ſecundum quod omnia beneficia mundi ſint obedientialia & manualia reſpectu papalis poteſtatis, adeoque beneficiatis unius Eccleſiæ aut ordinis auferri & alteri Eccleſiæ ſeu ordini conferri poſſint; Abſolutè negatur, vel intelligi poteſt quoad poteſtatem abſolutam & extraordinariam Pontificis, non verò quoad poteſtatem ordinariam. *d. c. ſi gratioſè*, plane non probat, quod beneficium legitimè quæſitum pro libitu poſſit auferri, ſed ſolum dicit, ſi beneficium ab incapaci & cum diſpenſatione ad beneplacitum Pontificis reſtricta obtineatur, tale inquam beneficium libere poſſe auferri.

Ad tertium Reſp. id procedere de poteſtate abſoluta & extraordinaria, vel etiam de poteſtate ordi-

ordinaria in ordine ad beneficia acquirenda, cum antecedenter penes Pontificem sit leges condere, vi quarum aliquis capax vel incapax reddatur ad beneficia, & hoc sensu Pontifex habet etiam plenitudinem potestatis.

Ad quartum Resp. C. antec. N. conseq. ex hoc enim argumento solummodo probatur, quod sicut Romana Ecclesia dignitates instituit & fundavit, ita possit illas destituere, hinc tamen non licet inferre, ergo hæc fieri possunt pro libitu voluntatis, cum in his justa causa exigatur; ut in superioribus probatum est.

Ad quintum Resp. Dist. possunt inviti transferri ex causa necessitatis vel utilitatis Ecclesiarum C. sine his requisitis intervenientibus: sub Dist. potestate ordinaria & justè N. Extraordinaria absoluta & injustè. C.

Ad sextum idem respondetur, nimirum exempla in contrarium adducta habere locum tantummodo concurrente gravi causa, qua cessante Apostolica sedes nec duos Episcopos in uno Episcopatu constituit, nec Episcopatum dividit. Unde si alicui Ecclesiæ auferrentur sua bona, beneficiato suum beneficium, Episcopo Episcopatus & quidem sine causa communis utilitatis vel necessitatis, hæc non esset dispensatio bonorum Ecclesiæ, sed dissipatio; ut notat Archid. *in c. licet canon. num. 3. de Elect. in 6.*

Corollarium quando dixi, quod Pontifex nequeat res suas uni Ecclesiæ auferre sine justa causa, hoc procedit de potestate ordinaria. 2. Quando dicitur Papam habere potestatem plenariam in beneficialibus hoc ita intelligendum est, ut evitetur inconveniens & ne alicui fiat injustitia. 3. In pontifice est duplex potestas, ordinaria scilicet ac à jure regulata, & secundum hanc pontifex nequit auferre jus quæsitum, sine justa causa; quia licet princeps sit solutus legibus, tamen secundum leges vivere debet. *l. digna vox C. de l. l.* Dein altera potestas in pontifice est suprema & absoluta, quam alio nomine appellant plenitudinem potestatis, eamque sic definit Baldus *in l. 2. n. 45. C. de servit. & aqu.* plenitudo potestatis est arbitrii plenitudo, nulli necessitati subjecta, nullisque juris publici regulis limitata. & secundum hanc probabiliter Papa omnia potest absolutè, & sola voluntas habetur pro ratione. An verò pontifex utens hac plenitudine potestatis, dum causa justa non subest, tutus sit quoad forum poli, tu judicabis.

Quæres 3. *An penes Pontificem sit potestas commutandi ultimas voluntates & testamenta ad pias causas?*

Pias dispositiones subesse pontificiæ authoritati adeo certum est, ut repugnet non tantum juri Canonico, sed etiam divino, dari aliquam talem piam dispositionem, quæ non subsit summo Pontifici

Ecclesiæ capiti. *c. cuncta per mundum. c. per principalem. cauſ. 9. queſt. 3. c. bene quidem diſt. 96.* & Pontifex habet pleniſſimam poteſtatem commutandi ultimas voluntates, *clement. quia contingit de religioſ. domib.* quando verò ſimiles ultimæ voluntates, & ea, quæ ad pias cauſas relicta ſunt, immutari debeant ad alios uſus? ſecernendi ſunt diverſi caſus & regulæ.

13 Regula 1. Legatum non efficitur caducum ex eo, quod deputari non poſſit ad uſum deſtinatum per teſtatorem, ſed poteſt per Epiſcopum etiam commutari in aliam piam cauſam, id quod procedit, ſive teſtatoris voluntas impleri non poſſit de jure, ſive de facto: de jure, ut ſi teſtator reliquerit centum pro miſſis canendis, quæ cantari non poſſunt propter interdictum, quo exemplo utitur Bart. *in l. legatum n. 2. ff. de uſufruct. legat.* de facto, ut ſi pecunia relicta à teſtatore non ſufficiat ad monaſterium conſtruendum, quo caſu debet converti in alium uſum. *l. legatum. ff de adminiſtrat. rer. ad Civit. pertin.* ad quod facit optime Decretum Concilii Trid. *in c. 8. Seſſ. 25.* ubi præcipitur, ut ſi hoſpitalia ad certum peregrinorum aut infirmorum aut aliarum perſonarum genus fuerint inſtituta, nec in loco, ubi fuerint dicta hoſpitalia, ſimiles perſonæ aut perpaucæ reperiantur, fructus illarum in alium pium uſum, qui eorum inſtitutioni proximior ſit, ac pro loco & tempore utiliſor, convertantur, prout ordinario cum duobus de Capitulo, qui rerum uſu peritiores ſint, per ipſum deligendis magis expedire viſum fuerit.

Regula 2. Quando teſtator legat 14
alicui capaci ſub modo licito, & caſu, quo onera injuncta non impleantur, ſubſtituit alios, tunc legatum nequidem à ſummo Pontifice in alios uſus converti debet. Ratio eſt, quia proviſio hominis licita, facit ceſſare proviſionem legis, & ita etiam procedit decretum Concilii Trident *in d. c. 8. Seſſ. 25.* ubi mandatur ordinario, ut fructus hoſpitalium convertat in alios uſus, ſi ibi non ſunt peregrini &c. dummodo etiam in hunc eventum in eorum fundatione aliter non ſit expreſſum, etenim cum proviſio hominis ſit licita, ceſſare debet proviſio & commutatio judicis.

Regula 3. Cum teſtator leget pio 15
loco ſub modo tamen illicito, & caſu quo ejus voluntas de jure vel facto impleri non poſſit, legat alteri, & hoc caſu ſuſtineri poteſt, quod nec commutatio fieri debeat. Ratio eſt, quia teſtator non legavit præciſè & ſimpliciter ſub modo illicito, ſed conditionaliter: quatenus de jure non poſſit, legavit alteri, quæ diſpoſitio videtur rationabilis, & conſequentur non ſubeſt cauſa excludendi ſubſtitutum *l. quidam. ff. de uſufruct. legat.*

Regula 4. Quando teſtator legat 16
incapaci (*v. gr.* Minoribus Capucinis aut de obſervantia) ſub modo illicito

illicito (*v. gr.* ut annuatim quid percipiant; quando inquam testator non conditionaliter sed simpliciter absolutè legat, & quidem in perpetuum prohibendo ne papa hujusmodi legatum convertat in alios usus & apponendo pœnam ademptionis legati in casum commutationis, tunc nihilominus legatum in alios usus converti potest, ac debet, non obstante prohibitione testatoris cum pœnæ adjectione. Ratio est, quia hoc casu voluntas testatoris licite impleri non potest, cum testator voluerit præcise, legatum annuum *v. gr.* perpetuo obtineri à fratribus, quod repugnat regulæ, nec legatum ademerit, nisi in casum commutationis Apostolicæ, quæ conditio adjecta à testatore, quod superior non possit se illi immiscere, & alias devolvatur ad hæredem, habetur pro non adjecta, utpote turpis. Fagnanus *in c. nos quidem n. 39. de testam.* & plurimi ab eo relati.

Porro turpitudo præfatæ conditionis consurgit ex eo, quia dicta dispositio testatoris repugnat *clement. quia contingit de relig. domib.* estque apposita in vilipendium authoritatis Romani Pontificis; tum quia inducit ad peccatum, scilicet ad retinendum aliquid contra sacrorum statuta Canonum.

Quæres 4. *An summus Pontifex possit sine consensu Cardinalium alienare bona immobilia spectantia ad sedem Apostolicam?*

17 Resp. Negative. Ratio, quia Pius V. *in constit. admonet. 35. edita quarto Calendas Aprilis 1587. in Bullar. tom. 2. pag. 221.* statuit ut civitates & loca Romanæ Ecclesiæ etiam in feuda, aut quemque NB. alium alienationis titulum dari solita, ad sedem Apostolicam quomodocunque devoluta & pro tempore devolvenda, eo ipso Cameræ Apostolicæ absque alia declaratione incorporata censeantur, perinde ac si nunquam in feudum vel alium titulum concessa fuissent, ut *in* §. *2.* præterea statuit *in* §. *3.* ut de hujusmodi alienationibus & infeudationibus tractantes, consulentes, aut alias verba facientes, easque summo Pontifici per se vel per alium insinuantes vel suadentes excommunicationis pœnam ac læsæ Majestatis etiam in primo capite, ac confiscatonis bonorum privationisque dignitatum ac beneficiorum eo ipso incurrant; & *in* §. *9.* addit, ut Cardinales in assumptione pilei & sede vacante in conclavi jurare debeant prædictam constitutionem observare, eique non contravenire, nec Pontificibus NB. contravenientibus consentire, aut absolutionem à juramento petere, nec oblatam aut concessam acceptare; Et assumptus NB. in summum Pontificem id ipsum promittat ac juret, & post coronationem suis litteris confirmet, ut latius habetur in ipsa constitutione.

Eandem constitutionem confirmarunt Pontifices successores Gregorius

gorius XIII. *conſtit. 3. inter cætera* in Bullario *tom. 2. pag. 361.* Sixtus V. *Conſtit. 1. Romanus Pontifex pag. 286.*

Innocentius IX. Conſtitutione 1. quæ incipit: *quæ ab hac ſancta ſede edita pridie Nonas Novembris 1591. eod. tom. 2. pag. 713. §. 4.* declaravit *cit.* conſtitutione Pii V. prohiberi quamcunque infeudationem & alienationem civitatum & locorum eidem ſedi tam immediate quam mediate ſubjectorum, non ſolum poſt eorum devolutionem, ſed etiam antequam devolvantur; & *in §. 5.* præcepit Pii V. conſtitutionem jurari debere. Itaque ſtante hac declaratione Innocentii IX. planum eſt hodie Papæ non licere quemquam inveſtire de feudo etiam non aperto.

Porro Bullam Pii V. ut præfertur declarata ab Innocentio IX. confirmavit ac innovavit, ſeque ſervaturum promiſit ac juravit Clemens VIII. in conſtitutione prima *ad Romani Pontificis.* in Bullario *tom. 3. pag. 1.* ubi etiam *in §. 7.* declarationem Gregorii XIV. tanquam deſtruentem Pii V. conſtitutionem, alienandique occaſionem præbentem ac minimè neceſſariam revocavit ac annullavit, perinde ac ſi nunquam emanaſſet; declarans eadem Pii V. conſtitutione prohiberi civitatum & locorum in ea contentorum, tam quæ nunquam antea in feudum conceſſa, quam quæ alias ſæpius infeudata ac poſtmodum devoluta, aut etiam nondum devoluta fuerunt, infeudationes, prorogationes inveſtiturarum, etiam ex cauſa neceſſitatis aut evidentis & veræ utilitatis factas & faciendas, ut latius in eadem Bulla *§. 8.* & concordat regula 46. cancellariæ. Fagnanus *in c. ex parte n. 30. de feudis.*

Corollarium 1. prohibitio Pii V. mox declarata non comprehendit loca & terras confiſcatas ob delicta, de quibus in conſtitutione 65. Gregorii XIII. *incip. tanta* ut ibi declaratur *in §. 13.* in Bullario *tom. 2. pag. 446.* idemque delaravit Sixtus V. in conſtitutione *6. §. 8. pag. 491.*

Corollarium 2. Similiter non comprehendit ea loca, quæ Camera emit à Baronibus juxta conſtitutionem 41. Clementis VIII. *§. 14. in Bullario tom. 3. pag. 55.*

Objicies contra reſponſionem datam. Si pontifex non poſſet alienare bona immobilia ad ſedem Apoſtolicam ſpectantia, proveniret hæc inhabilitas ex lege, quâ Pontifices anteceſſores ſupra recenſiti talem alienationem irritam declararunt, atqui Pontifex ſucceſſor non obligatur lege anteceſſoris, cum par in parem non habeat imperium *c. innotuit de Elect.* imo per tacitam contraventionem, papa videretur eam tollere. Ergo.

Reſp. Diſt Maj. proveniret à lege manente in terminis puræ legis N. Maj proveniret à lege, ſed per ſucceſſorem ſemper jurato acceptata & firmata C atqui pontifex ſucceſſor non obligatur lege anteceſſoris manente in terminis puræ legis C. Min. non obligatur lege jurato acceptata & firmata. N. M. & Conſeq.

§. V.

§. V.

POTESTAS JUDICIARIA SUMMI PONTIFICIS.

SUMMARIA.

1. Quid sit Jurisdictio ecclesiastica summa, & diversa acceptio recensetur. 2. Definitur. 3. Forum quid significet? 4. Describitur. 5. Quid sit forum internum. 6. Forum competens quodnam dicatur. 7. Curia Romana est forum competens & commune omnium Christianorum. 8. Ubi dicatur esse curia Romana? 9. Ad curiam Romanam omnes causæ etiam in prima instantia possunt deferri. 10. An curia Romana possit causas incepto jam judicio ab inferioribus prælatis avocare & quando? 11. Quas causas non ecclesiasticas nec spirituales Pontifex ad suum forum trahere possit. 12. Personæ miserabiles quænam dicantur? 13. An persona miserabilis dici possit, etiamsi sit dives? 14. Practicè quid obtineat circa causas miserabilium personarum? 15. Quando agitur de peccato & pro foro conscientiæ an recurri possit ad summum Pontificem.

Potestatem legislativam, dispensativam, beneficiorum & dignitatum collativam, rerum temporalium ecclesiasticarum gubernativam, vel protegit vel læsam vindicat potestas judiciaria sive jurisdictio.

1 Quæres 1. *Quid est jurisdictio Ecclesiastica summa?*

Jurisdictio summa ecclesiastica sibi distincta nomina tum in sacris litteris, tum in scriptis SS. Patrum, tum in sacris Canonibus vindicat; primò in Evang. S. *Mathæi c. 16.* nuncupatur potestas clavium, utpote facultate claudendi & reserandi fores beatæ æternitatis instructa quo pertinent textus *in c. 2. & seqq. dist. 21. c. 6. c. 20. caus. 24. quæst. 1.* Secundò dicitur primatus Petri, eo quod Petro Apostolorum primo ac Principi *in cit.* textu Mathæi primitus collata, ac in successoribus ejus ad moderna usque tempora fuerit continuata, de qua acceptione & primatu Pontificis supra *dissert. 1.* dictum est.

Tertiò nominatur officium pastorale ex illo *Joan. 21. Pasce oves meas*, quia fideles velut emptæ ac pretioso Christi sanguine ex faucibus infernalibus ereptæ oviculæ, ab eo, qui summâ in Ecclesia jurisdictione fulget, & pascendi & protegendi sunt; de officio pastoris universalis etiam hactenus est dictum.

Quarto appellatur Vicariatus Christi, cum enim non proprio sed Christi nomine potestas ligandi atque solvendi Ecclesiæ sit relicta,

licta, rectè Vicariatus Christi summa in Ecclesia potestas nuncupatur, juxta textus *in c. 2. & duobus seqq. de translatione Episc. c. 13. de judic. c. 13. v. is vero, qui filii sint legit. prope finem.* de Vicariatu Christi etiam hactenus dictum.

Summa jurisdictio dupliciter potest accipi 1. pro potestate regendi Ecclesiam, secundò pro facultate jus dicendi; priori modo nihil est aliud, quam absoluta & illiminata potestas dirigendi actiones fidelium in finem supernaturalem. Huc pertinet potestas legislativa, de qua §. 1. Potestas dispensativa, de qua §. 2. Potestas collativa beneficiorum & dignitatum, de qua §. 3. Potestas circa res temporales Ecclesiarum, de qua §. 4. *dissertat. præsent.* dictum est.

2 Posteriori modo accepta jurisdictio describi potest, quod sit absoluta & illimitata potestas jus de causis fidelium dicendi ad supernaturalem illorum felicitatem. dixi *illimitata*, quod non ita intelligendum est, quasi Pontifex naturalis aut divinæ legis tramites excedere posset, hac enim lege inferior est Papa, sed quod limites & fines legum humanarum, quibus circumscribatur, neutiquam patiatur.

Dixi *in finem & felicitatem supernaturalem*, hocque intimum & internum discerniculum est, quo jurisdictio ecclesiastica discernatur à politica, cum illa scopum spiritualis & supernaturalis beatitudinis, ista centrum naturalis & politicæ felicitatis intendat & attendat.

Quæres 2. *An summus Pontifex sit judex ordinarius & immediatus omnium Christi fidelium?*

Nota 1. Forum seu forus (utra- 3
que enim terminatio apud AA. probatos invenitur) vel à fando dicitur, quia in foro fari solemus, vel à foraneo rege, qui primus legem Græcis dedisse fertur ab Isidoro *in c. forus 10 de V. S.* vel *à ly foras*, quia in forum quasi foras merces è domibus venales in- & afferuntur, Gonzalez *in c. quanto 3. n. 7. de foro compet.* Forum nomen homonymum est, ac primo denotat locum negotiationis, contractuum & nundinarum *l. 6. ff. de Procurat. l. 83. §. 5. ff. de V. O.* 2. Locum in quo spectacula exhibentur, Cicero *orat. 9. in Verrem.* 3. Locum è quo spectacula videntur, Mynsinger apud Millerum ad Struv. *Exercit. 9. thes. 13.* 4. Locum in quo lites & negotia controversa ventilantur, in hac quarta & propria significatione forum aliquando vocatur auditorium *l. 40. in princ. ff. de reb. credit. l. 54. §. 1. ff. de re judic. Novell. 82. c. 11. §. 1. aliquando audientia. l. 25. in princ. de Episc. & Cleric. rubr. & t. t. C. de Episcopali audientia*, aliquando jus *l. penult. ff. de J. & J.* aliquando tribunal competens *l. 35. §. 2. ff. de Procurat.*

Forum describitur communiter, 4
quod sit locus, in quo controversiæ judiciales discutiuntur, seu quod sit locus exercendarum litium, ut

loquitur

loquitur D. Isiodorus *in cit. c. 10. de V. S.* seu ut disserit Cujacius, quod sit locus publicus, in quo jus dicitur seu vindicatur.

5 Forum dividitur 1. in internum & externum. Internum dicitur, in quo remotis arbitris, quilibet sibi ipsi accusator, reus, testis, advocatus & judex est. Externum est, in quo causæ contentiosæ jurisdictionis à personis numericè distinctis ventilantur.

6 Forum dividitur 2. in competens & incompetens. Competens est, in quo reus conveniri potest, aut debet. Incompetens est, in quo reus conveniri nec potest nec debet, etsi enim singuli judices jurisdictione instructi, sua habeant tribunalia, suumque forum, plerumque tamen ad certas causas vel personas sic restrictum est, adeo ut personæ quamplurimæ, etsi reæ sint, ibidem conveniri aut non possint, aut non debeant. Erit igitur ibi forum competens, ubi reus, contra quem actor experitur, conveniri potest, aut debet.

7 Resp. 1. Curia Romana est forum commune universim omnibus, ubi & Clerici & Laici in causis ecclesiasticis & spiritualibus conveniri possunt. Roma siquidem in spiritualibus est omnium *Mater & Magistra c. ult. de foro compet.*

8 Porro Curia Romana ibi esse censetur, ubi est Papa cum cancellaria & tribunalibus ac officialibus suis, quos ad regimen Ecclesiæ adhibet, ut notat Covarruv. *pract. quæst. c. 4. n. 10.* ubi ita intelligit dictum Innocent. & Panormit. *in c. 4. de jurejur.* quod ubi Papa est, ibi Roma & curia sit, si nimirum ibi sit Papa cum suis auditoriis &c. & posse esse curiam, ubi Papa non est, & vicissim Papam sine curia. tradit Navar. *in tract. de datis & promissis notab. 17. num. 29.* Veluti Camera Wezlarienſis est curia Imperatoris, licet Imperator Wezlariæ habitare non soleat, & facit textus *in Clement. ne Romani. 2. §. sane de Elect.* unde quidam inferunt, si Papa ex urbe Romana aliorsum ultra duas diætas discesserit, relicta Romæ cancellariâ, officiis ac auditoribus, tunc Romæ solum dici curiam Romanam existere. alii tamen ajunt Paulum III. cum ad colloquium cum Carolo V. Imperatore & Francisco I. rege Galliæ proficisceretur, declarasse, eorum qui suam sanctitatem sequerentur, & eorum, qui in urbe remanerent, unam tantum Romanam curiam & non duas existere, hic scilicet, ubi est Papa, censeri curiam in capite & ibi in corpore, quæ constitutio in Bullario refertur inter ejusdem Pauli III. constitutiones 36.

Curia Romana igitur sive Roma, hic non intelligitur de muris, parietibus aut ædificiis urbis, sed ibi erit Roma, ubi Pontifex cum suis dicasteriis degit, sicut olim ibi censebatur esse Roma, ubi Romanus fuerat Imperator, sic etiam

Vejis aliquando fuisse Romam canit Lucanus:

-- *Vejos habitante Camillo*
illic Roma fuit.

similiter etiam Romam nonnunquam in Gallis fuisse dicitur, quando Pontifex residebat Avenione.

9 Resp. 2. Curia Romana adeo est forum competens commune omnium Christianorum totius orbis, ut summus Pontifex singulorum causas etiam *in prima instantia* valeat decidere. *c. cuncta per mundum. 17. & can. fin. caus. 9. quæst. 3.* & proinde non immerito ordinarius ordinariorum nuncupetur.

Romæ in tantum est forum competens quoad causas ecclesiasticas vel cum his connexas, ut eas Pon-
10 tifex ab inferiore judice possit avocare, est autem evocatio vel avocatio nil aliud, quam litis pendentis coram inferiore ad superiorem, à quo potestatem judicandi accepit, citra appellationem facta translatio in eo statu, in quo apud inferiorem reperitur; textus & DD. *in cap. nostrum 56. de appellat. l 58. ff. de judic.* & hæc avocatio causarum obtinet respectu omnium inferiorum, Archi Episcoporum cæterorumque Prælatorum.

Regulariter tamen non solet Papa se immiscere in causis ad ordinarios pertinentibus, quamquam enim sit ordinarius singulorum, nec ulli fas sit illius forum declinare. *d. c. cuncta per mundum. caus. 9. quæst. 3.* tamen causas ab ordinariis locorum ad se non trahit nec avocat, sine rationabili causa. *c. per principalem caus. 9. q. 3.* unde à Trident. Synodo providè cautum est, ut causæ omnes ad forum ecclesiasticum quomodolibet pertinentes coram ordinariis locorum in prima instantia cognoscantur & terminentur, & si quas Romanus Pontifex ex urgenti rationabilique causa duxerit committendas aut avocandas, id fiat per speciale rescriptum signaturæ, sanctitatis manu subscribendum, ut in decreto *cap. 20. Sess 24.*

Quæres 3. *Quas causas non ecclesiasticas nec spirituales Pontifex ad suum forum trahere possit?*

Resp. 1 Summus Pontifex ad se 11
avocat causas miserabilium personarum, Fagnanus *in c. ex parte n. 2. de foro compet. & c. significantibus. n. 60. de officio jud. deleg.* Abbas *in d. c. licet. n. 7. de foro compet. & in c. 1. §. 1. in 1. not ab. ne Cleric. vel Monach.* Bartolus *in Extravag. ad reprimendum in verb. denunciationem n. 9.* Paulus de Castro *lib. 1. Consil 350. quæritur an Laicus ve. s. quartus casus.*

Prob. ex *c. significantibus de officio jud. deleg. c. super quibusdam in fin. de verb. signific.* ibi: *item viduis, pupillis, orphanis & personis miserabilibus tenearis in judicio ecclesiastico respondere;* habent igitur hæ personæ electionem fori, & possunt adversarios suos convenire etiam in curia Romana, præsertim si illorum potentiam perhorrescant, & hæc est una ex causis, quæ juxta Canonicas sanctiones in curia sunt tractandæ

ad

ad præscriptum concilii Tridentini vers. *ab his excipiantur causæ. Sess. 24.*

Prob. 2. per *c. ex parte 15. de foro compet.* ubi vidua regina Angliæ authoritate Honorii III. apud judicem delegatum convenit detentorem cujusdam castri dotalitii. Ex quo vides quod Pontifex causas merè profanas personarum laicarum sed miserabilium ad se possit avocare à foro sæculari.

12 Porro quænam personæ dicantur miserabiles in specie, Bartolus & Baldus in *l. unic. in fin. C. quando Imperator. inter pupill. & vid.* concludunt esse relinquendum arbitrio judicis. Sed hoc dictum limitant DD. ut non procedat in illis casibus, in quibus in jure expressum est, quod aliqua persona sit miserabilis. Covarruv. *pract. quæst. c. 6. n. 3. in fin.* in his enim, quæ sunt jure determinata, judicis arbitrium non intrat. *c. fin. de transact. l. 1. §. ait prætor. ff. de jure delib.*

In genere igitur dicuntur personæ miserabiles, quibus natura movemur ad miserendum propter fortunæ injuriam. *l. unic. § quod si pupilli. C. quando Imperat. inter pupill. & vid.* & dicuntur miserabiles, quia propter miseriam, in qua sunt constituti, sunt misericordia digni, *c. licet de censib. can. omnis. caus. 7. quæst. 1.*

In specie habentur in jure miserabiles viduæ, pupilli & orphani. *d. l. un. C. quando Imperat. c. 1. & 2. dist. 87. c. super quibusdam. §. cum autem de V. S.* & dicitur vidua, non tantum cujus maritus mortuus est, *c. vidua dist. 34.* sed etiam quæ maritum non habuit *l. malum. §. viduam. ff. de V. S.* in materia igitur larga & favorabili vidua dicitur (licet improprie) etiam quæ virum non habuit. Felinus *in c. significantibus n. 8. de officio jud. deleg.* verum & illa, quæ maritum habet inutilem, vel ad perpetuum carcerem damnatum aut proscriptum, dicitur vidua & miserabilis persona. Baldus *in l. fin. ibi in fin. ff. de plagiar.* Felin. *loc. cit. n. 8.* pupilli dicuntur, qui sunt impuberes & extra patriam potestatem vel morte vel emancipatione *l. pupillus. ff. de V. S.* orphanus autem dicitur impubes, qui parentibus orbatus est. Rebuff. *in comment. ad constitut. reg. Galliar. tom. 1. in tit. de sentent. provis.* 2. Personæ miserabiles dicuntur peregrini, in ordine ad res, quas secum ferunt, & injurias quas patiuntur, & contractus in ipsa peregrinatione initos. *c. si quis Romipetas & c. seqq. caus. 24. quæst. 3.* 3. Huc referuntur Senes *c. 1. dist. 87.* 4. Cæci, mutilati membris, leprosi, captivi, debiles, furiosi, diutino morbo fatigati *d. c. licet de cens. c cum percussio. caus. 7. quæst. 1. c. 1. de restit. spoliat. l. judices de Episcop. aud. d. l. un. C. quando Imperator.* 5. Expositi *can. ult. dist. 87.* præter has personas tamen veniunt & aliæ, si in eis qualitas concurrat, quæ moveat ad habendam de eis misericordiam, ut

notat Fagnanus *in cap. significantibus n. 33. de officio judic. deleg.*

13 An vero hæ personæ modò recensitæ dicendæ sint miserabiles, etsi sint divites? in dubium vocant AA. affirmativa tenenda est cum Rebuff. *cit. tit. de sentent provis. art. 3.* Rolland à Valle *lib. 1. consil. 76. n. 44.* Covarruv. *pract. quæst. c. 7. n. 2.* Fagnan. *loc. cit. n. 48.* aliisque ab eo relatis, qui hanc assertionem dicunt practicè servari.

Ratio 1. quia *in cit. cap. ex parte. de foro compet.* Vidua Regina, adeoque non pauper, gaudebat protectione Ecclesiæ. 2. S. scriptura canones & leges de pupillis & viduis loquuntur generaliter & indistinctè nec considerant nisi viduitatem ipsam & pupillarem ætatem, ergo non est constituenda differentia, an pauperes sint vel divites. *c. si Romanorum dist. 19.* quod suadetur exemplo alimentorum, quæ sunt privilegiata, etiamsi relinquantur diviti, quia attenditur, quid sint alimenta ipsa, etiamsi relinquantur diviti, non autem attenditur, cui relinquantur, ut est textus *in l. cum hi §. nihil ff. de transact.* similiter dos dicitur causa pia *l. cum his §. si mulier. ff. de condict. indeb.* & tamen non fit differentia, an detur pauperi vel diviti; sic igitur in proposito non paupertas vel divitiæ, sed conditio ipsa pupillaris ætatis & viduitas inspicitur, quia tales solent communiter opprimi. *can. regum. cauf. 23. quæst. 5. c. 1. & 2. dist. 87.* Denique Concilium Tridentinum *c. 1. in princ. sess. 23.* dicit: præcepto divino mandatum esse omnibus, quibus animarum cura commissa est, pauperum aliarumque personarum miserabilium curam paternam gerere, ergo quoad protectionem & defensionem Ecclesiæ miserabiles personæ censentur, etiam non pauperes, & pari passu ambulant cum pauperibus; nam lis aliarum: importat diversitatem in substantia & identitatem in qualitate *l. quidam relegatus. ff. de reb. dub.* & Baldus *in l. filiæ dotem. in 1. oppositione. C. de Collat.* denique cœcus dicitur persona miserabilis *c. licet de cens.* ibi: *inhumanum est nimis*, nec non *misereri*, & tamen ille cœcus non erat pauper.

Corollarium quamvis assertio 14
nostra sistendo in puncto juris simpliciter sit accipienda, nihilominus practicè tunc demum obtinere putem, si judex sæcularis & ordinarius negligat justitiam administrare, adeoque in casu neglectæ aut protractæ justitiæ. Ita de stylo judiciorum & consuetudine testatur Covarruv. *pract. quæst. c. 6. n. 1.* & tunc non per viam appellationis (quia appellatio gradatim interponi debet, *c anteriorum. cauf. 2 quæst 6.*) sed per viam simplicis querelæ erit procedendum. *can. libertas. §. libertis, dist. 87.*

Resp. 2. Quando agitur de pec- 15
cato & foro conscientiæ, non tam via actionis quam denunciationis Evangelicæ seu Canonicæ, veluti læsione ultra dimidium, in pactis

pactis nudis, in actionibus ex delicto rei persecutoriis recurri potest ad summum Pontificem. Ratio, cum Ecclesia principaliter respiciat forum animæ, potest judicare de omni peccato, ut dicitur *in cap. 13. de judic.* & colligitur ex *c. ult. de sepult. c. 5. de raptor.*

§. VI.

IMPERIUM MERUM ECCLESIASTICUM SUMMI PONTIFICIS.

SUMMARIA.

1. *Merum imperium unde dicatur?* 2. *Definitio ejus adstruitur & explicatur.* 3. *Imperium merum aliud est ecclesiasticum aliud sæculare.* 4. *Divisio hæc impugnatur à Zæsio.* 5. *Imperium merum ecclesiasticum summi Pontificis comparatur cum Imperio mero Prælatorum inferiorum.* 6. *Censura quid nominis.* 7. *Definitur.* 8. *Objectum censuræ sunt bona spiritualia.* 9. *Censura regulariter non fertur in perpetuum.* 10. *Censuris ecclesiasticis subjiciuntur soli baptizati.* 11. *Mortui nequeunt affici censura* V. gr. *excommunicari.* 12. *Ponuntur objectiones.* 13. *Quænam delicta subjiciantur censuræ ecclesiasticæ.* 14. *Ex parte delinquentis requiritur contumacia.* 15. *Quinam possint ferre censuras?* 16. *Quorum bonorum spiritualium usus auferatur censurato.* 17. *Censura ecclesiastica est triplex.* 18. *Quid sit excommunicatio?* 19. *Anathema & excommunicatio an differant?* 20. *Excommunicatio major & minor quænam dicantur?* 21. *Bannum Pontificium sive excommunicatio quid operetur.* 22. *Quibus casibus liceat communicare cum excommunicato?* 23. *Pro excommunicatis non licet publice orare.* 24. *Definitur suspensio.* 25. *Ejus divisio adstruitur.* 26. *Interdictum explicatur.* 27. *Interdictum locale & personale quæ dicantur?* 28. *Quibus casibus ipso jure incurratur interdictum?* 29. *Quid operetur interdictum?* 30. *Quænam sacramenta possint administrari tempore interdicti?* 31. *An tempore interdicti possit celebrari matrimonium?* 32. *Ponitur objectio.* 33. *An benedictiones nuptiales possint intervenire?* 34. *An tempore interdicti concedatur sepultura ecclesiastica?* 35. *Pœnæ statutæ in violantes interdictum recensentur.* 36. *Interdictum ingressus in Ecclesiam quomodo differat ab interdicto personali.* 37. *Cessatio à divinis quid sit?* 38. *Quis absolvere possit à censuris?* 39. *Pœnæ ecclesiasticæ temporales quænam sint?* 40. *Depositio quid sit?* 41. *Describitur quid sit degradatio.*

Merum

1 Merum Imperium vel inde nominatum est, quod illius virtus emineat præ aliis jurisdictionis speciebus in imperando, vel inde, quod separatum ac discretum sit à juris dictione simplici, nec quidquam cum negotiorum civilium disceptatione commune habeat, nec jurisdictionem simplicem, uti mixtum Imperium, comitetur; aliter autem à jure & aliter à practicis salutatur, à jure sæpius jus gladii *l. 6. §. 8. ff. de offic. præsid.* potestas gladii *l. 6. in princ. ff. de offic. proconsf.* Capitis animadversio *l. 2. §. 18. ff. de O. J.* Major animadversio *l. 11. ff. de offic. proconsf.* coercitio. *d. l. 6. in princ. & l. 70. ff. de R. I.* & subinde etiam jurisdictio criminalis nuncupatur; à Practicis vocatur jurisdictio superior, jurisdictio alta, & quidem merum Imperium sæculare subinde appellatur jurisdictio centenæ, Bannus regius, judicium sanguinis &c. Stryck. *in Usu Modern. ff. ad tit. ff. de jurisdict.* Lauterbach. *§. 41. ff. eod.*

2 Imperium merum in genere aliam definitionem recipit à lege, & aliam denuo à Legisperitis. à lege definitur, quod sit *potestas gladii ad animadvertendum in facinorosos homines.* Textus est in *l. 3. ff. de jurisd.* à Jurisperitis vero variis adumbratur descriptionibus, adeo ut legi potius sit insistendum.

Dicitur 1. *potestas*, id est publica, cum enim Imperium merum sit species jurisdictionis, necesse est, ut & ipsum sit potestas, & in hoc participet genus jurisdictionis.

Dicitur 2. *gladii* potest autem gladius accipi, vel materialiter seu naturaliter, vel moraliter seu formaliter; materialiter ac in naturali significatione acceptus denotat per antonomasiam actum jurisdictionis sæcularis criminalis celebriorem & communiorem, scilicet pœnam gladii *l. 8. §. 1. ff. de pœnis.* moraliter acceptus vel significat per synecdochen partem pro toto, seu unum puniendi modum pro omni genere puniendi, vel per metonymiam signum pro re signata, seu gladium tanquam insigne pro exercitio justitiæ vindicativæ, juxta D. Paulum *ad Roman. 13. v. 14.* ibi: *Non enim frustra portat gladium* &c. *c. 45. caus. 23. quæst. 4.* Reinking. *de Regim. sæculari lib. 2. Class. 2. cap. 17. n. 19. & seqq.* D. Francisc. Schmier, *tract. de jurisd. c. 8. sect. 1. §. 2. n. 7.* aliique ab eo relati.

Dicitur 3. *Ad animadvertendum*, qua dictione non tantum jus puniendi sontem, sed etiam jus cognoscendi, quin & absolvendi super delicto continetur, *arg. d. l. 6. in princ. ff. de offic. proconsf.*

Dicitur 4. *in facinorosos homines.* Hinc intelligitur Imperium merum exardescere non in bruta sed in homines, non qualescunque sed delinquentes, ac facinus tale committentes, cui vindicando jus commune vel particulare pœnam publicam præfixit.

Divi-

3 Dividitur merum Imperium primo in *eccleſiaſticum* & *ſæculare*. Per eccleſiaſticum non intelligitur illa poteſtas gladii, quam perſonæ eccleſiaſticæ vi jurisdictionis territorialis vel ex ſpeciali privilegio exercent, cujus fit mentio *in c. fin. ne Cleric. vel Monach. in 6.* ſed intelligitur poteſtas ſpiritualis gladii, ſcilicet cenſurandi, ſuſpendendi, interdicendi, excommunicandi, quin & pœnis quibusdam temporalibus in ordine ad finem ſpiritualem delinquentes percellendi, *juxta Extravag. unam ſanctam de M. & O. inter commun.* hæc diviſio approbatur à P. Engel. *ad tit. de officic. judic. num. 18.* P. König. *ad tit. de offic. jud. deleg. n. 23.* D. Braun. *de jurisd. d. c. 5. §. 1. ſub n. 50.* à qua diviſione

4 Diſſentit Zœſius *tit. ff. de jurisdict. n. 58. & ad tit. juris can. de officio jud. deleg. n. 18.* hac ductus ratione: quia poteſtas cenſurandi, excommunicandi, interdicendi &c. non affert cruciatum corporis & animadverſionem gladii, tum quia ſecundum *can. 6. cauſ. 30. quæſt. 2.* Eccleſia non habet gladium, nec occidit, ſed vivificat.

Verum Zœſius majorem vim vocabulo quam rei tribuit, neque enim per Imperium merum eccleſiaſticum intelligitur poteſtas gladii materialis ſed moralis & ſpiritualis, eſtque hæc inter utramque poteſtatem differentia, quod eccleſiaſtica magis affligat animam quam corpus, ſæcularis corpus potius quam animam coerceat. Prout pulchre docetur *cit. can. 6. cauſ. 30. quæſt. 2.* utraque tamen poteſtas ſub Imperio mero recte collocatur, cum enim omnes confiteantur, pœnas illas, quibus aufertur vita civilis, puta deportatio, relegatio, damnatio in opus metalli &c. ad Imperium merum reduci *per l. 6. §. 2. l. 7. & 8. l. 28. princ. ff. de pœnis.* Nihil profecto impedit, quo minus excommunicatio *v. gr.* per quam vita ſpiritualis adimitur, ad Imperium merum reduci debeat; imò cum jure eccleſiaſtico nonnunquam etiam pœna infamiæ, mulcta pecuniaria, incarceratio & id generis pœnæ aliæ merum Imperium conſtituentes aut integrantes, dicentur *can. 8. in fin. diſt. 45. c. 8. de offic. Jud. ord. c. 14. de Judic. c. 4. de raptor. cap. 10. c. 13. §. credentes. de hæreticis. cap. 3. c. 5. de pœnis in 6. clement. 1. §. ſane de hæret. Trid. ſeſſ. 15. de Reform. cap. 3. & 19.* cur Imperium merum eccleſiaſticum vocetur in dubium?

5 Quoniam verò ad Imperium merum referuntur cenſuræ eccleſiaſticæ tum in genere tum in ſpecie, eas hic parum delibabimus, eſt etiam rubrica hujus §. quidem de Imperio mero ſummi Pontificis, licet idem Imperium competat reliquis Eccleſiæ Prælatis; hinc dum illud tribuitur Pontifici, intelligendum eſt: *Principaliter*, aliorum enim Prælatorum imperium merum eſt ſolum communicatum & participatum; Dein hoc Imperium merum in ſummo Pontifice eſt uni-

versale in totum obem, Prælatorum verò est particulare in suos subditos, imò imperium merum summi Pontificis nequeunt Prælati inferiores impedire, nec censuras tollere, nisi in casibus à jure permissis, Pontifex autem etiam se potest reliquorum inferiorum Imperio mero immiscere, censuras ab iis latas tollere, ab iisque absolvere. Hinc

6 Quæres. 1. *Quid est censura in genere?*

Censura apud Romanos officium & dignitas censorum, qui corrigendis civium moribus præerant, dicebatur; aliquando pro ipsa correctione, castigatione vel decreto illius Magistratus accipiebatur; hinc etiam idem vocabulum in Jure Canonico receptum est ad significandam castigationem, punitionem & correctionem delinquentium. Potest autem definiri

7 Censura in genere, quod sit pœna spiritualis, per quam homini baptizato delinquenti ac contumaci per ecclesiasticam potestatem quorundam bonorum spiritualium usus aufertur, donec à contumacia recedat, P. Engel. §. *1. n. 1. de sentent. Excommun.*

8 Dicitur 1. *Pœna spiritualis*, quia versatur circa spiritualium bonorum privationem, scilicet administrationis, perceptionis sacramentorum, communicationis suffragiorum &c. non autem circa bona temporalia principaliter, nec circa corporis afflictionem, sicut pœnæ temporales; neque etiam censura est propriè pœna vindicativa sceleris jam patrati, sed potius pœna medicinalis intendens futuram correctionem delinquentis, & quidem contumacis *c. 1. in princ. de sentent. Excommunic. in 6.* Unde censura regulariter in perpetuum vel ad certum tempus ferri non debet, sed ubi censuratus resipiscit à contumacia, & obtulerit satisfactionem pro delicto, erit absolvendus *c. 11. de Constit.* quod ordinariè verum esse, ait P. Engel. *loc. cit. num. 2.* In censura excommunicationis & interdicti, sed suspensio ab ordine vel beneficio nonnunquam per modum propriæ pœnæ vindicativæ, & ob culpas præteritas etiam non data ulteriori contumacia delinquentibus Clericis in perpetuum vel ad tempus infligitur *c. un. de Cleric. venat.* & tunc non retinet propriam naturam censurarum. 9

Dicitur 2. *Homini baptizato delinquenti*, ut constet quod Gentiles, qui nunquam per baptismum in Ecclesiam ingressi, ejusque subditi effecti sunt, & propterea etiam communicationem bonorum spiritualium, quibus per censuras priventur, cum Ecclesia non habent, censura non rectè afficiantur, *1. ad Corinth. 5. v. 12. Quid mihi est de iis, qui foris sunt, judicare, nam eos DEus judicabit.* Hinc 10

Dubitari potest: *An etiam in Christianum mortuum ferri possit censura?* 11

Resp.

Resp. Negativè, quia mortui de jurisdictione Ecclesiæ subtracti sunt, & eorum causa DEI judicio reservatur, *neque de eo qui in divino judicio constitutus est, nobis fas est aliud decernere præter id, in quo eum dies supremus invenerit*, ut inquit Pontifex *in can. 1. & 4. caus. 24. quæst. 2.* & Gelasius Papa *in can. 2. ead. quæst. 2.* adducit, quod Christus *Math. 16.* per illa verba: *Quæcunque ligaveris super terram*, dederit quidem Petro potestatem ligandi super terram scilicet vivos, non verò in terra, id est mortuos. Si

12 Dicas 1. *in cap. 28. de sentent. Excommun.* habetur, quod decedens in excommunicatione possit post mortem absolvi, si ante finem vitæ dederit signa pœnitentiæ, imo additur ibidem, quod in certis casibus à jure notatis Ecclesia ligaverit & absolverit mortuos. Ergo.

Resp. Illa absolutio, quæ datur mortuis, qui ante obitum signa pœnitentiæ ediderunt, non est absolutio directa, sed potius sublatio illius prohibitionis, ex qua talis excommunicatus non poterat ecclesiasticæ sepulturæ mandari, nec fidelium orationes participare; vel talis absolutio est declaratio, quod talis inter signa pœnitentiæ mortuus credatur coram DEO absolutus. Si

Dicas 2. Pontifex concedit indulgentias pro animabus in purgatorio, adeoque jurisdictionem clavium etiam in mortuos exercet,

Resp. Pontifex animabus in purgatorio non dat indulgentias per modum jurisdictionis, eas à pœnis absolvendo, sed tantum per modum suffragii, exhibendo DEO satisfactionem ex communi thesauro meritorum Christi, & Sanctorum, ut satisfactionem ad liberationem animarum misericorditer acceptare dignetur. Layman. *de Indulgentiis c. 7. n. 3.* Si

Dicas 3. Hæretici etiam post mortem possunt anathematizari ergo censura Ecclesiastica etiam fertur à Pontifice in mortuos.

Resp. ad antec. illud anathema quod hæreticis post mortem datur, non est excommunicatio directa, quæ directè intendatur in animam mortui, cum hæc jam sit de jurisdictione Ecclesiæ subtracta, sed est potius quædam execratio & excommunicatio impropria & indirecta, quæ principaliter dirigitur ad ipsos fideles, qui prohibentur ne cadaver defuncti hæretici tradant sepulturæ ecclesiasticæ, vel pro ipso fundant preces publicas, vel per tale anathema declaratur, quod defunctus jam in vivis incurrerit excommunicationem à jure latam, & in ea decesserit.

Dicitur 3. *Deliquenti & Contumaci.* 13
Delictum autem ut subjaceat Ecclesiasticæ censuræ, debet esse externum, sive aliquo opere externo demonstratum, quia in foro externo cogitationis pœnam nemo patitur, *c. 14. de pœnit. dist. 1.* 2dò ut quis propter delictum aliquod

possit subjici censuræ Pontificiæ, debet saltem censurandus commisisse peccatum mortale sive grave; (veniale non sufficit) cujus ratio est, quia censura est ex maximis pœnis, sequitur quod pœna debeat esse proportionata & vicissim. *can. 41. caus. 11. quæst. 3.* quapropter ut advertit P. Engel. *loc. cit. num. 6.* à censuris ipso jure latis excusat inadvertentia aut parvitas materiæ, quia & hæ à peccato gravi excusant.

143. Ratione delinquentis requiritur contumacia; qui enim vult resipiscere aut pro delicto Ecclesiæ per congruam pœnam, vel læsis per compensationem damni satisfacere, à censura absolvi debet, quapropter ad excommunicationem vel interdictum ferendum requiritur ordinariè citatio legitima, & trina monitio intercedens cum intervallo dierum aliquot, ut censurandus habeat sufficiens tempus ad exhibendam satisfactionem vel proponendam defensionem suam. *c. 48. de sentent. Excommunic. c. 5. c. 13. eod. in 6.* Si tamen periculum in mora sit, una etiam monitio peremptoria cum termino competenti, quem qualitas causæ patitur, sufficit *arg. l. 53. §. 1. ff. de re judic.* quod verum est, si censura feratur ab homine seu Judice, si vero censura ab ipso jure feratur & ipso facto incurratur, nulla quidem monitio judicis quoad incursionem talis censuræ requiritur, quia jus censuram imponens cum sit publicum, semper monere intelligitur, ne delictum illud habens pœnam censuræ, committatur. *c. 26. de appell.* is tamen, qui censuram *v. gr.* excommunicationis incurrisse dicitur, & à judice ecclesiastico pro excommunicato declarandus vel denunciandus est, prius debet legitime citari, eique justa defensio jure naturæ omnibus concessa, indulgeri, ut secundum juris ordinem appareat, an ille citatus ita peccaverit, ut judicari debeat censuram incurrisse; & quod si omissa tali citatione declaratio facta fuerit, illa erit invalida & irrita, nisi delictum plane notorium, quod nulla tergiversatione posset celari, *per text.* & gloss. *in Clement. 3. de censib. & in Clement. 2. de pœnis.*

Dicitur 4. *per ecclesiasticam potestatem*, 15 quo nomine primariò intelligitur summus Pontifex, cui competit suprema potestas omnes Christi fideles subjiciendi censuris, quamvis reliqui Ecclesiæ Prælati etiam habeant potestatem ferendi censuras, sed limitatam & ad certas personas, nimirum subditos suos restrictam, *per cap. 3. de offic. judic. ordin.* de quo alibi.

Quæres 2. *Quid operetur censura* 16 *Ecclesiastica?*

Resp. Illa aufert censurato usum spiritualium quorundam bonorum. bona verò spiritualia quædam sunt publica, quæ in dispensatione & applicatione Ecclesiæ consistunt, uti sunt sacramentorum administratio & perceptio, spiritualis jurisdictio, beneficia Ecclesiastica, suffragia,

ſuffragia & ſatisfactiones, quæ pro omnibus fidelibus tanquam ab uno corpore in Chriſto *ad Epheſ. 4.* ab Eccleſia offeruntur, ita ut orationes, ſacramenta & alia merita, pia opera, quæ fiunt ab omnibus, proſint ſingulis de Eccleſia, ſintque inter eos communia, quæ *ſanctorum communio* in ſymbolo fidei appellatur; hæc ergo bona ſpiritualia, cum ſint in diſpenſatione & applicatione Eccleſiæ, illis privantur, qui cenſuris afficiuntur, pro diverſitate tamen cenſurarum, quia non eſt idem cujuslibet cenſuræ effectus. Alia denique bona ſpiritualia ſunt privata & propria cujuscunque, qualia ſunt dona gratiæ, fides, ſpes, charitas, aliæque virtutes & pia opera, quatenus præcisè ipſam perſonam & animam operantis concernunt, quæ poſteriora per cenſuram Eccleſiaſticam nemini auferuntur.

Dividitur etiam cenſura eccleſiaſtica, quod alia ſit lata à jure, quæ ſcilicet in Canone vel ſtatuto aliquo continetur, alia ſit lata ab homine, id eſt Judice Eccleſiaſtico, ſive cenſura alia eſt *juris*, alia eſt *hominis*; Cenſura juris ſive Canonis alia rurſus eſt *latæ*, alia *ferendæ* ſententiæ, latæ ſententiæ illa dicitur, quæ ipſo facto incurritur; altera verò ferendæ ſententiæ illa nuncupatur, quæ à judice Eccleſiaſtico infligitur; Cenſura latæ ſententiæ communiter his verbis exprimitur, excommunicatum aut ſuſpenſum, prohibemus ſub excommunicatione ipſo jure vel ipſo facto incurrenda &c. Cenſura ferendæ ſententiæ plerumque exprimunt verba hæc: qui hoc fecerit, excommunicetur, ab officio ſuſpendatur &c. quæ verba & formulæ quoties ſunt dubiæ, illæ in mitiorem partem ſunt explicandæ. *arg. l. pen. ff. de pœnis. c. 49. de R. I.*

Quæres 3. *Quænam ſint ſpecies cenſuræ Eccleſiaſticæ?* 17

Reſp. Cenſura Eccleſiaſtica dividitur in *Excommunicationem*, *Suſpenſionem* & *Interdictum. c. 20. de verb. ſign.* Porro irregularitas & depoſitio cenſuræ non ſunt, ſed vel pœnæ vindicativæ non medicinales, vel defectus, inhabilitates ad ordines ſuſcipiendos, uti eſt irregularitas, quæ provenit ex defectu corporis vel legitimorum natalium, ſic etiam ille, qui habet facultatem abſolvendi à cenſuris, non poteſt abſolvere ab irregularitate vel depoſitione, quæ diſpenſationem requirunt.

Quæres 4. *Quid ſit Excommunicatio?* 18

Reſp. Excommunicatio eſt cenſura Eccleſiaſtica, per quam homo Chriſtianus à Communione Eccleſiæ ſeparatur, hæc cenſura inducta eſt in Eccleſiam tum ex poteſtate ligandi à Chriſto tradita, tum ex illis verbis *Math. 18. v. 17. Si Eccleſiam non audierit, ſit tibi ſicut Ethnicus & publicanus &c.* tum etiam ex facto Apoſtoli, qui *1. ad Thimoth. 1. in fin.* quosdam incorrigibiles Sathanæ tradidit, quem locum de excommuni-

municatione interpretatur D. Augustinus *in c. omnis. 32. cauſ. 11. quæſt. 3.* ubi ait: *Qui extra Eccleſiam, diabolus eſt, ſicut in Eccleſia Chriſtus, ac per hoc quaſi diabolo traditur, qui ab Eccleſiæ communione removetur.*

19 Cenſura excommunicationis etiam alio nomine ſæpius in jure *anathema* dicitur; Anathema enim græcè ſignificat ſeparationem & diviſionem à reliquis rebus; aliquando cauſa honoris, prout anathema dicuntur divorum dona, quæ in templis ſuſpenduntur, aliquando & frequentius cauſa execrationis & damnationis, prout hæreſes & hæretici, aliique peccatores incorrigibiles ab Eccleſia anathematizantur &c interim licet excommunicatio & anathema eſſentialiter non differant, differunt tamen quoad ſolennitatem, nam excommunicatio ſola ſententia judicis Eccleſiaſtici in ſcriptis concepta profertur. *c. 1. de ſentent. Excommun. in 6.* at verò anathema etiam cum quibusdam ceremoniis ad terrorem aliorum peragitur; quales ceremoniæ præſcribuntur *in c. 106. cauſ. 11. quæſt. 3. v. gr.* ut presbyteri circumſtent, & poſt latam anathematis ſententiam lucernas ardentes, quas manibus tenent, humi projiciant & pedibus conculcent, cui ſolennitati aliæ quoque maledictiones & execrationes verbales addi ſolent. Covarruv. *in relec. c. alma mater de ſentent. excomm. in 6. § 6. n. 8.* hinc *in can. 10. de judiciis.* qui contumax eſt contra Eccleſiam primo excommunicari, deinde verò ſi perſiſtat in contumacia, jubetur anathemate puniri.

Excommunicatio alia eſt *major*, 20
& alia dicitur excommunicatio *minor:* prior eſt, quæ ſimpliciter ſeparat à communione fidelium, hæc vero ſeparat ſecundum quid, nimirum à perceptione ſacramentorum, non autem ab alia communione fidelium, neque ab Eccleſiaſticis ſuffragiis; in dubio & quando in jure excommunicatio fertur, illa regulariter de majori debet intelligi, niſi ex contextu verborum aliter de mente legislatoris appareat. *c. 59. de ſentent. Excommun.*

Quæres 5. *Bannum hoc Pontificium* 21
ſive Excommunicatio quidnam operetur?

Reſp. Prohibetur primo excommunicato cum fidelibus, & fidelibus cum excommunicato omnis humana politica & civilis communio vel ſocietas, quæ fit per verba, ſigna, literas, commercia, cohabitationem, vel amicitiæ ſigna, ut ſunt amplexus, vel ſalutationes, quæ omnia hoc verſiculo continentur.

Os, orare, vale, communio, menſa negatur.

Os id eſt oſculum vel collocutio, *orare* id eſt partipatio in divinis, *vale* ſalutatio vel familiaritas quæcunque juxta præceptum S. Joan, *Epiſt. 2.* ibi: *nec ave ei dixeritis* &c. *communio*, commercium vel contractus,

tractus cum excommunicato, tales enim contractus, quamvis validi, at sunt tamen illiciti. P. Engel. *n. 47. de sentent. Excomm.* §. 2. *Mensa*, id est cohabitatio in eadem camera & convictus, juxta illud Apostoli *1. ad Corinth. 5.* ibi: *cum ejusmodi nec cibum sumere* &c.

22 Sunt tamen aliqui casus excepti, in quibus communio mere externa cum excommunicato permissa est, juxta hunc versiculum:

Utile, lex, humile, res ignorata, necesse.

Primo igitur propter utilitatem propriam potest aliquis communicare cum excommunicato *v. gr.* exigendo ab eo debita, ne ex censura lucrum reportet, *c. 34. d. t. de sentent. Excomm.* quæ utilitas debet esse magna & conjuncta cum aliqua necessitate, alias enim, si ab utilitate absit necessitas conjuncta, facile sub prætextu utilitatis tota prohibitio de non communicando cum excommunicato corruet. 2. *Lex*, id est, conjugalis, facit ut conjuges sibi invicem communicare possint, quamvis alteruter excommunicatus sit. *can. 103. caus. 11. quæst. 3. & c. 31. de sentent. Excomm.*

3. *Humile*, id est humilitas subjectionis, quam debent liberi erga parentes, servi erga dominum, Religiosi erga Prælatum, Clerici erga Episcopum. *d. c. 103. caus. 11. quæst. 3.*

4. *Ignorantia*, quæ non sit crassa & supina vel affectata, sive juris sit, ut quia aliquis ignorat legem prohibentem communionem, sive facti, ut quia ignorat censuram latam esse vel contractam.

5. Denique propter *necessitatem* excusatur ille, qui alimenta sua aut quæcunque alia necessaria, quæ aliunde facile habere non potest, ab excommunicato petit, vel ejus consortium evitare non potest. *c. 34. de sentent. excom.*

Specialiter ergo advertendum est, 23 quod pro excommunicatis publice orare vel sacrificare non liceat, & cum sacrificium aliaque divina officia in Ecclesia celebrantur, excommunicatus interesse non debet, & quod si is monitus non decesserit, nova excommunicatione Papæ reservata afficitur, *Clement. 2. de sentent. Excomm.* potestque operâ aliorum fidelium de Ecclesia violenter expelli. *arg. c. 16. d. t.* & Clerici scienter recipientes excommunicatos ad divina officia, majorem excommunicationem incurrunt, *c. 18. d. t.* alii vero laici simul in Ecclesia existentes, si excommunicatus exire nolit, aut expelli non possit, tenentur ab eo discedere, & sacerdos qui necdum Canonem missæ incepit, divinum officium intermittere, quia cum excommunicato in oratione communicare prohibitum est, *c. 29. & c. 34. d. t.* Conciones vero audire vel privatim in Ecclesia orare, quando non celebrantur divina officia, nec alii fideles conveniunt ad communem orationem, non prohibetur excommunicatis *d. c. 34.* & hæc vitatio excom-

excommunicati ex communi & recepta DD. ſententia procedit quoad eos excommunicatos, qui tales ſunt denunciati, vel publici Clericorum percuſſores ſunt.

24 Quæres 6. *Quid ſit ſuſpenſio?*

Reſp. Eſt cenſura prohibens Eccleſiaſticos uti ſuis jurisdictionibus & juribus Eccleſiaſticis, adeoque hæc cenſura Eccleſiaſticos tantum afficit, nec privat communione fidelium nec ſacramentorum perceptione.

25 Suſpenſio alia eſt ab *officio*, qua Clerico executio ſuorum ordinum vel aliarum functionum, quæ ipſi ratione ordinis aut muneris Eccleſiaſtici incumbunt, interdicitur, alia eſt iterum ſuſpenſio à *beneficio*, qua fructus ſui beneficii Clericus percipere prohibetur.

26 Quæres 7. *Quid ſit Interdictum?*

Reſp. Interdictum ab interdicendo ſeu prohibendo deſcendit, deſcribi autem poteſt, quod ſit cenſura in locum vel perſonas lata, prohibens ſacramenta quædam, divina officia, & ſepulturam interdictis miniſtrari, differt excommunicatio ab interdicto, quod excommunicatio ſeparet à divinis propter denegatam communionem fidelium cum aliis fidelibus in ſacris & profanis, at vero interdictum non ſubtrahat aut deneget directe communionem fidelium, ſed tantum divinorum diſpenſationem ſive participationem, item interdictum ferri poteſt in locum vel communitatem, ut comprehendat nocentes cum innocentibus, è contra autem excommunicatio tantum in certas & determinatas perſonas nocentes. *c. ſ. d. t.*

Interdictum aliud *locale* & aliud 27
perſonale, prius dicitur, quod directe afficit certum locum, in quo divina officia prohibentur. Poſterius vero eſt, quod directè in perſonas profertur, quibus ſacramenta denegantur; utrumque eſt vel generale vel particulare, ſive ſpeciale, generale eſt, quo locus à pluribus communiter inhabitatus interdicitur, ut regnum, civitas, caſtrum &c. locale ſpeciale dicitur, quo particularis locus ſacer *v. gr.* certa Capella vel Eccleſia afficitur. Interdictum perſonale generale eſt, quod fertur in ipſos homines, ſcilicet communitatem, collegium, populum &c. & propterea locus ipſe vel Eccleſiæ in tali loco exiſtentes non ſunt interdictæ, quin ibidem divina officia poſſint celebrari, atque adeo admitti peregrini, viatores, & omnes alii habitatores loci, qui non ſunt membra communitatis interdictæ vel qui ex poſt facto per mutationem domicilii aut alio modo membra eſſe deſierunt; deinde etiam, qui interdicto perſonali ſive generali ſive ſpeciali ſunt affecti, non poſſunt divina audire ſive in loco proprio ſive alieno. Interdictum perſonale ſpeciale ſive particulare eſt, quod fertur non in communitatem, quatenus communitas eſt, ſed in ſingulares perſonas unam vel plures, propter

earum

earum delictum vel culpam, sive deinde exprimantur illarum personarum nomina, sive in genere dicatur, quod singuli in tali negotio culpabiles interdicti sint.

28 Causæ autem & casus, in quibus ipso jure statuitur interdictum sunt sequentes: 1. si Civitas dat auxilium vel consilium, ut capiatur Cardinalis vel Episcopus, aut invitus in aliquo loco detineatur, *c. 5. de pœnis in 6. Clement. 1. eod. tit.* 2. si Ecclesiastici contra immunitatem suam à sæcularibus Magistratibus realibus vel personalibus oneribus graventur. *c. 4. de Censur. in 6.* 3. Si repressaliæ contra Ecclesiam concedantur, nec intra mensem relaxentur. *c. unic. de injur. in 6.*

Interim tamen, quoties ipso jure ponitur interdictum, necesse est, ut accedat cognitio vel declaratio judicis Ecclesiastici, tum ut legitimè constet, an delictum sit tale, & revera patratum, quod interdictum secum trahat; tum ne nocentes juris ignorantia excusentur, tum denique quod Concilium Constantiense, quantum ad evitationem in divinis, requirens denunciationem, non tantum loquatur de excommunicatis, sed etiam suspensis & interdictis.

29 Quæres 8. *Quid operetur Interdictum?*

Resp. Olim imprimis missæ & omnia divina officia in singulis Ecclesiis loci interdicti prohibita fuerunt, quod tamen Bonifacius VIII. *c. 24. de sentent. excommun. in 6.* limitavit, ut tempore interdicti (quod DD. de interdicto generali locali intelligunt, non verò speciali alicujus Ecclesiæ, quia alias hoc interdictum speciale redderetur prorsus sine effectu,) singulis diebus in Ecclesiis & Monasteriis missæ celebrentur, & alia divina officia dicantur, sicut priùs, submissa tamen voce & januis clausis, campanis non pulsatis, quibus divinis officiis Clerici, non autem reliqui de populo interesse debeant; in festivitatibus autem natalis Domini, Paschæ, Pentecostes (quod probabiliter ad totum triduum istorum festorum est extendendum,) Assumptionis Virginis gloriosæ, Festo Corporis Christi cum Octava, pulsentur campanæ, & januis apertis alta voce divina officia solenniter celebrentur, excommunicatis prorsus exclusis, sed interdictis admissis, quibus ob reverentiam harum solennitatum præfatis diebus participatio divinorum conceditur, sic tamen ut illi, propter quorum excessum interdictum est positum, altari in quo celebrantur divina, non appropinquent.

Secundò. Durante interdicto re- 30
gulariter prohibetur Sacramentorum administratio & participatio; Excipitur autem in interdicto generali & probabiliter etiam locali speciali, teste P. Engel. §. 3. *n. 93. de sentent. Excomm.* Baptismus & confirmatio. *c. 34. d. t. c. 19. eod. in 6.* item pœnitentia & absolutio à peccatis

catis, quæ non tantum ægris sed etiam sanis tempore interdicti ministrari potest, dummodo excomunicati non sint, vel propter eorum culpam interdictum non sit latum, priori enim casu non recipiuntur ad pœnitentiam nisi prius fuerint absoluti à censura; nec posteriori culpabiles in interdicto, nisi prius pro suis culpis satisfecerint, vel de satisfaciendo idoneam cautionem præstiterint; quamvis ab ipsa interdicti censura necdum absoluti sint, *d. c. 24. de sentent. excommun. in 6.* Eucharistia quoque saltem in mortis articulo conceditur, *c. 57. d. t.* & in festis supra nominatis, *d. cap. 24.* ibi: *præfatis diebus participationem permittimus divinorum.* Dissentit D. P. Khamm *in Pharmacopeia Augustana c. 7. §. 1. n. 478.*

Deinde Sacramentum extremæ unctionis tempore interdicti, nec laicis neclericis nec religiosis absq; speciali privilegio administrari potest. *c. quod in te. de pœnit. & remiss. c. non est nobis de sponsal.* Quod autem Sacramentum Eucharisticæ in articulo mortis constitutis permittatur, non autem Sacramentum extremæ unctionis, disparitas est, quod illud in articulo mortis est de jure divino, cui jus positivum derogare nequit, non verò illud; item sacramentum extremæ unctionis non est necessitatis, aut illius complementum, quod ex necessitate requiritur. D. Corbinianus Khamm, *loc. cit.*

Dixi: *Absque speciali privilegio*, tale privilegium competit religiosis mendicantibus, aliisque tempore interdicti, adeoque inter se ministrant Sacramentum extremæ unctionis.

De Sacramento ordinis idem dicendum est, quod de extrema unctione, excepto casu necessitatis ob penuriam sacerdotum sacramentum eucharistiæ & pœnitentiæ administrantium. Ratio est, quia si aliquid conceditur, eo ipso etiam censetur illud concedi, sine quo alterum obtineri non potest, atqui per *d. c. 24. de sentent. excommun. in 6.* conceduntur aliqua sacramenta, officia divina, celebratio missæ certis temporibus, ergo conceditur eo ipso ordinatio ministrorum, sine qua prædicta obtineri non possent. Panormitanus *in c. non est nobis. n. 8. de sponsalibus.*

Matrimonium denique potest 31
celebrari tempore interdicti, & à personis generaliter interdictis.

Ratio est. 1. Quia matrimonium ex sua natura est contractus politicus, cui ratio sacramenti ex institutione Christi annexa fuit, unde contrahentes per se & primariò intendunt contractum matrimonialem & secundario sacramentum, cum eodem modo contraherent licet non foret sacramentum, atqui alii contractus tempore interdicti non prohibentur, ergo nec contractus matrimonii in ratione contractus; ergo nec in ratione sacramenti, quia accessorium sequitur naturam

naturam sui principalis & concesso principali conceditur accessorium.

2. Matrimonium quocunque tempore potest contrahi. *c. Capellanus. de feriis.* Ergo etiam tempore interdicti. Respondent tempore non prohibito C. tempore prohibito N. contra est. Quia *in d. c. Capellanus.* aliquid speciale conceditur matrimonio quod non conceditur aliis sacramentis, sed alia etiam sacramenta possunt recipi tempore non prohibito, ergo matrimonium poterit recipi tempore prohibito, aut nihil speciale fuisset concessum matrimonio, quod non æque aliis sacramentis. Sanchez. *tom. 2. de matrim. lib. 7. disp. 8. n. 2.* Navar. *Manual. c. 27. n. 179* Si

32 Dicas tempore interdicti prohibetur usus sacramentorum ex *dd.* nec excipitur *in d. c. 24.* vel alibi sacramentum matrimonii, ergo cum generaliter tempore interdicti prohibeatur omnis usus sacramentorum, matrimonium, quod expresse non excipitur, intelligitur, prohibitum. *Clement. 1. §. porro de V. S.*

Resp. Tempore interdicti prohibetur usus sacramentorum, quæ sunt verè & per se spiritualia, & ad actum ordinis pertinent C. quæ sunt per se & intrinsece contractus & sacramentum solum accessorie N. sicuti ergo nullibi tempore interdicti prohibetur celebratio contractus, sic nec contractus matrimonii; quare tempore interdicti prohibetur receptio sacramentorum, quæ administrantur, & conficiuntur à ministris Ecclesiæ, matrimonium verò per se & primario non subjacet administrationi Ecclesiæ, nec à ministris Ecclesiæ conficitur, sed ab ipsismet contrahentibus; hinc quamvis non reperiatur matrimonium inter alia sacramenta exceptum, id supponebatur, tanquam manifestum, cum ex generali Ecclesiæ consuetudine receptum sit, ut nunquam intelligatur matrimonium prohibitum. Sanchez. *loc. cit. n. 8.*

Benedictiones nuptiales tamen 33
tempore interdicti tam extra, quam intra missæ sacrificium licite non impertiuntur, quia censentur officium divinum & ad actum ordinis pertinent, cum solus sacerdos sponsum & sponsam possit benedicere orationibus & precibus ab Ecclesia specialiter pro dicta solennitate institutis. D.P. Corbin. Khamm. *lib. cit. n. 488.*

Tertio, qui tempore interdicti 34
decedunt è vivis, privantur Ecclesiastica sepultura. *c. 11. de pœnit. & remiss.* in interdicto tamen locali generali, qui specialiter ex sua culpa interdicti non fuerint, non poterunt quidem in loco interdicto sepeliri, sed poterunt ad alium locum sacrum non interdictum transferri; *arg. c. 16. de sentent. Excomm. in 6.* quod si etiam contingat aliquem contra juris prohibitionem in loco sacro sepeliri, talis interdictus non erit exhumandus, quia hoc non reperitur in jure statutum,

quod equidem excommunicati iterum debeant exhumari & è loco ſacro ejici, *c. 12. de ſepulturis.*, hoc utique tanquam pœnale ad alium caſum jure non expreſſum non erit extendendum, eſtque etiam ſpecialis ratio circa excommunicationem, quod ea ex ſua natura ſeparet excommunicatum à reliquorum fidelium conſortio, quod ſecus eſt in interdicto. Imo etiam illa corpora interdictorum, quæ tempore interdicti extra locum ſacrum ſepulta ſunt, ſublata cenſura ad locum ſacrum referenda eſſe, ſi id commodè fieri poſſit, docet P. Engel. §. 3. *n. 96. de ſentent. Excom.* Clerici tamen & religioſi, qui interdictum ſervarunt, ſpeciale privilegium habent, ut in loco etiam interdicto, abſque pulſatione tamen campanarum ſepeliri poſſint, *c. 1. de pœnit. & remiſſ.*

35 Quarto pœnæ juris ſtatutæ in illos qui interdictum violant, ſunt ſequentes. 1. Clerici perſonaliter interdicti, vel in loco interdicto celebrantes, aut actum ſui ordinis exercentes, irregulares efficiuntur, à qua irregularitate tantum ſummus Pontifex abſolvere poterit, *c. 18.* §. *is vero. de ſentent. excommun. in 6.* 2. Domini temporales, qui compellunt clericos in loco interdicto celebrare, vel qui antecedenter fuerunt interdicti, ſi juſſi fuerunt exire de templo & tamen recuſant, incurrunt excommunicationem, à qua pariter ſolus Pontifex poterit abſolvere, *Clement. 2. d. 1.* 3. Illi qui interdictos in loco ſacro vel alios in loco interdicto ſcienter ſepelire præſumpſerint, incurrunt excommunicationem, quæ tamen non eſt reſervata Pontifici. *Clement. 1. de ſepultur.*

Denique religioſi, ſive ſint exempti ſive non eeempti, qui violant interdictum à ſummo Pontifice vel aliis ordinariis latum, *v. gr.* interdictos admittendo ad divina officia, ſubjacent excommunicationi quæ tamen non eſt reſervata. *Clement. 1. de ſentent. Excommun.*

Corollarium 1. ab interdicto 36
perſonali quodammodo differt interdictum ingreſſus in Eccleſiam, per quod aliquis prohibetur in Eccleſia divina celebrare vel audire, *c. 20. de ſentent. excomm. in 6.* non tamen prohibetur quis ibidem extra tempus officii divini privatas orationes perſolvere, aut extra Eccleſiam privato oratorio celebrare. Cujus interdicti frequens eſt mentio in jure, ut *in c. 1. & c. 2. de Cenſ. in 6. c. 9. de officio ordinar. in 6.* in Trident. *Seſſ 6. c. 1. de reform.* ac pluribus aliis locis; & plerumque infligi ſolet prælatis eccleſiaſticis propter eorum culpas, cum ſit mitior cenſura, quam excommunicatio vel ſuſpenſio ab officio, ne per eam prælatus impediatur in aliis ſpiritualibus & temporalibus ſuam jurisdictionem exercere.

Corollarium 2. Cum interdicto 37
ſimilitudinem habet ceſſatio à divinis, quæ tamen non eſt propria cenſura, ſed potius ipſum factum,

quo

quo suspenduntur organa divinæ laudis & ab ipsis divinis officiis cessatur propter gravem aliquam injuriam Ecclesiæ illatam, ut injuriantes resipiscant, & quod deliquerunt emendent. Differt igitur cessatio ab interdicto etiam quoad effectum, cum prior non afficiat personas sed tantum locum, & sic extra locum in quo à divinis cessatum est, liceat cuilibet divina audire, neque clericus irregularis efficitur, si in ipso loco cessationis divina celebraverit; quamvis cessationem violantes excommunicationi sint subjecti. *d. Clement. §. in cessationibus de sentent. excommun.*

38 Corollarium 3. Inter censuras juris, quæ per Canones & bullas Pontificias feruntur, hæc differentia constituenda est, qua colligatur, quisnam ab iis possit absolvere? quædam igitur ex his censuris sunt reservatæ & quædam non. à reservatis ordinariè & extra articulum mortis, aut specialem commissionem vel privilegium nemo absolvere potest nisi author legis & censuræ, qui sibi eandem censuram reservavit. Trident *sess. 14. de sacrament. pœnit. c. 7.*

Hodie ex eodem Concilio *sess. 14. de reform. c. 6.* speciale privilegium acceperunt Episcopi, ut in omnibus censuris & irregularitatibus occultis summo Pontifici reservatis absolvere & dispensare valeant. Simile privilegium diversi religionum ordines à summo Pontifice per specialia rescripta impetrarunt, & tempore Jubilæi omnibus confessariis concedi solet, quod privilegium tamen regulariter (nisi ex verbis privilegii aliter constare vel conjici possit de mente privilegiantis) tantum pro foro conscientiæ & interno valet, non verò in foro externo & respectu vindictæ ob culpam patratam Reipublicæ debitæ, quin taliter absolutus tum accusari tum puniri possit, & si de censura ejus in foro externo constet, pro censurato habebitur, usque dum absolutionem etiam in illo foro obtineat, sicut tradit & ex stylo Curiæ Romanæ aliisque rationibus probat Covarruv. *in c. alma mater de sentent. Excomm. in 6. p. 1. §. 11 n. 15* quoad censuram hominis, quæ valida supponitur, principaliter nemo absolvit alius, quam ille ille ipse, qui eam tulit, vel cui is absolvendi potestatem commiserit, & delegaverit. *c. de offic. judicis ordinar. c. 41. de rescriptis.* Si mortuus vel dignitate privatus fuerit, qui censuram tulit, non propterea exspirat censura, sed jus absolvendi ad successorem devolvitur, *can. 40. cauf. 11. quæst. 3.* in articulo mortis, nulla quidem censura reservata est, quin eam quilibet sacerdos etiam non approbatus ad curam animarum, vel ipsamet censura affectus absolvere possit, *Trid. sess. 14. c 7. de pœn.* sed si in articulo mortis constitutus periculum evadat, nihilominus superiorem censuram ferentem accedere debet,

ut pro censura ante illata & culpa patrata satisfactionem præstet, ab eoque etiam in foro externo absolutionem impetret, quia absolutio â privato sacerdote facta, tantum valet pro foro animæ & non potest foro externo præjudicare.

39 Quod si censuræ hactenus enarratæ vel non sufficiant, vel delictum sit nimium atrox, ad alias pœnas etiam temporales Ecclesia potest decurrere, quoad personas Ecclesiasticas, quales pœnæ sunt: 1. Pecuniaria vel subtractio fructuum beneficialium. 2. Pœna carceris, nam de jure Canonico & etiam hodierno usu judicum sæcularium, carcer non tantum est pro custodia, sed etiam pro pœna ad tempus, vel si causa capitalis sit, in perpetuum quoque adhibetur. *c. 27. de V. S. c. 3. de pœnis in 6.* 3. Verberatio seu modica castigatio corporalis, quæ non transeat in pœnam sanguinis. *c. 1. de calumniat.* 4. Privatio beneficiorum; quæ pœna aliquando ipso jure infertur, aliquando per sententiam judicis inferri mandatur. 5. Exilium vel relegatio. *c. 1. de calumniat.* 6. Depositio,

40 est autem depositio privatio ordinum Clericalium, eaque duplex, *verbalis* & *realis*; prior est, quando per sententiam Pontificis (sicut Pontifex est universalis judex totius mundi) vel Episcopi (quoad Diœcesanos) clerico executio suorum ordinum & promotio ad altiores in perpetuum interdicitur, qui tamen Clericus ita verbaliter depositus, seu quod in effectu idem est, perpetuo suspensus, manet adhuc Clericus clericalibus privilegiis gaudens. *c. 10. de Judiciis.* imò post peractam pœnitentiam cum tali depositio dispensari & ordinibus suis ille restitui poterit.

Realis depositio communiter de- 41
gradatio appellatur, privat Clericum non tantum executione ordinum, sed etiam clericatu & omnibus privilegiis clericalibus, ut instar laici habeatur, ipse tamen character sacrorum ordinum, qui in anima imprimitur, indelebilis est & auferri nequit.

Fit autem degradatio cum certa solennitate juxta *c. 8. de pœnis. in 6.* & quidem primò: Sententia degradationis (quæ degradatio verbalis dicitur) fertur coram certo Episcoporum numero, scilicet in degradatione Presbyteri coram sex, in degradatione Diaconi vel Subdiaconi coram tribus. *c. 4. & seq. caus. 15 quæst. 7.* quorum tamen Episcoporum loco, si commodè haberi non possint hodiè ex *Trid. sess. 13. c. 4. de reform.* conceditur, ut totidem Abbates, vel in istorum etiam defectu alii Clerici in dignitate constituti intersint, quod si Clericus in minoribus constitutus degradandus sit, hanc degradationem solus Episcopus sine assistentia aliorum peragere potest. 2. Post sententiam latam degradandus sacris vestibus indutus, manibus habens librum, vas vel aliud instrumentum seu ornamentum

mentum ad ordinem ſuum ſpectans, ac ſi deberet in officio publicè celebrare, ad Epiſcopum adducendus eſt, cui Epiſcopus ſingula ornamenta & veſtimenta ſingulariter aufert, incipiendo ab illo ornamento, quod in ultima ordinatione traditum fuit, & deſcendendo gradatim usque ad primam veſtem, quæ datur in collatione tonſuræ clericalis. 3. Tunc raditur caput illius, ne clericatus veſtigium remaneat, 4. in detractatione inſignium clericalium addenda ſunt certa verba, ablationem clericatus ſignificantia, quæ in rituali habentur, & ultimo loco hæc vel ſimilis forma dicenda eſt ab Epiſcopo: authoritate DEI omnipotentis ac noſtra, tibi auferimus habitum clericalem, deponimus, degradamus & exuimus omni ordine, beneficio & privilegio clericali &c. In hac vero ſolennitate, licet degradatio ſit actus ordinis, nihilominus prolatio ſententiæ degradationis per ſpeciale mandatum committi poteſt Vicario, actualis verò degradatio alteri Epiſcopo conſecrato, ſi Epiſcopus ordinarius impediatur, vel conſecratus non ſit. 5. Poſt degradationem reus degradatus traditur judici ſæculari, qui in actu degradationis præſens eſſe debet, pro eo tamen Eccleſia intercedit, ne mortem patiatur, *c. 27. de V. S.* licet etiam in *eod. cap.* dicatur: Eccleſiam debere efficaciter intercedere, attamen per hoc verbum *efficaciter* non eſt intelligendum, quod Epiſcopus obligetur, ut reum liberet à pœna mortis, aliàs enim ipſæ leges Eccleſiaſticæ fruſtra juberent in enormibus criminibus degradatum tradi judici ſæculari ſecundum leges civiles puniendum; ſed interceſſio *efficaciter:* id eſt ſerio & ferventer facienda eſt, ad oſtendendam manſuetudinem Eccleſiaſticam, ne Epiſcopus faciens degradationem videatur mortem degradati deſiderare.

Cenſuras hactenus recenſitas aliasque pœnas retuli ſub imperio mero ſummi Pontificis, nimirum quatenus poteſtas hæc infligendi principaliter eſt penes ſummum Principem Eccleſiaſticum, & ab eodem modus & juſtæ cauſæ in quibus decerni poſſint, præſcribuntur, quamvis quoad poteſtatem communicatam & in caſibus à jure determinatis hæc exequendi facultas ſit etiam Epiſcopis conceſſa.

Quando autem ſummus Pontifex ut Princeps politicus & jure territoriali, vel Epiſcopi, qui ſunt ſtatus Imperii Romano-Germanici, exercent jurisdictionem criminalem, id non faciunt directè decernendo, aut ſententiam ſanguinis per ſe pronunciando, ſed relinquunt ſuis conſiliariis facultatem cauſam rei diſcutiendi, ſententiam ferendi ac denique eam exequendi.

§. VII.

§. VII.

DE POTESTATE SUMMI PONTIFICIS REMISSIVA SIVE CONCEDENDI INDULGENTIAS.

SUMMARIA.

1. Quid sint indulgentiæ. 2. An per indulgentias derogetur meritis Christi? 3. Indulgentiæ quotuplices sint? 4. Jubilæum quid sit? 5. Indulgentiæ aliæ reales, aliæ locales, personales. 6. Quis concedere possit indulgentias? 7. Quid operentur indulgentiæ? 8. An summus Pontifex possit etiam pro defunctis concedere indulgentias?

Potestatem coercendi delinquentes bene sequitur potestas remittendi pœnas spirituales temporales, DEO pro peccatis debitas, sive potestas concedendi indulgentias. Hinc

1 Quæres 1. *Quid est indulgentia?*

Resp. Remissio sive indulgentia est condonatio satisfactionis, sive temporalis pœnæ DEO debitæ pro peccatis. *c. 4. de pœnit. & remiss. c. 3. eod. in 6.*

Quod verò Ecclesia ex potestate clavium sibi à Christo *Math 16.* traditarum solvit seu remittit in terris, solutum etiam est in cœlis. hanc autem remissionem facit Ecclesia per singularem applicationem meritorum Christi & sanctorum ejus; nam licet Christus infinitè DEO Patri suo satisfecerit pro peccatis omnibus, tamen hæc satisfactio non prodest ad remissionem peccatorum, nisi quatenus alicui applicatur vel immediatè per ipsum Christum, vel perceptionem sacramentorum, vel per Vicarium Christi Romanorum Pontificem; aliàs enim si Christus per solam satisfactionem voluisset omnibus indistinctè omnia sua peccata remittere, & securam salutem conferre, frustra peccatores non agentes fructus dignos pœnitentiæ à regno cœlorum in multis Evangelii locis exclusisset, frustra Pastori Ecclesiæ, claves ad ligandum & solvendum concessisset. &c.

Si dicas cum Protestantibus: per 2
fictitiam indulgentiarum concessionem multum derogatur meritis Christi, quæ Pontifices insufficientia arguunt ad satisfaciendum pro peccatis totius mundi, qui tamen pro omnibus mortuus & omnes redemit.

Resp. Christum non tantum sufficienter, sed abundantissimè pro peccatis nostris satisfeciisse, illa ipsa tamen satisfactio Christi nobis debet

per

per dispensationem Ecclesiæ & propriam nostram cooperationem immediatè applicari, imo etiam opera nostra satisfactoria non aliter vim & effectum habent, quam ex satisfactione Christi, à quo offeruntur Patri, & per quem acceptantur à Patre. ita declaravit *Trident. sess. 14. c. 8. de sacrament. pœnit.*

§. Quæres 2. *Quotuplices sint indulgentiæ?*

Resp. Indulgentiæ aliæ sunt totales sive plenariæ, aliæ partiales; priores sunt, per quas remittitur tota pœnitentia & satisfactio sive in hoc sive in altero sæculo sustinenda; posteriores sunt, per quas tantum pars aliqua pœnitentiæ, ut si indulgentia unius sit anni, vel septennii, vel 40. dierum, (quæ in Canonibus Carena dicitur *c. 18. de accusat.*) peragenda fuisset.

Indulgentiæ plenariæ subdividi possunt in plenarias simpliciter, quæ solam pœnam delent, & in Jubilæum, quod alia quoque privilegia adjuncta habet, nimirum potestatem absolvendi à censuris, à casibus reservatis, commutandi vota &c. & pro hoc ab Ecclesia institutus est annus Jubilæi, qui ante tempora Bonifacii VIII. & juxta ejus constitutionem erat annus quilibet sæcularis, sive centesimus. *Extravag. 1. de pœnit. & remiss. inter comm.* Deinde per *Clement. 6. & Extravag. 2. eod.* reductus est ad annum quinquagesimum, & denique per Paulum II. & Sixtum IV. determinatus est annus vigesimus quintus. *Extravag. 4. eod.* Atque ita hodie servatur, ut recurrente semper cujusque sæculi anno 25. à primis vesperis Nativitatis usque ad primas easdem vesperas sequentis anni per totum annum Romæ celebretur Jubilæum, omnibusque Romam ad limina Apostolorum venientibus tribuatur plenissima remissio peccatorum, suspensis interim extra urbem omnibus indulgentiis plenariis pro vivis concessis, *d. Extravag. 4.* quæ tamen anno Jubilæi elapso eoipso extra Romam suum vigorem recuperant. Layman. *in Theolog. moral. Lib. 5. tr. 7. c. 8.*

Solent etiam præter hoc Jubilæum ex speciali summi Pontificis concessione plenariæ indulgentiæ ad instar Jubilæi ad certum tempus in partibus nostris concedi, quarum modus ex tenore Bullæ concessionis desumi & observari debet.

Dividuntur ulterius indulgentiæ, in personales, reales & locales. Personales directè dantur personis abstrahendo à loco *v. gr.* religiosis, sodalibus. Reales conceduntur alicui signo mobili *v. gr.* rosariis, nummismatibus, imaginibus. Locales tribuuntur certis locis & templis, non quod ea sint capacia, sed homines in talibus locis, visitatio tamen ejusmodi loci est conditio ad lucrandas tales indulgentias. Cæterum de his idem dicendum, quod de privilegiis traditur, nempe quod sequuntur personas, res aut loca, quibus conceduntur.

Circa indulgentias reales, quæ nummismatibus & aliis signis sacris à summo Pontifice dari solent, vel immediatè, vel delegata alicui personæ potestate indulgentias applicandi, hodie ex Decreto Innocentii X. servatur, ut tales indulgentiæ non egrediantur tertiam manum, ita ut impetrans *v. gr.* nummisma, quod indulgentiam habet, primus possit dari alteri, & iste tertio, sed ab hoc si transferatur ad alium, pereant indulgentiæ.

Quæres 3. *Quis concedere possit indulgentias?*

6 Resp. Indulgentiarum concessio primo & principaliter ad summum Pontificem spectat, cujus est dispensare thesaurum Ecclesiæ ex meritis Christi & sanctorum collectum, *Extravag. 2. de pœnit. & remiss. inter commun.* Dixi primo & principaliter: equidem per speciale privilegium etiam inferioribus Prælatis potest à summo Pontifice concedi jus dandi indulgentias, sicut concessum est Episcopis in dedicatione Ecclesiæ unius anni, & in anniversario ejusdem dedicationis 40. dierum indulgentiam dare & non non amplius, sive ab uno sive à pluribus Episcopis Ecclesia consecretur. *c. 14. de pœnit. & remiss.* & sicut remissio sive indulgentiæ sunt actus jurisdictionis, sic solus Pontifex habens jurisdictionem universalem in totum mundum, etiam toti mundo ac omnibus indulgentias concedere potest; è contra verò cum Episcoporum limitata sit jurisdictio & illud privilegium concedendi indulgentias, ideoque tales indulgentiæ non prosunt nisi subditis concedentis, alienis vero tunc solum, si à propriis suis ordinariis habuerint licentiam alienæ jurisdictioni & remissioni se subjiciendi, nam prorogatio jurisdictionis in spiritualibus fieri non potest absque proprii judicis & pastoris consensu. *c. 4. de pœnit. & remiss.* P. Engel. *n. 17. eod. tit.*

Quæres 4. *Quid operentur indulgentiæ?*

Resp. Si indulgentiæ sint plena- 7
riæ, pœnæ pro peccatis debitæ totaliter remittuntur, si verò sint partiales, quales sunt indulgentiæ certi temporis *v. gr.* unius anni, habent efficaciam ad delendam pœnam tanti temporis, non solum illam, quæ per pœnitentiam unius anni in vita factam ex pœnis purgatorii deleretur. D. Robertus König. §. 5. *n. 31. de pœnit. & remiss.*

Quæres 5. *An summus Pontifex non tantum pro vivis sed etiam pro defunctis possit indulgentias concedere?*

Resp. 1. Pontifex nequit defunctis 8
concedere indulgentias ex vi jurisdictionis, quia in mortuos nullam habet.

Resp. 2. Summus Pontifex potest concedere indulgentias per modum suffragii defunctis applicandas, cum Christus thesaurum Ecclesiæ æque pro defunctis quam vivis dispertiendum summo Pastori reliquerit, regulariter tamen indul-

dulgentiæ à summo Pontifice concessæ, non possunt applicari defunctis, nisi hoc sit specialiter in Bulla expressum. D. König. *d. l. n. 28.* plura quæ requirantur ex parte illius, qui cupit indulgentias lucrari, passim traditur à Theologis & Canonistis, neque hujus tractationis hic est, cum sufficiat delibasse potestatem concedendi indulgentias.

DISSERTATIO III.
DE
ELECTIONE ET CORONATIONE SUMMI PRINCIPIS ECCLESIASTICI.

POstquam actum est de dignitate & varia potestate summi Pontificis, congruus ordo postulat, ut sub censuram vocetur ipsamet electio Pontificia, quis nimirum ad hujus solii sublimitatem possit ascendere, aut quinam possint ad hujus Ecclesiasticæ Majestatis apicem idoneum eligere & eligendo elevare.

§. I.

QVID SIT ELECTIO PONTIFICIA, ET CUI JURI ORIGINEM SUAM DEBEAT?

SUMMARIA.

1. An sit juris divini, ut Pontifex assumatur per Electionem? 2. Solvuntur objectiones. 3. An S. Clemens fuerit à D. Petro denominatus successor in Pontificatu. 4. An Bonifacius II. Vigilium. Gregorius VII. Victorem III. & idem Victor Urbanum II. sibi successores in Pontificatu substituerint?

Quæres 1. *Quid sit Electio Pontificia?*

Electio ex communi definitione describi potest, quod sit assumptio personæ idoneæ ad Prælaturam Ecclesiæ viduatæ per eos, qui jus

ſuffragii habent, canonice facta. ex qua deſcriptione electionis in genere ſpectatæ facilè eruitur, quid ſit electio Pontificia. Hinc

Reſp. Electio ſummi Pontificis nihil eſt aliud, niſi vocatio perſonæ idonæ ad univerſalis & vacantis Eccleſiæ regimen, per eos facta, qui jus ſuffragii habent.

Quæres 2. *Cui juri originem ſuam Electio Pontificis debeat?*

Reſp. Summum Pontificatum obtineri, ſive ad dignitatem pontificiam vocari per electionem, eſt jure divino introductum. ita Barboſa *J. E. V. lib 1. c. 1. quæſt. 1. n 13.* Paſſerinus *de Elect. c. 1. quæſt. 1. n. 13.* Fagnanus *in cap. accepimus. 5. de pactis à n. 29.* D. Franc. Schmier. *Tr. de modo acq. vel amitt prælat cap. 1. ſect. 1. §. 3. n. 17.* aliique ab eo relati.

Probatur 1. Summus Pontificatus quoad primævam ſui inſtitutionem eſt juris divini *ex dd. ſupra Diſſert. 1.* ergo etiam medium & modus ad ſummum Pontificatum aſcendendi eſt juris divini. prob. conſeq. quia inſtituto Pontificatu ſummo, tanquam fine, etiam modum aſcendendi ad Pontificatum tanquam medium à DEO inſtitutum eſſe credendum eſt, jam vero inter modos Petri cathedram conſcendendi non alius erat aptior & rectior quam electio, ergo electionem ſummi Pontificis ipſe DEUS ordinavit.

Quod autem electio ſit optimus & rectiſſimus modus perveniendi ad dignitatem Pontificiam, ex eo colligitur & probatur, quia neque collatio, neque adoptio neque ſucceſſio convenit præſenti Eccleſiæ ſtatui, & quidem 1. collatio ſupponit altiorem poteſtatem qualis ſupra Pontificiam in orbe non datur. *ex dd. ſupra diſſert. 1.* Supponit quoque in conferente jus, quod per collationem conferendum, cum tamen in ſummum Pontificem non ab homine ſed DEO jurisdictio conferatur. *c. 1. diſt 23. cap. 6. in fine de Elect. & Elect. poteſtate.* Adoptio quæ naturam hæreditariæ ſucceſſionis habere videtur, etiam ex eo nequit in papatu procedere, quia ſic fieri deberet à Pontifice vivente, vel ut adoptatus in conſortium poteſtatis admitteretur, vel ut mortuo demum Pontifici inſtar coadjutoris ſuccederet; atqui ejusdem Eccleſiæ duo ſupremi Paſtores eſſe nequeunt, ſicut nec duo ejusdem regni reges, nec duo ejusdem firmamenti ſoles; jurisdictio etiam Pontificis, cum ſit in perſona ejus radicata, nequit ab ipſo in ſucceſſorem transferri. *cap. 3. de Elect. in 6. clement. 6 in princ. eod.* quia aliàs hæc jurisdictio non à DEO ſed homine proveniret, contra *cap. 13. de judic.* quod pulchre declarant Patres in ſynodo Romana relata *in c. 5. cauſ. 8. quæſt. 1.* ubi dicunt, quod ea, quæ DEI ſunt, ab homine dari non poſſint. Sic quamvis DEUS dederit populo poteſtatem eligendi principes inferiores, *ut Exodi 18. Provide de omni plebe viros ſapientes* &c.

Num.

Num. 11. Congrega mihi septuaginta viros de senioribus Israel. Deut. 1. Date ex vobis viros sapientes gnaros &c. tamen ut inquit S. Thomas *in 1. 2. quæst. 105. art. 1. ad 1.* Institutionem summi principis sibi Dominus reservavit; & hoc est quod Moyses petiit. *Num 27. Provideat Dominus DEUS spirituum omnis carnis, hominem, qui sit super multitudinem hanc.* & sic ex DEI ordinatione institutus est Josue, & de singulis judicibus, qui post Josue fuerunt, legitur, quod DEUS suscitavit populo Salvatorem, & quod Spiritus Domini fuerit in eis, ut patet *Deut. 17. Constitues regem, quem Dominus DEUS tuus elegerit.* hæc S. Thomas. Unde quæ dicta sunt de Moyse, qui erat summus Sacerdos, *can. sacrosancta dist. 22.* post legem Evangelicam ad Pontificem maximum applicanda & referenda sunt, non quidem eo sensu, quasi jus publicum ecclesiasticum novum ex veteri lege desumeremus, sed quæ ibi dicta sunt, congruentiam in nova lege ostendunt. Hinc. Anacletus Papa *can. Electionem. dist. 79.* ait: *Electionem summorum sacerdotum sibi Dominus reservavit.* In hanc rem Cardinalis Turrecremata *in summa de Eccles. lib 2. c. 51. vers. 7.* ait: *de jure naturali & quasi divino videtur esse, ut Papa non faciat sibi successorem, nec post mortem nec post resignationem, quando non præest, licet quamdiu vivit, possit loco sui ponere Legatos & Vicarios, uti vult & sicut vult.* id ipsum colligitur *ex can. si ergo cauf. 8. quæst. 1.* ubi relato exemplo Moysis, qui non permisit judicio suo electionem successoris in principatu, sed electus fuit extraneus ex alia tribu, scilicet Josue filius Nave, quem Dominus ordinavit, & mox exemplo hujusmodi ad summum sacerdotium translato subjicit: *Propinquis agrorum & prædiorum relinquatur hæreditas, gubernatio populi illi tradatur, quem DEUS elegerit.* adde *can. Moyses ead. cauf. & quæst.* Denique si esset aperta via hæc subrogandi sibi successorem in Papatu, verendum esset, ne communiter subitituerentur nepotes & consanguinei, per ea, quæ habentur *in can. pervenit. cauf. 1. quæst. 3.* Nam textus dicit, gravius esse dare jura & reditus Ecclesiarum consanguineis, quam extraneis, & quis speret humanum affectum à carne & sanguine tam abstinentem fore, ut si possit nepoti suo supremum principatum post se relinquere & non faciat? atque ita summum sacerdotium non pro meritis & dignitate, sed affectu carnis quasi patrimonium transmitteretur in posteros; hoc autem esse contra jus naturale, colligitur ex eo, quod qui præesse debet multidini & illam regere, melior cæteris est eligendus, idque bruta ipsa nos docuerunt, ut apes & grues *can. in apibus cauf. 7. quæst. 1.*

Successio denique quia puritati & castitati clericali ad nostra usque tempora in Hierarchia ecclesiastica continuata repupgnat, juxta *can. 6. d. cauf. 8. quæst. 1.* ibi: *Neque sanguini*

principatus in populos, sed vitæ deferendus, propterea non tantum à summo sacerdotio, verum etiam ab inferioribus ministris procul arcenda est, ne quod in synodo Romana sub Hilario Patres conscripti quondam deplorarunt, rursus eveniat, ut Episcopatum, qui nonnisi meritis præcedentibus datur, non divinum munus, sed hæreditarium esse compendium existimetur; & sicuti res caducas atque mortales, ita sacerdotium velut legatario aut testamentario jure posse dimitti credatur. cum ergo nullus alius modus inveniatur, per quem ad apicem Ecclesiæ quis sublimetur, quam electio, illa creditur à DEO fuisse præcepta.

Confirmatur. Non est salubrior, utilior & suavior via ad Ecclesiasticum Principatum, quam electio, nam imprimis ut sapienter olim Imperator Galba peroravit, generari & nasci à principibus, fortuitum, nec ultra æstimatur adoptandi (eligendi) judicium integrum, & si velis eligere, consensu monstratur. Tacitus *lib. 1. Hist. c. 16.*

Sæpius enim heroum filii sunt noxæ, atque ex Antonio Imperatore Philosopho filius plane Reipublicæ incommodus Commodus, ex sapientissimo quodam Carolo ignavus aliquis Wenceslaus est natus.

Deinde Electio magis conciliat eligentes, quia plerumque ardentius diligimus, quod ipsime libere seligimus, ac gratior est pastor, qui non invitis sed volentibus ovibus constituitur, qua de re ait Plinius *Panegyr. c. 7. Imperaturus omnibus, eligi debet ex omnibus.* Ergo tenendum est, quod divina sapientia viam aliam ad culmen Apostolatus non paraverit, quam electionis, cum sapientia divina aliàs omnia non tantum fortiter, sed etiam suaviter disponat.

Prob. 2. Id quod à tempore Petri ad hæc usque tempora sanctissimè fuit in Ecclesia observatum, potius divino judicio, quam humano ingenio ordinatum esse pie credendum est, quia continuata tot sæculorum observantia vim traditionis, vel potius vim habet promulgationis, qua lex anterior & antiquior fit omnibus palam; à temporibus & morte Petri autem nullum alium modum in designando supremo capite observavit Ecclesia, quam electionem prout affirmant testes omni exceptione majores. Barbosa *loc. cit. lib. 1. c. 1. n. 38.* Gonzalez. *ad cap. 6. num. 11. & 12. de Elect. & Elect. potestate.* Ergo pie credendum est, hunc morem, non ab Ecclesia primitus inventum, sed à divino dictamine ordinatum esse.

Objicies 1. Quod summus Pontifex debeat per electionem assumi ad hanc dignitatem, id nullibi reperitur in sacra scriptura, ergo electio Pontificia suam originem non trahit à jure divino. 2

Resp. 1. T. antec. N. conseq. non solum quæ scripta sunt, sed etiam ea, quæ ab Ecclesia sunt tradita,

pro

pro divinis præceptis sunt agnoscenda.

Resp. 2. Dist. antec. id nullibi reperitur in sacra scriptura directè C. indirectè N. directè igitur non habetur scriptum in Evangelio, quod visibile caput Ecclesiæ per electionem sit nominandum, habetur tamen indirecte & per evidentem consequentiam; equidem ex sacra scriptura habetur, quod aliquod caput Ecclesiæ visibile sit à Christo institutum, consequenter etiam Christus debuit determinare aliquem modum quo primatus ille per continuam & constantem Pontificum successionem stabiliatur, indubiè autem divina sapientia elegerit modum, qui statui Ecclesiæ sit conformior, aptior, utilior & acceptior. Conformior, utilior &c. autem ex probatis esse nequit, quam electio, ergo illa saltem indirecte habetur in sacra scriptura.

Objicies 2. Quod in veteri lege servatum est, erat figura illius, quod in nova lege servandum est, atqui in lege veteri sacerdotium hæreditario jure ex Aaron ad filios ejus & cæteros descendentes deferebatur, juxta illud *Exod. 19. v. 24. Aaron & filios ejus applicabis* & illud *Levit. c. 1. vers. 8. & disponent filii Aaron*; item *cap. 3. vers. 8. Adolebunt filii Aaron.* Ergo etiam in lege nova.

Resp. 1. T. Major si loquatur particulariter quoad omnia & N. Min. contrarium enim exinde probatur, quia Moyses juxta *Psalm. 89. vers. 6.* fuit sacerdotali munere functus, ibi: *Moyses & Aaron in sacerdotibus ejus*, imo Moyses juxta D. Nazianzenum *orat. 22.* fuit sacerdos sacerdotum, qui Aaron & filios ejus in sacerdotes inauguravit, uti patet *Exod. c. 29.* & tamen sacerdotium Moysis in posteritatem ejus jure successionis non fuit delatum, ut constat ex *Levit. c. 3.* & quæ ibid. *vers. 1. col. 1. litt. B.* notat Cornelius à Lapide. Ergo si argumentum ex antiquo testamento ad novum formare licet, sacerdotium summum jure sanguinis non erit deferendum.

Resp. 2. Magna est disparitas inter sacerdotium legis gratiæ & legis veteris, quia vetus ille populus Dei, nullo alio signo agnoscebatur quam sanguinis, solum enim adscribebantur sub dominica militia, qui ex Jacob originem ducebant, in populo autem novo non sanguis militem Christi designat, sed sine ulla personarum acceptione omnes mundi nationes per Baptismum Christi regenerantur, quo sensu Paulus *ad Galath. 3. vers. 28.* ait: Non est distinctio Græci & Latini; quapropter sacerdotes in veteri lege uxores & filios habebant, ad quos sacerdotium jure sanguinis transmittebatur, in nostra autem lege gratiæ, nihil carnale sacerdotibus permittitur, ideo electio potius, quam successio admissa fuit. Denique in novo testamento perfectiora & expeditiora præcepta à Deo

Deo fuerunt condita, quam in antiquo, ideo mirum non est, quod jam electio vigeat in Ecclesia, licet olim successio fuerit in Synagoga; imo ex majori supra positi syllogismi nil sequitur, vetus tus testamentum fuit figura novi, an ergo inferre licebit ita: Ergo in novo Testamento omnia tenenda sunt, quæ in veteri fuerunt observata, quæ sequela variis retorsionibus posset falsitatis argui & demonstrari.

Objicies 3. Adoptio ad summum Ecclesiæ Principatum jam semel obtinuit, & jure quidem, ergo electio non est juris divini.

3 Prob antec. Sanctum Clementem à S. Petro adoptatum fuisse probat & refert Joannes *in can. 1. cauf. 8. quæst. 1.* Ergo jam semel obtinuit adoptio & jure quidem, cum nemo melius sciverit, qua ratione assumptio summi Pontificis celebranda sit, quam primus ab ipso Deo constitutus Pontifex Petrus.

Respondetur 1. Adhuc esse valde dubium, sitne Epistola Joannis III. *in cit. can. 1.* ab ipsomet Joanne, an vero manu apogrypha conscripta? dubium secundo est inter ipsos SS. Patres an Clemens immediatè S. Petro, an vero Linus Petro, Lino Cletus, Cleto demum Clemens successerit, juxta notum versiculum Gloss. *in cit. can. 3. §. de Clemente.*

Disputat hic mundus, quartus fuerit ne secundus?

Ecclesia tamen catholica cum D. Augustino, Milevitano, Ignatio, Irenæo, Eusebio, Nicephoro, &c. hucusque sensit, Clementem fuisse quartum à S. Petro Pontificem (prout etiam supra *dissert. 1. §. 2.* est notatum) dum in canone missæ Clementem post Linum & Cletum recenset. Barbosa *in collectan. ad cit. can. 1.* Gonzalez. *ad cap. 20. de præbend. n. 16.*

Resp. 2. Si factum Petri ita se habeat, ut asseritur, illud nec improbandum, nec imitandum esset, quia singulari divinæ inspirationis impulsu motus, non sua voluntate sed Numinis authoritate Clementem sui officii hæredem nuncupasset, aliàs sine cætus Apostolici consensu non deputaturus Pontificem, qui nequidem absque consensu Apostolorum S. Matthiam in collegium Apostolicum recepit. Gloss. *in can. si transitus vers. non potuit. dist. 37.*

Respondetur 3. quod si denominatio, quam Petrus feciisse dicitur, etiam interveniisset, non tam substitutio, quam commendatio deberet vacari, adeo ut D. Petrus, quem Spiritu sancto plenum sciebant fideles, de successore quæsitus, nullum digniorem & aptiorem responderit sancto Clemente, qui deinde licet ad excellens Petri testimonium fuisset evocatus à Clero & populo, attamen per hoc non impugnaretur electio. Tenenda igitur est hæc responsio, quod *cit. can. 1.* sit apogryphus & series nostra

Ponti-

Pontificum sit legitima, ac consequenter negandum est, quod Clemens fuerit à Petro adoptatus.

4 Objicis 4. Bonifacius II. in concilio Romano Vigilium Diaconum sibi successorem delegit anno Christi 531. Cum enim Gothorum reges impie sibi usurpassent electionem Romani Pontificis, Bonifacius Ecclesiæ consultum putavit, ut nullo relicto sedis vacantis loco successorem sibi substitueret, cujus rei meminit Anastasius Bibliothecarius in vita ipsius Bonifacii, & habetur *tom. 2. Concil. part. 1. fol. 643. col. 2. & fol. 646. col. 3.* in hæc verba: Hic, scilicet Bonifacius, congregavit Synodum in Basilica B. Petri Apostoli & fecit constitutum, ut sibi successorem ordinaret, quo constituto cum Chirographis sacerdotum & jurejurando ante confessionem B. Apostoli Petri in successorem Diaconum Vigilium constituit. Nec desunt alia exempla his similia, nam Gregorius VII. miraculis clarus, salerni ante tertiam diem sui obitus rogatus ab Episcopis & Cardinalibus, qui tunc aderant, ut de Romanæ sedis post obitum suum ordinatione juberet, hortatus est, ut Desiderium Pontificem facerent, aut Origenem Lugdunensem Archi-Episcopum, aut Ottonem Hostiensem Episcopum, sicque post ejus mortem electus fuit à Cardinalibus ipse Desiderius & Victor III. vocatus, ipsemet etiam Victor gravi dysenteriæ morbo laborans, convocatis ad se Episcopis & Cardinalibus, jussit, ut juxta Gregorii voluntatem Ottonem Hostiensem Episcopum eligerent, quem manu apprehensum cæteris tradidit, dicens: *Accipite eum & in Romana sede locate.* Rem ut præfertur in Synodo gestam, refert Leo Hostiensis *lib. 3. cap. 7.* & habetur *tom. 3. concil. part. 2. fol. 406. col. 4. litt. f.* itaque Gregorii tempore de consensu Patrum adstantium statutum fuit, ut unusquisque ante mortem eligeret sibi successorem, prout Gregorius Anno 1085. elegit Victorem III. Victor III. Urbanum II. anno 1086. lege Cardinal. Baronium ad annum Christi 1085. fol. 183. & annum 1087.

Resp. Factum illud Bonifacii II. in concilio iterum congregato ab omnibus reprobatum fuisse, ut idem Anastasius attestatur, dicens: eodem tempore facta iterum Synodo, hoc censuerunt sacerdotes omnes proter reverentiam S. sedis, & quia contra Canones hoc fuerat factum, & quia culpa eorum respiciebat, ut successorem sibi constitueret, ipse Bonifacius Papa reum se confessus est Majestatis, quod diaconum Vigilium sua subscriptione Chirographi ante confessionem B. Apostoli Petri constituisset, ac ipsum constitutum in præsentia omnium sacerdotum & cleri & senatus, incendio consumpsit; ut refertur *tom. 2. concil. part. 1. fol. 634. col. 2. litt. C.* Unde ex tam insigni retractatione validissimum desumitur argumentum pro hac sententia.

Sed & Sylverius Papa in decreto anathematis in Vigilium exprobrat, quod contra jura Canonica tempore Bonifacii ipso vivente successor ejus designari conatus fuerat, ut patet ex epistola ipsius Sylverii ad Vigilium Pseudo-Papam, quæ habetur *tomo 1. concil. part. 1. fol. 772. col. 1.* & vide Baronium *tom. 7. ad annum 521. fol. 166.* Alia vero exempla in contrarium adducta non videntur obstare, quia si accurate considerentur, illæ non fuerunt substitutiones successorum, sed potius designationes; Pontifices enim à Cardinalibus rogati indicarunt, quem dignum putarent cathedrâ Petri, salvis tamen Cardinalium suffragiis, ideoque nullus ex designatis gessit se pro Papa, nisi post subsecutam Cardinalium electionem, ut colligitur *ex can. petiit. cauſ. 7. quæſt. 1.* ibi: *Si eum aptum cognoveris, tibi ſucceſſorem deſigna, ut huc veniat ordinandus.*

Objicies 5. *can. tranſitus. diſt. 79.* innuitur Papam posse ante transitum suum de successore decernere & deliberare, ergo Pontifex non est necessario per electionem assumendus.

Resp. Aliud est de sui successoris electione cum fratribus deliberare, quod ibi permittitur & potest fieri, & aliud ex testamento quasi dignitatis suæ hæredem substituere, quod penitus prohibetur. *can. Epiſcopo non. cauſ. 8. quæſt. 1.*

§. II.

QVIBUS OLIM JUS ELIGENDI PONTIFICEM COMPETIERIT?

SUMMARIA.

1. In primordio Eccleſiæ Clerus & populus interfuit Electioni Pontificiæ. 2. Quando Imperatores admiſſi ſint, & quæ conditione, ad Electionem Pontificiam? 3. Hac de re quale privilegium habuerit Carolus magnus? 4. Quomodo jus eligendi ad Cardinales ſolos translatum fuerit? 5. An jus & ſuprema poteſtas ordinandi Eccleſiam fuerit unquam penes Imperatores? 6. An privilegium, quo Imperatores interfuerit olim electioni Pontificum potuerit iis juſtè auferri, ubi aſſignatur ratio?

1 Quod ab initio nascentis Ecclesiæ Romano-Catholicæ cum clero populus electionibus Pontificiis interfuerit, ad eum fere modum, quo in electionibus aliorum Prælatorum comparuit per *can. 5. cauſ. 7. quæſt.*

quæst. 1. & plures alios *in can. dist. 63.* dubium non est, teste Gonzalez. *ad cap. 6. de Elect. n. 12.* Laymann. *de Elect. quæst. 121. resp. 1.* quia totius Reipublicæ Christianæ negotium esse credebatur communem & principem pastorem communi omnium suffragio designare. idem tenet D. Francisc. Schmier. *tract. de mod. acquir. vel amittend. prælat. c. 1. sect. 4. §. 1. n. 386.*

Postquam autem Constantinus Imperator sacris Christianis accessit, successores ejus non semel electionibus papalibus semet immiscuerunt, tunc præsertim, quando schisma, dissidentibus Electorum votis timebatur Ecclesiæ futurum, sic enim à Valentiniano in schismate Ursicini Damasus, ab Honorio in schismate Eulalii Bonifacius, ab aliis Imperatoribus alii Pontifices electi sunt, nec tamen proprio magis, quam à fidelibus delegato jure, ea tempestate Imperatores utebantur, imo ab ipsa vocabantur natura, utpote quæ in casu necessitatis principibus tanquam advocatis & protectoribus satiscentis Ecclesiæ, jus eam defendendi committit. Sfondrati *in regal. sacerdot. prælud. §. 1. n. 13.* Gonzalez. *cit. loc. n. 12.*

Postquam autem humanæ ambitionis libido intra limites non stetit, sed amplius exarsit, etiam Principes & Imperatores amplius progressi sunt, ac pro suo libitu usque ad tempus translati in occidentem Imperii circa electiones summorum Pontificum disposuerunt, & teste Sfondrati anno Christi 355. Constantius Imperator Arianus Liberio in exilium pulso, Felicem II. Cathedræ Romanæ imposuit anno 526. Theodoricus Italiæ rex Felicem IV. Pontificem esse jubet anno 533. Athalricus Italiæ rex non contentus electionum confirmationes sibi vindicasse, certam insuper pecuniæ vim Pontifici Romano imponit. Anno 555. Imperatoris Justiniani non consensu tantum, sed etiam promotione Pelagius Pontificatu donatur, & deinceps exemplo ab Arianis ducto, electis Pontificibus imperatur, ut pecunia & non aliter confirmationem obtineant; unde *cit.* Sfondrati exclamat, quod cupiditas auri ne piissimo quidem principi pepercerit! Ipse Gregorius magnus ab Imperatore Mauritio consensum expectare & pecuniam ante confirmationem pendere debebat; Anno 687. Constantinus Bagonatus dato ad Agathonem papam diplomate remittit pecuniam hactenus pro confirmatione dari solitam salvo tamen jure confirmandi. Anno 684. idem Constantinus Benedicto II. necessitatem petendæ Constantinopoli confirmationis remittit, sic tamen, ut ab Exarchis, qui nomine Imperatorum Italiam gubernabant, peteretur.

Sub ævum Caroli magni, paulo ante, quam Imperium à Græcis ad Germanos erat translatum, anno Christi 774. tradunt AA. permulti,

quos recenſet Barboſa *cit. lib. 1. cap. 1. n. 52* ab Hadriano I. privilegium eligendi Papam omnesque Epiſcopos inveſtiendi Carolo magno fuiſſe conceſſum, idque à Gratiano *in can. Hadrianus. 22. diſt. 63.* decreto inſertum eſt, quem Canonem tamen potius fabulam eſſe, & deſumptum ex Chronico Sigeberti monachi Gemblacenſis, qui Henrico IV. contra Gregorium VII. Urbanum II. Paſchalem II. ſummos Pontifices adhæſiſſe, & eapropter in præjudicium ſedis Apoſtolicæ ſcripſiſſe fertur, poſt Baronium & Spondanum ad annum Chriſti 774 contendunt Suarez de defenſione fidei Catholicæ contra Anglicanæ ſectæ errores *lib. 3. cap. 29. n. 7.* Gonzalez. *loc. cit. n. 12.* & alii plures ab his relati.

Verum ſententia Gratiani valdè probabilis, ut cum Barboſa *cit. cap 12. n. 54.* ſentire videtur Sfondrati *in regal. ſacerdot. lib. 1. §. 5. ſub num. 5.* tum quia Gratianus *cit. can. Hadrianus. 22.* non ex Sigeberto ſed ex hiſtoria eccleſiaſtica deſumpſit, tum quia *in can. in ſynodo 23. diſt. 63.* habetur, ad exemplum beati Hadriani Apoſtolicæ ſedis Antiſtitis, qui Domino Carolo victoriosiſſimo regi Francorum & Longobardorum patriciatus dignitatem ac ordinationem ſedis Apoſtolicæ & inveſtituram Epiſcoporum conceſſit, à Leone Pontifice cum toto clero ac populo Romano indultum fuiſſe Ottoni I. jus eligendi ſummum Pontificem. Quia præterea Ludovicus I. poſt Carolum magnum ſtatim huic privilegio renuntiavit, ut habetur *can. Ego Ludovicus. eod. diſt. 63.* Ottone I. & Henrico I. prout ab eodem Gratiano recenſetur *can. 32. can. 33. eod. diſt. 63.* ſimiliter facientibus, qui Canones & decretum tanto majorem nanciſcuntur probandi vim, quia per Bullam Gregorii XIII. decreto Gratiani præfixam, liquet, quod omnia in decreto contenta ſuis originalibus fideliter correſpondeant.

Quod autem Hadrianus Papa neque orbitam ſuæ poteſtatis culpabili errore ſit transgreſſus, nec Eccleſiæ libertatem imminuerit, tam amplum privilegium concedendo, excuſatur propter ſingularia Caroli merita in Eccleſiam, quæ ſibi Carolus acquiſivit ſæpius aſſiſtendo & propugnando Eccleſiam in oppreſſione Longobardorum univerſum fere D. Petri patrimonium cum incredibili in Romanos Pontifices exercita Tyrannide vindicantium, quapropter Carolus extraordinaria quadam prærogativa fuit condecoratus, imo ſentiendum videtur, quod Carolus non tam facultatem acquiſiverit ordinandi electionem pontificiam, quin potius ſuo conſenſu & approbatione coadjuvandi, ut ipſemet Gratianus *in §. Electiones. ad can. 25. cit. diſt. 63.* inſinuat.

Poſt hæc ad S. R. E. Cardinales 4 & primario quidem ad Cardinales Epiſcopos, ſecundariò ad Cardinales presbyteros & diaconos jus eligendi

eligendi ſummos Pontifices pervenit, non plene excluſo ſed electionem jam habitam ſequente populi & cleri conſenſu, de quo extant conſtitutiones Nicolai II. editæ circa annum Domini 1059. *in can. 1. diſt. 23. can. 1. can. 9. diſt. 79.* & quia necdum plane acquieſcere volebant imperatores, poſt multorum annorum curriculum ac varia certamina, tandem anno 1122. ſub Calixto II. Libertas electionis Pontificiæ, quin & aliorum Eccleſiæ Prælatorum ab imperatoribus poſtliminio ſolis perſonis Eccleſiaſticis ceſſa, ac non tantum in concilio Rhemenſi & Lateranenſi, ſed etiam in comitiis Wormatienſibus communi Henrici IV. omniumque imperii ſtatuum conſenſu ſtabilita eſt.

Et cum amplius exempla docerent, quod non adeo tranquillæ & pacificæ ſint electiones Pontificum ſi clerici & laici quomodolibet inveniant, deinceps anno 1274. in concilio Lugdunenſi ſub Gregorio X. totum jus Romanum Pontificem eligendi ſolis Cardinalibus, remotis non tantum principibus ſed etiam clericis & populo, collatum eſt, ut docet *cap. 3. præterea. & §. cæterum de Elect. in 6.* Sfondrati *in prælud. §. 1. n. 3.*

5 Ex quo colligitur, quod etiam ſupra *diſſert. 1.* adverti, jus & ſummam poteſtatem eccleſiaſticam nunquam fuiſſe penes imperatores & principes, illud enim privilegium aſſiſtendi electioni pontificiæ, quod erat imperatoribus conceſſum, hoc ipſo quod ſit privilegium, denotat ſuperioritatem, & ſummam poteſtatem privilegiantis, nimirum Pontificis, à quo Imperatores tale privilegium recognoverunt.

6 An autem tale privilegium & jus quæſitum potuerit juſtè & legitimè imperatoribus & principibus auferri, quis dubitet; licet Brunnemannus *Jurisprud. publ. diſſert. 7. §. 10.* idcirco plurimas calumnias emovet in ſummos Pontifices Gregorium VII. Paſchalem II. & Calixtum II.

Juſta verò tale privilegium auferendi ratio fuit, quod privilegiatus privilegio poſſit privari, quando propter abuſum privilegiati privilegium in diſpendium Eccleſiæ retundat, ſicut revera privilegium eligendi Pontifices, quod jure vel injuria ſibi arrogabant imperatores, in ingens Eccleſiæ detrimentum vergebat, dum ea ætate ut plurimum non alia via ad ſummum Pontificatus apicem patebat, quam per vim, metum, ambitionem & ſexcenta alia ſcelera; unde frequentes ſciſſuræ & ſchismata evenerunt, populo, clero & imperatoribus in diverſa euntibus, ut ſatis conſtat ex monumentis.

§. III.

QVIBUS HODIE COMPETAT JUS ELIGENDI SUMMUM PONTIFICEM?

SUMMARIA.

1. An hodierno jure solis Cardinalibus competat Jus eligendi Pontificem? 2. An etiam Cardinalibus solum creatis, qui nondum acceperunt insignia? 3. An Cardinalibus, quibus os adhuc clausum aut qui sunt irretiti censura? 4. Quonam ordine debeat Cardinalis esse initiatus, adhoc ut ei competat jus suffragii? 5. An jus eligendi Pontificem possit remanere penes unum aut duos Cardinales? 6. Ad quem devolvatur jus eligendi Pontificem si omnes Cardinales essent mortui? 7. Si tempore concilii generalis Papa moriatur, an eo casu jus eligendi competat concilio? 8. Si interveniente schismate Pontifex deponatur à concilio, an eidem concilio competat jus eligendi? 9. An Cardinalis absens possit alterum Cardinalem constituere procuratorem in electione?

1 Quæres 1. *An solis Cardinalibus hodierno jure competat facultas eligendi summum Pontificem?*

Resp. Affirmativè. prob. ex concilio Lugdunensi *in c. ubi periculum. 3. de Elect. in 6. ex concil. Viennensi in Clement. ne Romani eod tit. cap. licet 6. de Elect.* ubi decernitur, ut absque ulla exceptione ab universali Ecclesia Romanus Pontifex habeatur, qui à duabus partibus tertiis Cardinalium electus fuerit & receptus.

2 Quæres 2. *An hoc jus suffragii competat Cardinalibus à Papa creatis, etsi nondum adepti sint pileum & alia insignia Cardinalitia, quæ juxta Romanæ curiæ morem Cardinalibus dari solent?*

Resp. Affirmativè. ita tenent Barbosa *J. E. V. lib. 1. c. 1. n.* 73. Fagnan. *ad cap. licet de Elect. n. 19.* Pirrhing. *sect. 9. §. 1. n. 420. de Elect.* D. Franciſc. Schmier. *cit. tract. §. 2. n. 399.*

Prob. Cardinalis quamprimum à Pontifice creatus est, omnem potestatem administrandi Ecclesiam habet etsi possessionem nondum sit adeptus, sicut enim Abbas, etsi nondum sit Benedictus, omnem jurisdictionem habet. Hinc

Infertur 1. idem jus competere 3 Cardinalibus, quibus os adhuc clausum est, neque opus est, ut aliquamdiu in consistoriis antea versati sint, praxin didicerint, prout habetur in novissimo decreto Pii V. edito 26. Jan. 1521. ubi hæc oris clausura declaratur esse simplex

plex ceremonia, quæ ad subjectum electionis non pertinet. neque obstat constitutio Eugenii IV. quæ incipit *in eminenti edita 7. Calend. Novembris 1431.* & habetur in Bullario *tom. 1. pag. 769.* est enim abrogata per posteriores constitutiones.

Infertur 2. Cardinales rite creatos eligere posse, tametsi censura aliqua innodati reperiantur *per Clement. 3. §. 3. de Elect.*

4 Quæres 3. *An omnibus Cardinalibus vel solum quibusdam in certo ordine constitutis competat hoc jus eligendi?*

Resp. Hoc jus suffragii competere 1. Cardinalibus Episcopis. 2. Cardinalibus Presbyteris. 3. Cardinalibus Diaconis.

Ratio, quia de Cardinalibus in inferiore, quam Diaconatus ordine constitutis per speciales Bullas ordinarunt Pius IV. Sixtus V. Gregorius XV. quod in electione Romani Pontificis vocem activam non habeant. Constitutio Pii IV. quæ incipit *in eligendis. §. statuimus etiam.* edita 7. Idus Octobris 1562. Constitutio Sixti V. incipit: *Postquam versus ille. §. neque post hæc.* edita Nonis Decembris 1586. Gregorius XV. id decernit in ceremoniali electionis Papæ ab ipso approbato §. *porro.* in Bullario *tom. 4. pag. 104.* teste tamen Barbosa *loc. cit.* præcitatis constitutionibus summi Pontifices hactenus fuerunt soliti derogare, dum in creatione Cardinalium breve aliquod particulare in ordine ad habendam vocem activam, ipsis expediri jubent.

Quæres 4. *Si omnes Cardinales* 5 *essent mortui tempore electionis faciendæ præter unum aut duos, an isti soli possint eligere?*

Resp. Affirmative, Ratio est, quia non est potior ratio cur aliqua alia universitas in uno vel duobus individuis potius conservari possit, quam collegium Cardinalium, cum tamen alias sit communis regula *ex c. 1. de Elect. l. 7. §. 2. ff. quod cujuscunque universit.* totam | universitatem illiusque jura in uno conservari. Panormit. *ad c. licet. num. 15. de Elect.* Gonzalez, *ibid. num. 13.*

Quæres 5. *Ad quem pertineat e-* 6 *lectio Papæ si omnino Cardinales essent mortui?*

Resp. Hoc dubium nullibi textu quodam vel ratione sufficienti est decisum, nec sufficienter est declaratum, sed potius decisione Pontificia indiget; aliqui cum Baldo *in l. ubi adsunt ff. de tut. & curat.* dicunt electionem ad Patriarchas spectare, alii cum Hostiensi *ad cap. licet de Elect.* Concilio generali potestatem eligendi tribuunt. Plures, quibus assentitur Barbosa *cit. cap. 1. n. 75.* Gonzalez. *ad d. c. licet num. 13. in fin.* cum D. Antonino *part. 3. summæ tit. 22. §. 2. n. 4.* Canonicis Lateranensibus quorum Ecclesia est propria sedes Pontificis supra omnes orbis & urbis Ecclesias, electionem consignant. Forte etiam sine absurdo defendi posset, electionem in casu posito redire ad primævum statum, in quo penes totum clerum

&

& populum Romanum fuit, saltem si concilium congregari non posset?

7 Quæres 6. *Utrum si Papa moriatur tempore generalis & œcumenici concilii, electio generali concilio vel Cardinalibus competat?*

Resp. Electionem adhuc competere Cardinalibus. ita Gonzalez. *cit. n. 13. in fin.* & probatur exinde quia Julius III. Marcellus III. Paulus IV. & Pius IV. summi Antistites tempore generalis concilii Tridentini necdum absoluti sed adhuc tunc pendentis & suspensi, non à concilio sed collegio Cardinalium sunt electi; & insuper ratio est, quia quam potestatem solum concilium non dedit Cardinalibus, eam non potest sine gravi & manifesta causa adimere.

8 Quæres 7. *Si interveniente schismate aut hæresi Pontifex à concilio generali deponatur (quod absit) utrum electio concilio vel Cardinalibus competat?*

Panormitanus *in cap. licet sub n. 8. vers. sed adverte*, putat de jure verius esse, quod electio pertineat ad concilium. sed nihilominus:

Resp. In casu posito electionem pertinere ad Cardinales ita Barbosa *d. cap. n. 76.* D. Francisc. Schmier. *cit. §. 2. n. 304.*

Ratio est, quia delictum Pontificis non debet gravare collegium purpuratorum, ut propterea potestatem eligendi Pontificem, quam à concilio solo non accepit, ab eodem sine alia & prægnanti causa privari mereatur.

Quæres 8. *An Cardinalis ex justa causa absens & recedens possit alteri Cardinali demandare suffragium suum?*

Resp. Negative. Ratio est, quia id non legitur Cardinalibus concessum, *& c. 46. de Elect. in 6.* id concedit in aliis electionibus, ut canonicus *v. gr.* juste impeditus suffragium suum possit alteri committere, de electione vero Pontificia mentionem non facit. Nec alius textus suppetit, quo id affirmandum esset. Pirrhing. *sect. 9 § 1. num. 420. de Elect.* aliique ab eo relati,

§. IV.

QVISNAM IN SUMMUM PONTIFICEM ELIGI POSSIT?

SUMMARIA.

1. An femina possit eligi in summum Pontificem? 2. Quid sentiendum de Joanna Papissa? 3. An eligendus in Pontificem necessario debeat esse Cardinalis. 4. An eligendus in Pontificem debeat esse initiatus aliquo ordine sacro? 5. An etiam laicus possit eligi? 6. An etiam uxora-

uxoratus possit eligi in Pontificem? 7. Quæ ætas requiratur ut quis eligi possit? 8. An etiam infans sit absolute capax Papatus?

Quæres 1. *An fœmina possit eligi ad dignitatem Pontificiam?*

1 Respondent negative omnes Catholici, Ratio est, quia Apostolus non tantum non docere, sed ne loqui quidem permittit fœminas in Ecclesia. *1. ad Corinth. 14.* partim, quia Vicarium Christi oportet esse ejusdem sexûs cum Christo, partim quia non est credibile, voluisse servatorem nostrum, qui beatissimæ Matri suæ claves cœlorum & gubernacula Ecclesiæ non concessit, *c. 10. de pœnit. & remiss.* fœminæ inferioris conditionis Papatum deferre. Imo si, ut refertur in Breviario Romanno die 27. Maji in vita S. Joannis I. Fœmina quædam nobilis non potuit sedere in equo, cui prius sanctissimus Pontifex Joannes insederat, sed toties, quoties tentabat, cum fremitu spumantis equi excussa est, tanquam (ut dicit Breviarium) equus indignaretur mulierem recipere, ex quo sediisset in eo JEsu Christi Vicarius; quomodo papalem thronum conscendere digna habebitur?

2 Trita, in plateis ferme decantata circumfertur & pro historia venditur fabula, quæ à Platina etiam (quamvis sub dubio) in vita Joannis VIII. refertur, de Joanna Papissa, quam alii Agnetem, alii Dorotheam, multi Gilbertam, Margaretham aut Juttam vocant, quod scilicet fœmina quædam hujus nominis, Athenis liberalibus disciplinis apprimè exculta, Romam profecta, atque ob doctrinæ, quam publicè profitebatur, præstantiam omnium ore celebrata, post obitum Leonis IV. circa annum 853. Petri cathedram per biennium rexerit, ac interea à quodam suorum famulorum compressa, in publica quadam processione inter Colossæum & S. Clementem parturire, & inter dolores partus perire cœperit.

Verum: hæc est fabula mendaciis & figmentis nimium palpabilibus composita, nam Anastasius Monachus S. R. E. Bibliothecarius (quo fidelior & candidior Historicus non invenitur, ut eum appellat Baronius *Annal. Ecclesiast. tom. 9.*) scripsit & vixit tempore Leonis IV. nec tamen vel unicam hujus impostura mentionem ingerit, quin Leonem usque ad annum 855. Ecclesiæ præfuisse, eique post 15. dies non sine prodigiosis ominibus successisse Benedictum III. memorant alii quoque & vita & calamo celeberrimi Historiographi, qui proximi illis temporibus inclaruerunt, quales sunt Ademarus monachus, Rhegino Abbas Brumiensis, Hermannus Contractus, Lambertus Schaffnaburgensis, Otto Frisingensis, Conradus Urspergensis, altissimum de papatu fœmineo silentium tenent; Verum ipsimet

authores hujus commenti sunt discrepantes in nomine, patria, moribus, &c. larvatæ Papissæ; & sane quis prudens unquam credat fæminam exteram & ignotam, de natalibus & origine non probatam, ad Ecclesiæ universalis regimen statim assumi, vel in ætate graviori parere, neque à tot aulicis & famulis pontificiis uterum adverti, ac demum partûs tempore in publicum prodire, nunquid hæ circumstantiæ sunt, quæ vel infantibus & mulieribus de falsitate sunt suspectæ?

Authorem hujus fabulæ aliqui dicunt Martinum Polonum in sua Chronologia, Spondanus autem originem fabulæ ad annum Christi 85. inde desumit, quod aliquando fœmina in sede Patriarchali Constantinopolitana collocata, contra quod factum vehementer exarsit Leo IX. Romanus Pontifex in epistola ad Michaelem & Acridanum Constantinopolitanos Antistites.

Unde facile potuit accidere, ut quidam malevoli pro fœmina Patriarcha fœminam Pontificem in odium Leonis commenti fuerunt. Onuphrius Pavinius *in annot.* ad Platinam in vita Joannis VIII. fabulæ probrosam scaturiginem ex vita turpissima Joannis XII. manare credit, qui, quod ex pluribus scortis JoannamRojœriam deperiret,atque ex illius arbitrio disponeret omnia, non Joannes sed Joanna appellatus esse creditur. Plura videri possunt apud Spondanum *loc. cit.* Baronium *eod. anno.* Onuphrium *loc. cit.*

Quæres 2. *An eligendus in Pontificem necessario debeat esse de collegio Cardinalium, sive an nemo possit eligi in Pontificem, nisi sit Cardinalis?* 3

Resp. Negative. ita tenet Fagnanus *in cap. licet. n. 14. de Elect.* Barbosa *dict. cap. 1. num. 88. & 77.* D. Francisc. Shmier. *tit. tract. de modis acquir. & amitt. Prælat. cap. 1. sect. 6. §. 3. n. 411.* Sotus, Azorius aliique ab eo relati.

Prob. ex *can. in nomine Domini. 1. vers. eligatur autem. dist. 23.* ubi Nicolaus II. in concilio Lateranensi ait: *Eligatur* (Pontifex) *de ipsius Ecclesiæ gremio, si reperiatur idoneus, vel si de ipsa non inveniatur, ex alia assumamatur.* Hinc post *cit.* constitutionem Nicolai II. sex numerantur, qui ad Pontificatûs apicem sunt evecti,nec tamen erant Cardinales, videlicet Urbanus IV. Gregorius X. Cœlestinus V. Clemens V. Urbanus V. Urbanus VI. Si

Objicias. *can. 3. cum seq. dist. 75.* ubi Stephanus III. neminem ad Apostolatus culmen assumi debere asserit,qui Cardinalis Diaconus, aut Presbyter non fuerit.

Respondet Fagnanus *cit. can. 3.* utpote jus antiquum, esse abrogatum per jus posterius, & videmus ab exemplis inductis huic juri posteriori *in can. in nomine 3. & 4. licet. de Elect.* accedere observantiam contrariam.

Quæres

4 Quæres 3. *An eligendus in Pontificem, licet non ſit de collegio Cardinalium, ſaltem debeat eſſe initiatus certo ordine ſacro?*

Reſp. in eligendo nullum certum ordinem requiri. ita tenent AA. *cit. quæſt. præced.* & prob. per *c. licet de Elect.* ubi omnis exceptio contra electum Pontificem opponi prohibetur; & conſequenter etiam exceptio defectus ordinum. Confirmatur etiam reſponſio ab exemplis, cum legatur Eugenium III. ex Abbate regulari, Gregorium X. Archi-Diaconum, Cœleſtinum V. monachum nequidem in ſacris conſtitutum, ad Apoſtolatûs ſolium evaſiſſe.

5 Quæres 4. *An etiam laicus poſſit eligi in Pontificem?*

Reſp. Cæteris paribus, ſi vitæ merita & clericorum inopia id exigat, poſſe laicum eligi. Barboſa *loc. cit.* Fagnan. *cit. cap. licet. n. 15.* Pirrhing. *ſect. 9. §. 2. n. 433. de Elect.* D. Franciſc. Schmier. *loc. cit. n. 414.* Reſponſio data colligitur ex ceremoniali Romano, ubi præſcribitur forma ordinandi & promovendi laicum, per electionem ad Eccleſiæ univerſalis gubernacula ſublimatum. Deducitur 2. ex *cit. cap. licet.* per quod videtur eſſe abolitus & immutatus *can. oportebat cum ſeq. diſt. 79.* Ergo.

6 Dubitari magis poteſt: *An etiam uxoratus poſſit eligi in Pontificem?*

Affirmativam tenet Fagnanus *loc. cit. n. 15.* & ab eo relata gloſſa *in can. ſi quis pecunia diſt. 79. & can. quis ſit. cauſ. 18. quæſt. 2.* Baldus *in cit. cap. licet num. 3. & ibid.* Panormitanus *n. 4.*

Ratio eſt, quia ſi uxoratus non poſſet eligi in Potificem, proveniret utique hoc impedimentum ex jure poſitivo humano, cum textus ſacer non habeatur, qui arceat uxoratum à Pontificatu. Atquī per ſæpius *cit. cap. licet de Elect.* ſublatæ ſunt omnes exceptiones juris poſitivi humani, quæ contra electum opponi poſſent. Ergo & hæc exceptio, quod ſit uxoratus.

Quæres 5. *An requiratur certa ætas in eligendo & aſſumendo ad Pontificatum?*

Reſp. Nullam ætatem eſſe determinatam, ſi modo tanta ingenii & judicii maturitate polleat, ut per ſe fideles regere & paſcere valeat. ita tenent Fagnanus *in c. cum in cunctis 7. n. 28. de Elect.* Barboſa *d. l. n. 83.* Panormitanus *in cit. cap. licet. n. 10.* D. Franciſc. Schmier. *loc. cit. n. 415.*

Ratio eſt, quia *in d. cap. licet.* nequidem ætatis exceptio admiſſa eſt; & ratio rationis eſſe poteſt, quia Spiritus ſanctus, cujus organum & inſtrumentum eſt ſummus Pontifex, nec conditionem nec ætatem attendit, ſed quandoque per ſenes, quandoque per juvenes admiranda ſua conſilia patefacit.

Et quamvis Bonacina *de Elect. ſummi Pontificis quæſt. 2. in princ. n. 6.* defenderit ſummum Pontificem velut Epiſcoporum Epiſcopum ad minus 30. annorum eſſe debere, ut

sic Christo, cujus est Vicarius, in ætate sit conformior, attamen hæc solum congruentia est, non absoluta necessitas, suadens, non præcipiens. Tum maximè, quando Spiritus sanctus, nesciens tarda molimina, ætatem antevertit, atque in homine minoris ætatis tam prodigiosè charismatum suorum exuberantiam ostendit, ut supra ætatem surgere videatur.

8 Dixi, *si modo tanta ingenii & judicii maturitate polleat*, &c. hinc censet Pirrhing. *d. loc. n. 434.* quod infans vel amens, qui liberum consensum non habet, sit jure divino & naturali inhabilis; adeoque exceptio infantiæ vel amentiæ contra electionem factam opponenda, nec fuit sublata, nec tolli potuit ab Alexandro III. in concilio Lateranensi *per d. c. licet de Elect.* quod autem infans aut amens jure naturaturali & divino sit inhabilis ad Papatum, exinde desumitur, quia Papæ committitur regimen, & gubernaculum universalis Ecclesiæ, jubetur pascere oves Christi; at vero infans vel amens regere nequit Ecclesiam, cum tale regimen vel maxime requirat usum rationes & summam prudentiam. Et denique quomodo pasceret oves Christi ille, *qui propter ætatem se defendere nequit.*

§. V.

QVÆNAM FORMA ET MODUS IN ELECTIONE SUMMI PONTIFICIS SERVARI DEBEANT?

SUMMARIA.

1. Cardinales absentes sunt expectandi per decem dies. 2. An Cardinalis non expectatus possit agere de contemptu? 3. Quomodo conclave, in quo peraganda est electio, adornetur? 4. Quando Cardinales intra tres proximos dies non elegerunt Pontificem, qualiter eorum victus minuatur? 5. Si quis Cardinalis ex Conclavi exiverit, quid observetur quoad ejus suffragium? 6. Si Romanus Pontifex extra urbem obiverit, ubinam sit instituenda electio? 7. Mortui Pontificis exequiæ in quibus Ecclesiis celebrandæ? 8. Refertur & notatur constitutio Gregorii XV circa formam electionis. 9. Quomodo Pontifex eligatur per scrutinium? 10. Quid sit & quomodo fiat accessus? 11. An Cardinales præsentes in Conclavi possint inter se convenire ut valeat electio facta per majorem partem Collegii? 12. Referuntur & discutiuntur aliquot modi com-

compromittendi. 13. *Quænam impedimenta & defectus quoad electionem sint sublati.* 14. *Recensentur ceremoniæ in electione Pontificis adhiberi solitæ?*

Modus & forma electionis Pontificiæ vel respiciunt antecedentia electionem, vel ipsam electionem; quæ concernunt ipsam electionem vel sunt intrinseca electioni vel demum extrinseca, puta meræ cetemoniæ.

Quæres 1. *Quænam sint antecedentia electionem Pontificiam?*

1 Resp. Hæc & quidem 1. post obitum summi Pontificis Cardinales absentes expectandi sunt per decem dies computandos à morte Pontificis, quibus elapsis sive absentes venerint, sive non, omnes Cardinales, qui in civitate fuerint præsentes, convenire debent ad futuram lectionem, adeoque Cardinales absentes non sunt vocandi seu citandi ad electionem Pontificis, sed tantum expectandi per decem dies, quia
2 mors Pontificis præsumitur non posse occultari, & quod si etiam per decem dies non fuerit expectatum, Cardinales absentes non poterunt agere de contemptu, sed electio valet, dummodo facta sit à duabus partibus cardinalium, præsertim in loco, ubi debet fieri electio, quia tempus & locus non ad substantiam electionis spectant, ut ait Pirrhing. *loc. cit. §. 3. n. 451.* sed inter accidentia numerantur, contra quam nulla exceptio juris positivi potest opponi.

Secundò. intra hoc decendium exequiæ pro piis manibus antecessoris Pontificis aguntur.

Tertio his peractis in palatio Pon-3 tificio conclave adornatur, nullo intermedio pariete vel alio velamine distinctum, in quo omnes cardinales simul habitent in comuni, illudque undique clausum, sola fenestra ad victum recipiendum aperta & exitu ad secretam cameram reservato, idque statutum est, ne fraus committatur, nulli etiam ad eosdem cardinales patet aditus, nec facultas datur secretè cum eis loquendi, nec ipsi etiam aliquos ad se venientes admittere possunt, nisi eos, qui de voluntate omnium cardinalium præsentium vocarentur ad tractandum cum eis, quæ ad instantis electionis negotium pertinent (nempe Advocati vel Tabelliones vel religiosi viri) Pirrhing. *loc. cit.* in quod conclave omnes cardinales post decem dies peractos se recipiunt, quibus permittitur unus, qui eis inserviat, sive clericus sive laicus, vel ad summum duo alii inservientes permittuntur, ob manifestam necessitatem, si unus non sufficiat. *c. 3. de Elect. in 6.* qui extra conclave quacunque ex causa morantur, cardinales, votum nec per litteras nec per procuratorem consignare possunt; qui serius & postquam patres de collegio præsentes ad conclave se contulerunt, ad urbem veniunt, re adhuc integra, ad conclave admittuntur.

Quarto si Cardinales intra tres dies, postquam conclave ingressi sunt, Ecclesiæ de pastore non providerunt, quinque diebus sequentibus unum tantum ferculum tam in prandio, quam in cœna eis præbetur; si autem neque per hos quinque dies Pontificem elegerint, deinceps nihil ipsis præbetur, præter panem vinum & aquam, donec provisio seu electio Papæ subsecuta sit, *d. c. 3. de elect. in 6.*

5 *Quinto* si aliquis ex Cardinalibus conclave non intraverit vel ingressus sine manifesta causa infirmitatis (alia ergo necessitas non excusat glossa *in cit. cap. 3. verb. infirmitas*) exiverit, ipso non requisito neque etiam amplius admisso, in negotio ejusdem electionis per alios procedatur. Si vero ob infirmitatem supervenientem aliquis ex Cardinalibus exiverit ex conclavi, poterit ejus suffragio non requisito ad electionem procedi, sed si sanitate recuperata vel ante ad alios redire voluerit, re adhuc integra, si nimirum Ecclesiæ nondum de pastore provisum sit, ad electionis negotium in eo statu, quo ipsum repererit, prosequendum admitti debet, ita tamen, ut quæ de clausura, de servientibus, cibo ac potu & reliquis statuta sunt, ipsi quoque sicut alii cardinales servent, *cit. cap. 3. §. savè si aliquis.*

Sexto, ut hæc omnia fideliter observentur omnisque fraus dolus & machinatio procul electione sit, in eadem constitutione rectoribus & officialibus illius urbis, in qua decedit Pontifex, executio prædictorum demandatur, qui proinde corporale juramentum præstare tenentur, & si contra juramentum fecerint, excommunicationi, infamiæ & inhabilitati ad omnes dignitates, officia & beneficia subjiciuntur.

Septimò si Romanus Pontifex extra civitatem in qua cum curia sua residebat, ex hac vita forte migraverit, tenentur Cardinales in ea civitate in cujus territorio seu districtu (id est diœcesi) Pontifex obiit, convenire ad electionem faciendam, nisi ea fuerit interdicta, vel Romanæ Ecclesiæ expresse rebellis exstiterit, tunc enim (vel si ob aliam causam ibi non possit fieri) in alia vicina civitate conveniant, similiter non interdicta nec apertè rebelli, ad electionem faciendam, in qua omnia supradicta observanda erunt. *cit. cap. 3. §. porro si quando.* 6

Octavo Pontifex *in cit. cap. 3. §. quia vero:* præcipit, ut audita morte Romani Pontificis, in civitatibus & aliis locis inlignibus, solennes exequiæ pro eo celebrentur, & preces quotidianæ fidelium ad Deum fundantur pro concordi & Ecclesiæ utili Pontificis electione, donec certus de ea rumor vel nuntius fuerit allatus, Prælati verò Ecclesiarum & prædicatores verbi DEI clerum & populum ad hujusmodi orationum frequentiam & jejuniorum observantiam, pro- 7

ut

ut circumstantiæ suaserint, hortentur.

Quæ concernunt ipsam electionem eique sunt intrinseca, consistunt in modis eligendi summum Pontificem, modi vero desumuntur ex constitutione Gregorii XV. quæ incipit: *Æterni Patris filius: edita 17. Calendas Decembris Anno 1621.* 8 ex qua notandus est §. *quodsi*, cujus tenor est sequens: *Quod si electio hujusmodi alibi celebrata fuerit, quam in Conclavi clauso, vel aliter quam per secreta schedularum suffragia duarum ex tribus partibus Cardinalium in Conclavi præsentium in scrutinio, seu scrutinio & accessu, electi suffragio non computato, vel viam compromissi ab omnibus Cardinalibus similiter in Conclavi præsentibus, nemine dissentiente initi, & ita ut nemo seipsum elegerit, vel quasi per inspirationem nullo præcedente de persona speciali tractatu, omnium pariter Cardinalium præsentium in Conclavi, communiter itidem nemine dissentiente per verbum: eligo, intelligibili voce prolatum, aut scripto, si voce non potuerit, expressum, nulla sit & invalida eo ipso, absque ulla declaratione, & ita electo nullum jus tribuat, quinimo non ut Apostolicus sed Apostaticus sit & habeatur &c.*

In ipsa igitur electione una ex triplici forma, inspirationis, compromissi, vel scrutinii servari debet. Inspiratio si vera sit, indubie sufficiens erit, ad præsulatum supremum capessendum, quemadmodum accidit S. Fabiano, in cujus tergum cum columba advolasset, vocem auditam esse, testantur Platina in ejus vita & Baronius ad annum 238. *tu Romæ Episcopus designaberis*, quia certius indicium de aptitudine & dignitate personæ non habemus, quam divinam revelationem; similiter & inspiratio præsumpta approbata, quando Cardinalibus omnibus in conclavi præsentibus, unus ex illis certam personam denominat, ejusque nominationem mox omnes per verbum Eligo confirmant. P. Wlestner. *de Elect. n.* 360.

De compromisso res etiam expedita est, sive limitato sive absoluto modo instituatur, hoc solum excepto, quod Cardinales compromissarii nequeant etiam indirecte seipsos eligere suoque assensu majorem votorum numerum efficere, prout *in d. Constitutione* habetur.

Scrutinium in Pontificum ac a- 9
liorum electionibus longe maxime est frequens, peragitur autem hoc modo: ex ipso Cardinalium collegio tres scrutatores constituuntur secundum ordinem, ita ut primis tribus diebus tres antiquiores ex serie Episcoporum, presbyterorum & Diaconorum, sequenti triduo tres sequentes seniores ex hac triplici classe, & sic deinceps, donec electio cum effectu sequatur, scrutari incipiant singulorum Cardinalium vota. Ne tamen scrutatores isti fallaciam committere ausint, tres alii eodem ordine & serie deputantur, qui horum scrutatorum vota scrutentur. tum præmisso in

capella

capella sacro de Spiritu sancto, in quo sacram Eucharistiam omnes de manu Decani recipiunt, ac præstito super Evangelia juramento de servandis, quæ servanda, singuli per ordinem accedunt ad altare, ac schedulam, in qua votum suum hoc modo descriptum habent:

Ego N. Cardinalis N. eligo in summum Pontificem Reverendissimum N. ex illa parte, ubi nomen suum inscriptum habent, annulo suo obsignatam, ex altera verò parte, ubi nomen electi, apertam, in calicem, qui sacrificio illius diei serviebat, conjiciunt.

Post hæc schedulæ in calicem impositæ, à scrutatoribus successive extrahuntur, leguntur & publicantur, Cardinalibus cæteris sedentibus & ante se scabellum habentibus, ut tam ipsi, quam scrutatores in charta aliqua, in qua singulorum Patrum nomina per ordinem & intervalla sunt designatata, singulorum nominatorum personas notare possint. qua collatione habita, si plus quam duæ tertiæ in unum convenerint, mox ille tanquam legitimus Pontifex manifestatur; quod si duæ tertiæ tantum in unum convenerint, recluditur electi schedula, ex qua si appareat, quod electus sibi ipsi votum contulerit, electio habetur pro nulla, quod si verò appareat votum illius in alterum cecidisse, electio ut canonica publicatur.

Completo autem primo scrutinio nio, si appareat, quod duæ tertiæ in unum non convenerint, potest fieri accessus & non tantum minor pars majori, sed etiam major pars minori, imo nominato ab una solum persona reliqui omnes accedere valent, noviter scribendo nomen illius in scheda, in quem per accessum vota sua dirigere intendunt, & si per talem accessum duæ tertiæ reperiantur in unum cumulatæ, is non minus pro Pontifice ritè electo est habendus, atque alius per scrutinium electus.

Quando ex cardinalibus in con- 10
clavi morantibus aliqui infirmitate impediti, nequeunt accedere ad capellam, electioni celebrandæ destinatam, tres ex cardinalibus sanis per sortem ab ultimo Diaconorum determinati, ad infirmos ante scrutinium abeunt, arculam clausam deportantes, in quam ubi infirmi suas schedulas per foramen immiserunt, illa à Deputatis Cardinalibus ad altare sacelli reponitur, indeque projectæ schedulæ transumptæ, in calicem communibus votis deputatum referuntur, & si scrutinio irrito, per accessum tentetur electio, iidem Cardinales ad infirmos cum eadem arcula redeunt, folium, in quo nomina cardinalium & numerus nominatorum in scrutinio expressus est, una cum schedula ferentes, cui infirmi si voluerint accedere, nomen eligendi inferere vel si noluerint, saltem (quod etiam cæteri qui in sacello constituti renuunt, uti accessu,

cessu, faciunt) verbum nemini inscribere, eamque schedulam denuo in arculam reponere valent.

Quoniam verò juxta dictam constitutionem Gregorii XV. (quam confirmavit Urbanus VIII. in sua constitutione, quæ incipit: *ad Romani.* edita 5. Calend. Febr. anno 1625.) quoad vota Cardinalium in futurum Pontificem conferenda, requiruntur duæ tertiæ, hinc

11 Quæres 2. *An Cardinales post Gregorianam constitutionem præsentes in Conclavi, possint convenire, ut valeat electio summi Pontificis, celebrata à majore parte collegii?*

Prima sententia est affirmativa, & fundatur *in cap. cum dilectus de Elect.* ubi expressum est, valere compromissum initum in aliquos hac forma: ut compromissarii teneantur eligere nominatum à majore parte capituli, cujus dispositio non fuit postea abrogata per concilium generale *in cap. quia propter de Elect.* ut deciditur *in cap. cum expediat. d. tit. in 6.* 2. Ad Romanum Pontificem eligendum de jure communi duæ tertiæ requirebantur ex Cardinalibus, sicut hodie requiruntur ex Gregoriana constitutione, sed de jure communi non obstante decretali requirente duas tertias, licet Cardinalibus convenire, ut valeat electio celebrata à majori parte collegii cardinalitii, ergo etiam id hodie licere debet, non obstante Gregoriana constitutione. Et hanc sententiam tenuerunt Compostellanus, Hostiensis, Anton de Butr. Franciscus de Plateo, Baldus, relati à Fagnano *in cap. licet. n. 35. & 36. de Elect.* Qui 3. dicunt si omnes conveniant, ut Pontifex electus à majori parte collegii sit & habeatur vere electus, tali casu omnes unanimiter talem eligunt, atqui unanimis electio per constitutionem Gregorianam non est reprobata, ergo nec illa, quando omnes conveniunt, ut electus à majori parte collegii sit & habeatur vere electus. 4. Dicunt tam de jure communi, quam de constitutione Gregoriana, licet Cardinalibus nemine dissentiente eligendi potestatem duobus vel pluribus de collegio committere, de jure communi patet ex *cap. quia propter §. 2. & ex cap. in causis de Elect.* sic videmus eligendi potestatem interdum dari tribus. *cap. cum dilectus. d. tit.* ex Gregoriana autem constitutione, *per §. matura itaque* & *per §. quod si Electio.* Ergo etiam licet Cardinalibus eligendi potestatem committere majori parti ejusdem collegii.

Altera sententia negativa pro se allegat constitutionem Gregorianam, *in §. quod si Electio.* ubi decernitur esse nulla & irrita electio Romani Pontificis aliter celebrata, quam per secreta schedularum suffragia in scrutinio, seu scrutinio & accessu, vel per compromissum, vel quasi per inspirationem; electio autem facta à majore parte collegii de consensu omnium, nec est electio per scrutinium, in quo re-

quiruntur duæ tertiæ votorum, quæ duæ tertiæ debent exprimi per secreta schedularũ suffragia, non autem sufficit hunc consensum quomodolibet exprimi. 2. Talis electio, quando omnes Cardinales consentiunt, ut à majori parte electus sit legitimè electus, non fit per compromissum, nam factum compromissum in aliquam partem collegii videtur initum in personam incertam, ac proinde non valere in ratione compromissi. *l. item si unus. §. si in duos. ff. de arbitr. c. innotuit de arbit.* ibi: *cum legali provisione sit statutum, ut compromissum de incerta persona assumenda non teneat;* tum quia sic collegium quodammodo in se ipsum compromitteret, contra *l. penult. ff. de recept. arbit.* quod autem collegium quasi in se ipsum compromitteret, colligitur ex eo, quia postquam conventum est, ut valeat electio facta à majori parte collegii, Cardinalium vota debebunt exquiri, ut possit constare, qui majorum suffragiorum partem obtinuerit, atque ita collegium esset de re sua compromissor & compromissarius. 3. Talis electio non poterit sustineri per quasi inspirationem, siquidem hoc fieri dicitur, cum omnes Cardinales quasi afflati Spiritu sancto aliquem unanimiter viva voce summum Pontificem proclamant, adeo ut si vel unus dissentiat, aut contradicat, non reputetur inspiratio Dei communis *c. quia propter de Elect.* & patet etiam ex constitutione Gregoriana *in §. matura. §. quod si Electio.* in tali casu autem consensus collegii in unam personam determinatam non fertur, nec viva voce Pontifex ab omnibus proclamatur, ergo talis electio in forma quasi inspirationis sustineri non potest; quam ob rem hæc ratio eligendi cum ad nullam ex præscriptis formis referri possit, consequens est, ut nulla prorsus & irrita sit ex constitutione Gregorii *d. §. quod si Electio.* &, eò magis quia *in d.* constitutione pronunciatum est his verbis: *Postremo iisdem omnibus & singulis S. R. E. Cardinalibus & eorum sacro Collegio inhibemus ne contra hoc vel horum aliquod statuere, disponere vel ordinare seu in aliquo corrigere, alterare, mutare, seu aliquo modo facere, tractare, moliri vel attentare præsumant.*

Verior sententia distinguit tres modos, quibus S. R. E. Cardinales possent convenire, ut valeat electio facta à minori parte collegii.

Primus modus est cum omnes & singuli compromittunt in aliquos ex sacro collegio, hac tamen 12
forma adjectâ, ut compromissarii votis singulorum per scrutinium exquisitis eum eligant, in quem major pars collegii consenserit, & hic primus modus in electione summi Pontificis validus erat, quando nondum erat præscripta forma à Gregorio XV. *cit. constit.* jure autem novissimo constitutionis Gregorianæ hic modus & electio hoc modo facta est irrita; Ratio est, quia hic modus continet duas

formas,

formas, nimirum compromissi & secreti scrutinii, ut igitur modus hic esset validus, deberet esse validus tum in ratione compromissi, tum in ratione scrutinii; quamvis igitur in ratione compromissi hic modus sustineri posset, quia hoc ipso, quod compromissarii eligant eum in quem major pars consenserit eligunt simul eum, in quem omnes consenserunt, cum omnes consenserint in eum, quem major pars elegerit. *cap. in causis. §. quia vero de Elect.* at vero in ratione scrutinii hic modus sustineri non potest.

Ratio est, quia in hoc modo eligendi duo requiruntur, quoad rationem scrutinii, & quidem duo substantialia; quorum primum est consensus duarum partium ex Cardinalibus in conclavi præsentibus, & hic consensus adest quidem, & non solum duæ partes, sed omnes & singuli censentur consentire propter consensum ab initio præstitum in compromisso, nemine dissentiente inito.

Alterum requisitum substantiale est, ut hic consensus duarum partium ex Cardinalibus in conclavi præsentibus non quomodolibet, sed per secreta schedularum suffragia exprimatur, quod requisitum essentiale omnino deficit in hoc primo modo, quia in scrutinio non concurrunt duæ tertiæ, sive suffragia secreta duarum tertiarum, sed tantummodo majoris partis collegii, ideoque electio hoc modo celebrata est irrita, utpote celebrata contra formam constitutionis Gregorianæ, cui Cardinales renuntiare non possunt. *Clement. 2. in princ. de Elect.* ita tenet Fagnanus *in cap. licet. num. 56. de Elect.* Si

Dicas; Electio valeret in ratione compromissi saltem. dist. nisi talis electio esset determinata & qualificata per aliam formam reprobatam C. cum sit qualificata per formam reprobatam N.

Instas. Illa forma reprobata esset forma scrutinii, atqui hæc non est reprobata. ergo. prob. Min. forma scrutinii, quæ fit per duas tertias collegii, imo per unanimem consensum collegii, non est reprobata, atqui in dicto casu, scrutinium fieret non tantum de duabus tertiis, sed unanimi consensu singulorum, cum omnes consentiant eum haberi legitimè electum, qui à majori parte fuerit electus. Ergo.

Resp. N. Min. primi syllogismi, majorem secundi dist. illa formæ non est reprobata, quæ fit à duabus tertiis, ita ut vota singulorum per secreta schedularum suffragia exprimantur C. ita ut quomodocunque exprimantur N. Maj. & sic distincta Min. N. conseq. sic etiam electio inferioris Prælati hoc primo modo celebrata esset nulla, *c. si cui de Elect. in 6.* quia hic modus est mixtus ex compromisso & scrutinio, & per scrutinium determinatus, quæ ratio scrutinii est improbata.

Secundus modus est, cum Cardinales similiter nullo dissentiente compromittunt in aliquos de col-

legio, ita tamen ut compromissarii teneantur eum eligere, in quem libere & nulla forma observata major pars collegii consenserit. Differt hic modus à primo, quod in priori expressum fuerit, ut consensus majoris partis exprimeretur per secretum scrutinium, in hoc secundo modo potest & debet liber consensus majoris partis quomodocunque & absque forma scrutinii secreti exprimi; & hunc modum sustineri putat Fagnanus *in cit. cap. licet. n. 57. de Elect.* aliique plurimi ab eo relati.

Ratio est, hic modus non improbatur in electionibus inferiorum Prælatorum *c. cum dilectus. §. verum de Elect.* cujus dispositio non fuit abrogata postea per concilium generale in Decretali. *quia propter eod. tit. in 6.* Si igitur hic modus sit purus & simplex per viam compromissi, nemine dissentiente initi, ut constat *ex d. c. cum dilectus §. verum*, non autem mixtus compromisso & scrutinio, aut determinatus per scrutinium, non apparet cur hic secundus modus esset per dictam constitutionem Gregorianam improbatus, cum ea approbet formam compromissi.

Si dicas compromissum non valet, quando quis in seipsum compromittit. *l. penult. ff. de arbit.* atqui in hoc casu & modo secundo collegium promitteret in se ipsum. Ergo.

Resp. N. Min. patet ex eo, quia valet compromissum in aliquos adjecta hac forma: ut compromissarii eligerent eum, in quem duæ partes collegii consentirent, vel eligerent nominatum à duabus partibus collegii. *c. cum expediat. de Elect. in 6.* vel dist. Min. collegium absolutè sumptum compromitteret in se ipsum eodem modo sumptum N. collegium absolute & simpliciter sumptum compromitteret in seipsum respectivè & secundum quid sumptum. C.

Instas. Compromissum initum in personam incertam est irritum *c. innotuit. de arbitr.* atqui compromissum in hoc casu & modo secundo videtur esse initum in personam incertam; ergo. dist. maj. initum in personam incertam subjective, est irritum T. quia & hoc patitur limitationem, an nimirum compromissarius sit incertus ab initio & etiam consequenter, vel tantum ab initio non tamen consequentur. compromissum in personam incertam objective. N. Maj. Nimirum persona, quam compromissarii electuri sunt, semper est incerta. & sic dist. Min. videtur initum compromissum in personam incertam subjective. N. Min. objective incertam C. Min. & N. Conseq. vel dist. Min. in personam incertam quoad se T. incertam quoad partem collegii. N.

Tertius modus est, cum Cardinales unanimes directe & immediatè compromittunt in majorem partem collegii, & tunc in compromisso vel adjicitur forma ut major pars eligere debeat servata forma scrutinii,

scrutinii, & compromissum non posse subsistere, tenendum est cum Fagnan. *in cap. licet. num. 60. de Elect.*

Ratio est, quia annexam habet scrutinii formam, quæ ex dicta constitutione Gregorii XV. servari non potest, nisi concurrant secreta suffragia saltem duarum ex tribus partibus Cardinalium. ut constat ex *dd.*

Quod si verò nulla præscribatur forma sed simpliciter compromissum sit in majorem partem collegii, quo casu satis est, ut quomodo libet appareat de consensu majoris partis, quia compromissarii non arctantur ad eligendum servata forma scrutinii vel alia. Fagnanus *loc. cit. n. 61.* qui refert quinque AA. hujus sententiæ.

Hic ultimus modus esse validus probatur ex eo, quia nec juri communi, nec constitutioni Gregorianæ contrariatur; non juri communi, quia hoc jure Cardinales possunt unanimes directe compromittere in majorem partem collegii, ut paulo supra probatum est; nec etiam constitutioni Gregorii XV. quia per eam in proposito nihil aliud requiritur in electione quæ fit per compromissum, quam ut fiat ab omnibus Cardinalibus nemine dissentiente, quod requisitum in hoc casu concurrit, ut supponitur.

13 Corollarium. quando supra dixi quod omnia impedimenta juris positivi quæ ex parte electi possent opponi, sint penitus sublata, id intelligendum est de impedimentis quæ directè respiciunt subjectum eligendum; equidem impedimentum, quod ratione formæ in electione non servatæ opponi posset, non est sublatum, sed vigore *cit.* constitutionis Gregorianæ opponi poterit, estque exceptio nullitatis.

Porro ceremonias quæ in e- 14
lectione Pontificia solent intervenire, his descriptas accipe, quas exhibet Tractatus cui titulus: *Relatione Della Corte di Roma*, quæ autem ibi annotata, ex Italico idiomate in latinum versa sic habent.

De iis quæ fiunt ante ingressum in Conclave.

Ab excessu Pontificis per dies omnino novem exequiæ & pia officia pro eodem magna solennitate, majore devotione fiunt, quibus peractis die decimo mane in Ecclesia S. Petri Decanus sacri collegii Cardinalium, missam de sancto Spiritu invocando, adstantibus reliquis Dominis Cardinalibus, solenniter celebrat, deinde orator quidam ad hoc rogatus, concionem de eligendo Pontifice ad illos habet; quibus finitis, Magister ceremoniarum, sublatâ in altum cruce papali, præcedente musicorum choro hymnum *Veni Creator Spiritus* decantante, sequentibus omnibus Dominis Cardinalibus in urbe præsentibus, binis & binis,

processionem versus conclave, ubi electio novi Pontificis fieri debet, ducit.

De iis quæ fiunt post ingressum, in ipso Conclavi.

Ingressis omnibus conclave, rectò Sacellum Sixti IV. petunt electores sacri, multis à Domino Decano sacri collegii rationibus & sermonibus ad negotium electionis ritè peragendum accenduntur, post quæ, Dominis Cardinalibus in suis locis collocatis, & misso populo foras, obserantur valvæ nemine admisso quàm secretario S. collegii & quinque magistris ceremoniarum; ab ipso secretario, bullæ seu constitutiones de eligendo novo Pontifice, & quæ ad conclave servandum spectant altâ & clarâ voce præleguntur, quæ omnia Domini Cardinales jurejurando promittunt custodire. His peractis Domini Cardinales suas cellulas, juxta assignationem magistri ceremoniarum ingrediuntur, ubi modicè prandetur, post quod signo campanulâ dato, redeunt ad prædictum Sacellum, ubi Princeps Savillanus ut Mariscallus perpetuus sanctæ Ecclesiæ, custos conclavis natus, & Præfectus seu Gubernator Montis S. Angeli, & plures alii Prælati ad custodiendas portas, fenestras, & rotas specialiter assignati, quod munus impositum fideliter velint obire, in manibus Decani S. Collegii juramento sese obstringunt.

Postea recedunt Domini Cardinales in suas cellulas, ibique admittunt ad colloquium oratores Principum externorum, item alios quamplures, qui officio vel caractere in urbe aut aulâ sunt insignes, quod ad tardam noctem solet protrahi. Tandem campanulâ receptui & claudendo conclavi datur signum, occluduntur autem portæ & fenestræ partim lateribus, cæmento, vectibus & aliis operibus muralibus, tam expedito labore ut intra spatium unius horæ res peracta sit.

Deinde Dominus Decanus & Camerarius sacri Collegii claustra obeuntes visitant, super quibus omnibus ab uno magistrorum ceremoniarum instrumentum publicum formatur; quibus peractis unusquisque sese quieti nocturnæ disponit.

In Conclavi singulis ex Cardinalibus bini famuli, senibus verò & valetudinariis trini conceduntur. Adsunt præterea unus sacrista cum adjuncto clerico, quinque magistri ceremoniarum cum singulis famulis, unus secretarius cum suo amanuense, unus confessarius, duo medici, unus chirurgus, unus pharmacopola cum duobus ministris, duo tonsores cum totidem ministris, duo fabri, unus lignarius alter muralis, & sedecem servi communes, omnes à sacro collegio in sacristia D. Petri ante ingressum pridie electi; in dictâ sacristiâ eodem tempore gubernatoribus, præfectis, prætoribus, consulibus

libus & aliis magistratibus mandata & placita de regenda urbe & territorio ecclesiastico, sedente conclavi, imperantur.

De iis quæ foris extra Conclave fiunt.

Exterius ad rotas (per eas, quæ in conclave spectant, immittuntur, & quæ ex eodem dantur, recipiuntur) custodiæ militares à Mariscallo prævie positæ, die noctuque sine eo quod mutentur, exubant; Præsidiarii Helvetii ad scalas palatii apostolici vigilias agunt. In foro autem S. Petri quatuor agmina militum conscriptorum, quibus præest Dominus Generalis sanctæ Ecclesiæ, excubias agunt.

Portæ conclavis, & fenestræ ipsæ ad spatium quatuor pedum omnes extrinsecùs lateribus & cæmento ritè exstruuntur. Rotæ versatiles octo sunt, per quas statis horis esculenta & quæ ad potum conducunt, Cardinalibus famulisque eorum immittuntur, quæ ex propriis ædibus huc à suis afferri solent, prius tamen sedulò à prælatis ad hoc deputatis vasa ipsa illustrantur, ne quid literarum aut aliorum huc non spectantium simul inferatur, qui & rotas claviculâ aperiunt, receptisque canistris cum vasculis, rotas claudunt, foramina pro claviculis chartâ obducunt & sigillo muniunt; quod & intus à magistris ceremoniarum simili diligentiâ observatur.

De iis, quæ in Conclavi clauso fiunt.

Altero die post clausum Conclave Decanus S. Collegii missam privatam de sancto Spiritu celebrat, sub qua Cardinales reliqui sanctam communionem devote percipiunt, dein idem Decanus sermonem exhortatorium, ut electionem summi Pontificis juxta timorem, & charitatem DEI, majorumque observantiam suscipiant pronunciat. Reliquis diebus summo mane missam *pro Electione summi Pontificis Romani* Dominus Sacrista peragit. Sacris peractis post intervallum duarum horarum quotidiè colliguntur vota, & scrutinium fit, usque dum desideratus votorum numerus, duæ nimirum tertiæ totius collegii super unam aliquam personam cadat, post quod conventus omnium Cardinalium præsentium ad Capellam Paulinam inducitur, clausâ capellæ portâ, scrutinium solenne peragitur; apertâ denuò portâ, ingreditur Sacrista cum secretario & ceremoniarum magistris, qui schedulas votantium comburit (quod factum quoque fuit in scrutiniis antedentibus privatis) assurgunt Dominus Decanus, primus Cardinalis Presbyter, & senior Cardinalis Diaconus, electum accedentes, nomine sacri Collegii rogitant ut electionem ratam habeat, & Pontificatum acceptare velit, post morulam, electus votis annuens, iterum interro-

terrogatur quo nomine insigniri placeat? dato ad hoc etiam responso, illico ad altare dictæ capellæ à primo Cardinali Presbybero & seniore Cardinali Diacono manuducitur, ubi ope Sacristæ & magistrorum ceremoniarum vestibus suis Cardinalitiis spoliatur, induiturque illis quæ Papæ sunt, nimirum calceis cruce aureâ fulgentibus, trabeâ sericâ fulvi coloris, vulgo *Sottana*, amiculo lineo, vulgò *rochetto*, palliolo bombycino rubro, vulgò *moretta*, & bileo holoserico prioris coloris, vulgò *berettino*. Collocatur in sede Pontificali ad pedem aræ, tunc Domini Cardinales juxta ordinem à Decano sacri Collegii homagium præstant & obedientiam promittunt, osculantur insuper singuli pedem & manum dexteram novi Pontificis, qui toties assurgens ipsis vicissim osculum pacis in utrâque gena impertitur. his gestis, primus ceremoniarum magister sublatâ in altum cruce Pontificali, Antiphonam intonat: *Ecce Sacerdos magnus*, quam reliqui prosequuntur euntes ad fenestram majorem prominentem, ex qua Pontifices populo benedictionem largiri solent, cujus tumultuario muro à fabris diruto, exit crucifer quem sequitur senior Cardinalis Presbyter, populum tota ex urbe affluentem altâ voce sic alloquitur: *Annuncio vobis gaudium magnum, habemus Papam Eminentissimum & Reverendissimum D. N. N. qui sibi nomen selegit. N. N.* Vix verba integra percipiuntur, dum Equites & pedites ad suos cum bono nuntio festinantes, per totam urbem effusi plateas & vicos vocibus implent acclamantes felicitatem & longam vitam sanctissimo Patri nostro NN. & suæ Familiæ atque Patriæ NN. machinæ murales majores ex monte S Angeli, & campanæ totius urbis boatu suo & confuso alias murmure, toti civitati distinctè proclamant novitatem rei, & summi Pontificis felicem electionem; respondetur variis modis, minorum armorum explosione, tymbanis & cymbalis, vocibus lætitiæ & jubilo populari in omni via & angulo.

De iis quæ fiunt in exitu de Conclavi.

Priusquam electio, homagium, & proclamatio finiantur, sol jam meridiem deserit, accumbit sua Sanctitas cum Dominis Cardinalibus stratis mensis, interim turba fabrorum portas fenestrasque nuper occlusas sedulo opere effringunt, fractaque asportant. Cibo refecti Cardinales electum Pontificem denuò in capellam ducunt & secundò homagium & obedientiam præstant; vestitur Neo-Pontifex ornatu solenniori, nimirum Pluviali & mitra Episcopali, collocatur iterum in sede sua ante altare, hoc peracto attollitur in altum crux pontificia, præcedente choro musicorum certos hymnos decantan-

tantium sequitur Pontifex cum Cardinalibus usque ad Ecclesiam S. Petri, ubi in sede alia apud altare majus fit homagium tertiâ vice, ut prius. Interim cantatur à choro hymnus *TE DEUM laudamus*, quo absoluto Decanus sacri Collegii in cornu Epistolæ quosdam versiculos & orationes super neo-electum profert: his quoque persolutis Pontifex mitram & crucem pastoralem assumit, stansque in medio altaris benedictionem & omne bonum numerosissimo populo apprecatur & largiter impertitur. Deposito ornatu solenniori, intrat sedem portalilem & concomitante magnâ turbâ Cardinalium, Principum, oratorum Regiorum, nobilium & officialium deportatur in Palatium Apostolicum, ubi perhumaniter omnes admittit, & pro votis grates rependit. Recedente luce diei, hac & sequentibus duabus noctibus per urbem universam instituuntur illuminationes festivæ & alia lætitiæ signa juxta affectum & potentiam singulorum.

§. VI.

CONTRARIA ELECTIONIS PONTIFICIÆ.

SUMMARIA.

1. An Electio Pontificia impugnari possit? 2. Electio non peracta à duabus tertiis Cardinalium in Conclavi præsentium est irrita, item metu gravi extorta. 3. Irrita est ipso jure Electio Simoniaca. 4. Ipso jure irrita est electio, qua assumitur ad Pontificatum hæreticus. 5. Impedimentum Electioni extrinsecum jure humano introductum, non vitiat electionem. 6. Si advertant Cardinales Electionem esse irritam, an illico possint novam Electionem instituere.

Effectus electionis pontificiæ enumerare omitto, & constat aliqualiter ex dictis, qualem electio tribuat effectum, scilicet dignitatem, de quâ in *dissert. 1.* & potestatem de qua in *dissert. 2. præcedenti*, nimirum Pontifici electo confertur potestas exequendi ea, quæ sunt jurisdictionis, prout etiam *dissert. ult.* de Episcopis dicetur, sunt inquam effectus electionis, non quasi electio tribueret has potestates, sed alia ac ea ratione, quod Deus tribuat electo immediate has potestates & jura.

Porro cotraria electionis Pontificiæ dici possunt vitia, propter quæ illa declaranda est irrita. Hinc

Quæres 1. *An electio Pontificia impugnari possit?*

1 Ratio dubitandi est, quia *in cap. licet. 6. de Elect. vers. absque ulla exceptione*, nulla exceptio contra electum à duabus partibus Cardinalium admittitur, ergo electio impugnari non potest, cum sine oppositione exceptionis non detur impunatio, 2. quia summus Pontifex non habet judicem in terris, à quo judicetur esse illegitimè electus. 3. quia legibus Pontificiis circa electionem latis solutus esse noscitur.

Resp. Electionem Pontificiam posse & debere impugnari quando concurrit impedimentum, quod jure naturali aut divino facit inhabilem ad Papatum. ita Panormitanus *ad d. cap. licet. n. 3.* Fagnanus *ibid. n. 3.* Pirrhing. §. *2. n. 433. de Electione.*

Ratio est, quia electio plane invalida potest utique & debet impugnari, ne cum inexplicabili damno Ecclesiæ reputetur Pontifex, qui talis non est. Atqui ubi latet impedimentum, quod aliquem naturali vel divino jure facit inhabilem ad Papatum, electio est planè invalida. ergo. Porro vitia, quæ electioni Pontificiæ utpote nullæ & irritæ opponi possunt, sunt sequentia:

2 *Primò*, si electio non sit perfecta à duabus tertiis Cardinalium, vel si quidam Electores non habuerunt jus suffragii, cum enim tunc electionis nomen minime mereatur, non tam infirmari potest, quam ipso jure nulla declarari.

Secundo. Nulla est electio, si ex gravi metu circa personam determinatam injuste incusso, peracta fuerit. Laymann. *quæst. can. 123. resp. 1.* relatus à D. Francisc. Schmier. *tit. tr. cap. 1. sect. 6. §. 5. n. 439.* quia similis metus refragatur substantiæ electionis, quæ debet esse libera circa personam, adeoque illam reddit irritam & nullam. & ratio ulterior est, quia talis electus non à DEO, sed ab homine censetur vocatus ad solium Petri, cum non ex arbitrio libertatis eligatur, sed impulsu necessitatis intrudatur. denique ex communi doctrina (quæ alias de matrimonio & voto solenni tenetur,) actus qui irrescindibilis est si semel fuerit validus, ipso jure non subsistit, si ex gravi metu gestus fuerit, talis autem est electio Pontificis, quæ semel valida nequit rescindi; ergo metu gravi celebrata declarari debet statim ab initio nulla.

Tertio est ipso jure nulla electio 3 simoniaca, nam quævis electio simoniacè celebrata est nulla. *extravag. 1. & extravag. 2. de Simonia inter comm.* & in specie electio Papæ; qui si eligatur simoniacè *can. 9. dist. 79.* non Apostolicus sed apostaticus proclamatur. Suffragatur constitutio concilii Lateranensis quæ incipit: *cum tam divino* à Julio II. edita, & concilii Constantiensis *Sess. 39.*

Quartò

4 *Quarto* electio est irrita ipso jure si electus sit hæreticus, paganus vel judæus, si sit mulier, furiosus vel infans, quia hi defectus inficiunt ipsum jus habendi & possidendi Fagnanus *in cap. licet. num. 20. de Elect.*

5 Corollarium. Quando impedimentum plane extrinsecum electioni subest, atque à solo jure Ecclesiastico positivo introductum, quales sunt censuræ, irregularitas, defectus natalium, nequit electio tanquam invalida impugnari; & ex hoc fluit responsio ad rationem dubitandi superius positam, conceditur enim, quod non admittatur exceptio electioni extrinseca & jure humano introducta, quo sensu verum est, quod Pontifex non habeat judicem in terris, & quod sit solutus legibus, quando nimirum jam Pontifex est, & legitimè creatus.

Quæres 2. *Si Cardinales advertant* 6 *Electionem esse invalidam, an illico possint novam Electionem instituere?*

Resp. si nullitas manifesta & notoria sit, licet electoribus illico novam electionem instituere, quia idem est, ac si nunquam elegissent; si vero nullitas non sit notoria sed dubia, probabilius est, quod ante concilii generalis definitionem ad novam electionem procedendum non sit, tum quia Cardinales forent judices in causa propria, tum quia de legitimitate Pontificis judicare, non est Cardinalium, sed totius Ecclesiæ in concilio congregatæ. Layman. *cit. quæst. 123. resp. 2. vers. non licet.* & hoc dubium de valore electionis, ait Fagnanus *in cap. licet. n. 22. de Elect.* & Baldus *ibid. n. 7. in fine* esse determinandum à concilio, prout etiam colligitur ex *can. si quis pecunia dist. 79.* quo casu non tam Pontifex, sed factum potius eligentium judicatur.

§. VII.

DE CONSECRATIONE ET CORONATIONE SUMMI PONTIFICIS.

SUMMARIA.

1. Qualis sit corona Pontificia & quam habeat significationem? 2. Claves quas accipit Pontifex, quales sint & quid significent. 3. Qua solennitate pergat summus Pontifex ad Ecclesiam D. Petri, ibidem coronandus. 4. Capitulum & Canonici D. Petri quid offerant summo Pontifici pro missa Cantata. 5. Quæ formula verborum pronuncietur in coronatione Pontificis? 6. Quis & quo idiomate promulget indulgentias à Pontifice datas.

1 Nota. Summus Pontifex utitur corona, illaque est triplex; nimirum corona Pontificia est composita ex tribus coronis sibi invicem super impositis, & superius in extremitate clauduntur aliqua extremitate. sunt præterea hæ coronæ pretiosissimis margaritis consitæ, quæ triplex corona vocatur *Regnum mundi* & significatur per eam triplex officium summi Pontificis, nimirum quod Pontifex officium Patris, Episcopi & Vicarii Christi gerat.

2 Præter hanc triplicem coronam Pontifex non quidem accipit sceptrum, quod alias est signum regiminis, sed accipit duas claves, auream unam & argenteam alteram, quibus significatur potestas ligandi & solvendi, claudendi & referandi januam æternæ beatitatis, quemadmodum Christus Petro *dedit claves regni cœlorum*, quas claves etiam Pontifex gerit in insigni.

3 Illucescente igitur die coronationis peragendæ, electus Pontifex se confert ad Conclave sive cameram dictam Papagelli, in qua à præsentibus Cardinalibus solito ornatu & vestitu induitur, quo peracto pergitur ad Basilicam S. Petri, initio ducto à cruce quæ præfertur, Pontifex autem vadit sub Baldechino portato ab octo Nobilibus, & Cardinales tenent fimbriam vestimenti Pontificis, & postquam deventum fuerit ad portas Ecclesiæ, Pontifex conscendit & se reponit in throno, & à Canonicis ac Capitulo S. Petri excipit deosculationem pedum, ac claves dictæ Basilicæ, dein descendit & transit per Ecclesiam, acclamante interim & applaudente populo, genu flectit ante altare & ibidem preces suas persolvit, quibus persolutis:

Se confert ad sacellum S. Georgii, & ibidem denuò conscendit splendidissime paratum thronum, qui tegitur Baldechino pretiosissimis margaritis exornato, ubi Pontifici omnes Cardinales & Prælati promittunt obedientiam, & Cardinales quidem exosculantur manum, reliqui autem Prælati pedes, post hæc Pontifex surgit & coram eo erigitur ac tenetur signum crucis, ipse autem detecto capite populo impertitur benedictionem & indulgentias plenarias, populo interim acclamante & applaudente.

His peractis Pontifex cum suo comitatu revertitur è sacello in Ecclesiam, Pontificem præcedit magister ceremoniarum, qui portat duas arundines, quarum uni imposita candela, alteri verò lini stupa (Werck germanicè) dum igitur Pontifex sacellum egreditur, magister ceremoniarum se vertit ad Pontificem, linum accendit, se inclinat & demum alta voce pronunciat: *Sanctissime Pater: tam celeriter transit gloria & Majestas hujus sæculi.*

Dum vero Pontifex appropiat altari sanctorum Apostolorum, tres juniores Cardinales Presbyteri ei obviam eunt, eumque nomine Apostolorum acceptant & ad altare præfatum sanctorum Apostolorum ducunt,

ducunt, ac illius faciem & pectus exoſculantur, Pontifex autem deinde genu flectit ſuper pulvinari, & preces ſuas perſolvit ſecreto & detecto capite, peragit confeſſionem ſacrificio prævíam, interim perſiſtit Cardinalis Decanus ad dexteram, & ad ſiniſtram primus Cardinalis Diaconus, retro Pontificem autem adhuc alii duo Cardinales, & incipit miſſa figuralis ſive muſica.

Confeſſione perſoluta tegit caput & ſedet in ſella pretioſa ac elatiori coram altari poſita, tres primarii Cardinales Epiſcopi pronunciant aliquas preces, primus Cardinalis Diaconus porrigit Pontifici pallium pontificale, quo accepto Pontifex accedit altare & pergit in miſſa, qua finita Cardinalis & Archi-Presbyter hujus Eccleſiæ & duo Canonici nomine Capituli offerunt Pontifici pretioſam auro & gemmis contextam burſam, in qua 25. antiquæ monetæ Pontificiæ, his ver-
4 bis: Sanctiſſimæ Pater, Capitulum & Canonici ad S. Petrum offerunt Sanctitati Veſtræ debitum & ſacerdotale honorarium pro miſſa decantata, animo humillimo & in ſignum perpetuæ ſubjectionis.

Poſt hæc Pontifex iterum proceſſionaliter portatur ad januam, ubi benedictiones ſolent concedi, deſerit ſuam ſellam & aſcendit thronum auro ac gemmis ornatum, & finita muſica Cardinalis Decanus perſolvit preces, duo ſeniores Cardinales Diaconi ſtant à latere Pontificis, junior eidem deponit caputium & ſenior eidem imponit triplicem coronam his verbis: *Accipe pileum tribus coronis ornatum & noveris te eſſe Patrem Regum & Principum, Judicem mundi, in terris Vicarium noſtri Salvatoris ✠ Jeſu ✠ Chriſti ✠ huic honor & gloria in ſæcula ſæculorum amen &c.* poſt quæ populus ter alta voce clamat Kyrie Eleiſon. Corona autem Pontificia æſtimatur 100000. ducatorum.

Finita muſica Pontifex tenens crucem impertitur populo trina vice benedictonem & plenariam indulgentiam; quæ tamen ut à populo melius percipiantur, à duobus Cardinalibus in lingua latina & Italica pronunciatur: *Hodie vobis omnibus fidelibus à noſtro ſanctiſſimo Domino & Papa N. N. conceſſæ ſunt indulgentiæ plenariæ in nomine Dei Patris ✠ Filii ✠ & Spiritus ſancti ✠ Amen &c.* populus autem antiqua conſuetudine acclamat: Vivat Papa N. N.

Omnibus his peractis reportatur ad ſacellum ſancti Sixti & Cardinalis quidam Pontifici deponit ornamentum, eumque ſalutat ſolito ſermone: *ad multos annos;* reliqui omnes recedunt domum, & ex caſtro S. Angelo ter exploduntur tormenta, & toties ſuas bombardas exonerant vigiles in foro S. Petri,

DISSERTATIO IV.

DE

CURIA SUMMI PRINCIPIS ECCLESIASTICI SIVE PONTIFICIS ROMANI.

POstquam hactenus summam in terris dignitatem Romani Pontificis aliqualibus saltem radiis & hujus Ecclesiasticæ dignitatis splendori describendo impare calamo depinxerim, & ad intuendum Ecclesiasticæ potestatis fulgorem quodammodo duxerim, utramque & dignitatem & potestatem denuo intueberis ac inspicies in Romani Archi-Præsulis Curia, quæ admodum celebris tum ob numerosam officialium copiam, tum ob exactissimam officiorum ordinationem; per Curiam verò intelligas tum aulam Pontificiam & aulicos, tum judicia sive tribunalia, vel suprema pro universo orbe, vel particularia, & hæc vel spiritualia vel politica.

§. I.

AULA ET AULICI SUMMI PONTIFICIS ROMANI.

SUMMARIA.

1. *Recensentur Aulici.* 2. *Ministri per quos tractantur negotia status.*

1 Inter Aulicos propriè tales summi Pontificis præcipuus est Prefetto vel Maëstro del sacro Palazzo, Magister sacri Palatii, ex ordine S. Domini, estque simul censor librorum, supremus Præfectus (germanicè Hoffmeister) Vaticani; Modernus est P. Gregorius Selleri.

Secundò honorificum & insigne habet officium sagrista di sua santità, estque Præfectus sacristiæ Apostolicæ, qui Pontifici missam celebranti

branti semper inseruit, vinum & panem consecrandum prælibat sive prægustat (credentzet) & Pontifici offert &c.

Tertio Maestri delle Ceremonie, Magistri Ceremoniarum, quorum quatuor ordinant & disponunt Papales functiones, solennitates & audientias. Horum primus est pro tempore Candidus Cassina, cæteri sunt: Justinianus Chiapponus, Petrus Oslandus, Joannes Baptista Gagnius, Joañes Baptista Gaberuccius.

Quarto il Maestro di Casa di sua santità, supremus aulicorum famulorum Præfectus, der oberste Hauß-Hofmeister.

Quintò S. Palatii Eleémosynarius, modernus est Alexander Bonaventura, Archi-Episcopus Nazianzenus.

Sextò Prælati domestici, qui sunt:

Joannes Joseph Baverius, SS. D. N. Prælatus domesticus.
Franciscus Foscarus, Venetus.
Alexander Casalius, Romanus.
Valerius Rota', Venetus.
Petrus Aloysius Carafa, Neapolitanus, Archi-Episcopus Lariss.
Nicolaus Nigronus, Januensis.
Faustinus Crispoltus, Perusinus.
Joannes Baptista de Alteriis.
Federicus Cornelius, Venetus.
Cajetanus Stampa, Mediolanensis.
Joannes Otthobonus, Venetus.
Melchior Maggius Urbinas.
Franciscus de Vico, Maceraten.
Fabius Oliverius, Pisaren. Protonot. Apost. ac secretorum Brevium, nec non sacri Palatii Apostolici Pro-Præfectus.
Alexander Tanarius, Bononiensis.
Julius Imperialis, & Cameræ Apost. Clericus.
Hercules de Arragonia, Neapolitan.
Cajetanus de Cavaleriis, Romanus.
Joannes Conradus Ursinus, Romanus.
Philippus Maria de Montibus, Bononiensis.
Joannes Baptista Spinula, Januensis.
Joannes Antonius Maria Pallavicinus, Cremonensis.
Gherardus Zandemaria, Parmensis.
Antonius Maria Becchatus, SS. D. N. Prælatus domesticus & Subdatarius.
Joannes Christophorus Battelus, Urbinas, Brevium ad Principes à Secretis.
Thomas Cervinus à Monte Politian.
Philippus Cæsarinus Spoletanus, SS. D. N. Prælatus domesticus & Eminentissimi Vicarii locum tenens.
Prosper de Lambertinis, Bononiensis, Promotor fidei.
Philippus Maria Columna, Roman.

Inter ministros, qui non tractant negotia domestica sed statûs:

Primò eminet il Secretario di sua Santità, Secretarius suæ Sanctitatis, à quo dependent.

Secundò Segretarii di stato, secretarii statûs.

Tertiò il secretario de brevi segreti, qui conficit litteras secretiores Pontificis. Modernus est Fabius Oliverius, Prothonotarius.

Quartò viginti quatuor segretarii di brevi Apolici, quorum primarius vocatur

vocatur Reverendo & Prælato domestico.

Quintò Prefetto della Signatura di Giustitia, sive Signaturæ Justitiæ, communiter est Cardinalis, ordinat omnes delegationes in causis justitiæ. Pro tempore est Eminentissimus & Reverendissimus D. Cardinalis Spada, signaturæ Justitiæ SS. D. N. Papæ Præfectus.

Illustrissimi & Reverendissimi Domini Prælati votantes pro tempore sunt:

Masserinus, & pro eo de pactis ejus coadjutor.

Passerinus.	Palagius.
Lonius.	Amadorius.
De Vossis.	Vannicellus.
De Vico.	Sardinius.
Dandinus.	Balestra.
Valdina.	

Illustrissimi & Reverendissimi Domini Prælati Assistentes.

Decanus, aut Vice-Decanus sac. Rotæ.
Regens Cancellariæ Apostolicæ.
Locum tenentes civiles Illmi D.A.C.
Locumtenens civilis Eminentissimi Vicarii.
Omnes istius Signaturæ Referendarii, qui causas in ea proponunt.
Antonius Xaverius de Gentilibus, Auditor Eminentissimi Cardinalis Præfecti signaturæ.

Referendarii sunt sequentes:

RR. PP. DD. Referendarii.

1. Urbanus Georgius Camers.
2. Joannes Tempius, Florentinus.
3. Joseph de Aste Romanus, C. A. Dec.
4. Philippus Vainus, Romanus.
5. Joannes Patritius, Romanus, Archi-Episcopus Seleuciæ, SS. SS. D. N. Thesaurarius Generalis.
6. Leonardus Ghezzius, Neapolitanus, M. Præsidentię Abbreviator & C. A. Clericus.
7. Camillus Cellesius, Pistorienſis, C. A. C.
8. Joannes Franciscus Leoninus,
9. Nicolaus Spinula, Januenſis, Archi-Episcopus Thebarum, C. A. Generalis Auditor.
10. Bernardinus Scottus, Mediolanenſis, Sac. Rotæ Auditor, ac Almæ Urbis Gubernator, & Vice-Camerarius.
11. Joannes Franciscus Gomez Homen, Romanus, Ma. Præsidentiæ Abbreviator, & C. A. Clericus.
12. Laurentius Vannicellus, Romanus, Ma. Præsidentiæ Abbreviator, & Signaturæ Justitiæ votans.
13. Sinibaldus ab Auria, Januenſis, Archi-Episcopus Patracenenſis, præceptor S. Spiritus.
14. Antonius Vidman, Venetus.
15. Alexander Falconerius, Romanus, S. Rotæ. Auditor.
16. Phyfimbus Marabottinus Urbevetanus, Votans Signaturæ Gratiæ, & Sac. Congregationum Boni Regiminis, & Riparum fluminis Tyberis Secretarius.
17. Ferdinandus Nuptius, Hortanus, Archi-Episcopus Nicenus, Votans

Votans Signaturæ Gratiæ, ac Sac. Congreg Episcoporum, & Regularium, nec non congreg. aquarum secret.

18. Joannes Joseph Baverius, Senogallien. SS. D. N. Prælatus domesticus.
19. Franciscus Colomna, Romanus, Regens Cancellariæ
20. Hyacinthus de Pilastris. Cesaren.
21. Felix Passerinus de Cursia Ma. præsidentiæ abbreviator, ac signat. gratiæ, & Justitiæ votans.
22. Odoardus Silva, Romanus.
23. Ansaldus de Ansaldis Florentinus, sac. Rotæ Auditor.
24. Fabritius Sinibaldus, Romanus, Rev. Fabricæ S. Petri Judex.
25. Gibertus Borromæus Mediolanensis, patriarcha Antiochenus.
26. Antonius Bancherius Pistoriensis, prothonot. Ap. & sac. consultæ secret.
27. Cyriacus Lancetta, Romanus, saræ Rotæ Auditor.
28. Carolus Cerrus, Romanus Ma. præsidentiæ abbreviator, & sac. Rotæ auditor.
29. Fattinellus de Fattinellis, Lucensis, votans signaturæ gratię & cam. apost Clericus.
30. Nicolaus Judice, Neapolitanus, cam. apost clericus.
31. Orontius Salinarius Liccius, Neapolitanus, signaturæ gratię votans.
32. Vincentius Petra, Neapolitanus, Archi-episcopus Damascenus, votans sign. gratię, ac sac. cong. conc, sec.
33. Petrus Annibaldensis de Molaria Romanus, cam. apost clericus.
34. Prosper Columna, Romanus, prothonot apost. & cam. apost. clericus.
35. Petrus Aloysius Carafa, Neapolitanus.
36. Georgius Spinula, Januensis, Archi episcopus Cæsareæ.
37. Joseph Firrao, Neapolitanus, votans signaturæ gratiæ.
38. Ludovicus Sergardus, Senensis, votans signaturæ gratiæ, & Rev. Fabricæ S. Petri oeconomus, & secret.
39. Petrus Paulus Testa, Romanus, Ma. præsid. abbreviator.
40. Leo Strozzius, Romanus.
41. Hieronymus Alexander Vincentinus, Reatinus, Archi episcop. Thessalonicensis.
42. Prosper Marefuscus Maceraten. Episcopus cyrenen. SS. D. N. auditor.
43. Peregrinus Masserius, Forolilinienſis, SS. D. N. prælat. domest. votans signaturæ gratiæ, ac Decanus sign. Justitiæ.
44. Franciscus Foscarus, Venetus, SS. D. N. prælatus domesticus.
45. Pompejus Aldronandus, Bononiensis, sac Rotæ auditor.
46. Alexander Casalius, Romanus, SS. D. N. prælatus domesticus.
47. Joannes Antonius Petrignanus, Amerinus.
48. Petrus Laurentius Galleratus, Novariensis
49. Hyacinthus Philibertus Ferrerius de Masserano,

50. Flavius Ravizza, Urbevetanus.
51. Joseph. Nigronus, Romanus, Ma. præsidentiæ abbreviator.
52. Josephus Lonius, Reatinus, signaturæ justitiæ votans.
53. Francisc. Joseph. Berninus Rom.
54. Valerius Rota, Venetus, SS. D. N. prælatus domesticus.
55. Petrus Aloysius Carasa, Neapolitanus, Archi-episcopus Larissæ, SS. D. N. prælatus domesticus.
56. Alexander Aldobrandinus, Florentinus, Archi-episc. Rhodien.
57. Jacobus Caracciolus, Neapolitanus, Archi-episcopus Ephesinus, cong. sac rituum ac visitationis apost. secret. electus.
58. Nicolaus Lercarius, Januensis, Ma. præsid. abbreviator.
59. Bernardinus Narus, Romanus, protonot. apost.
60. Marcellus Cremona Valdina, Romanus, signaturæ Justitiæ votans.
61. Raynerius de Ilcio, Senensis.
62. Nicolaus Nigronus, Januensis, SS. D. N. prælatus domesticus.
63. Scipio de Ricciis, Florentinus, sign. gratiæ votans, & S. congregationis super controversiis jurisdictionalibus secret.
64. Faustinus Crispoltus, Perusinus, SS. D. N. prælatus domesticus, S. congreg confinium secret. ac Eminentiss. card. camerarii auditor.
65. Anselmus Dandinus, Cæsenatensis, signatur. Justitiæ votans.
66 Silvius de Cavaleriis, Verulanus, Archi-episcopus Athenarum, votans signaturæ gratiæ, ac S. congreg. de propaganda fide secret.
67. Joseph. Franciscus de Vossis, Senogallienſis, sign. justitiæ votans.
68. Petrus Carolis, Romanus, Ma. præsidentiæ abbreviator.
69. Seraphinus Cincius, Romanus, apost. cam. locumtenens.
70. Petrus Antonius Balestra, Romanus, confidentiarum auditor, & sign. justitiæ votans.
71. Joannes Hieronymus de Afflicto, Neapolitanus.
72. Cornelius Bentivolus, Ferrariensis, Archiepiscopus carthaginensis.
73. Marcus Antonius de Ansideis, Perusinus, apost. cam. locumtenens.
74. Hieronymus Crispius, Ferrariensis, sac. Rotæ Auditor.
75. Maphæus Farsettus, Venetus, prothonotarius apost.
76. Guido Pelagius, Romanus, signaturæ justitiæ votans.
77. Franciscus de Pactis, Messanen. signaturæ justitiæ votans.
78. Joannes Baptista de Alteriis, Romanus, SS. D. N. prælatus domesticus, & cam. apost. cleric.
79. Federicus Cornelius, Venetus, SS. D. N. prælatus domest.
80. Josephus Ascanius Canſaccus, Amerinus.
81. Hieronymus Archintus, Mediolanensis, Archiepisc. Tarsensis.
82. Alexander de Abbatibus, Romanus, min. brev. mag.

83. Fran-

83. Franciſcus Antonius Boldrinus, Illicinenſis.
84. Franciſcus Maria Barbadicus, Venetus, ſac. Rotæ auditor.
85. Andreas Juſtinianus, Romanus, protonot. apoſt.
86. Fabius Caracciolus, Neapolit.
87. Antonius Xaverius de Gentilibus, Romanus, Ma. præſ. abbrev. ac ſignat. juſtitiæ auditor.
88. Cajetanus Stampa, Mediolanen. SS. D. N. prælatus domeſticus.
89. Joannes Otthobonus, Venetus, SS D. N. prælatus domeſticus, & cam. apoſt. præſes.
90. Melchior Maggius Urbinas, SS. D. N. prælatus domeſt.
91. Franciſcus Riccius, Romanus.
92. Camillus Cybò è Maſſa Carrariæ, cam. apoſt. clericus.
93. Jacobus Oddus Peruſinus, protonot. apoſt.
94. Franciſcus de Vico, Maceraten. SS. D N. prælatus domeſticus, ſignaturæ juſtitiæ votans, & S. congreg. ſuper diſciplina Regularium ſecret.
95. Fabius Oliverius, Piſauren. protonot. apoſt. ac ſecretorum brev. à ſecretis, nec non ſacri palat. apoſt. pro-præfectus.
96. Alexander Tanarius, Bononien. SS. D. N. prælatus domeſticus.
97. Julius Imperialis, Januenſis, Ss. D. N. prælatus domeſticus, & cam. apoſt. clericus.
98. Hercules de Aragonia Neapolit. prælatus domeſtic. Ss. D. N.
99. Carolus Collicola, Spoletanus, Prot. apoſt. & cam. apoſt. cler.
100. Lazarus Pallavicinus, Januen. protonot. apoſt. & Ma. præſid. abbreviator.
101. Jo. Baptiſta Barnus, Laudenſis.
102. Alamannus Salviatus, Florentinus, proton. apoſt.
103. Cajetanus de Cavaleriis, Romanus, ſanctiſſimi Domini noſtri prælatus domeſticus.
104. Joannes Corradus Urſinus, Romanus, ſanctiſſimi domini noſtri prælatus domeſt.
105. Vincentius Amadorius olim de Maneriis, Florentinus, ſignaturæ gratiæ & juſtitiæ votans.
106. Ludovicus Anguiſciola Placent.
107. Philippus Maria de Montibus, Bononienſis, ſanctiſſimi domini noſtri prælatus domeſticus.
108. Coſmus Imperialis, Januenſis,
109. Hercules Marliani, Mediolan.
110. Joannes Rinuccius, Florentin.
111. Franciſcus Maria Spada, Romanus, protonot. apoſt.
112. Carolus Franciſcus Airoldus, Mediolanenſis.
113. Jo. Baptiſta Vicecomes, Mediol.
114. Coſmus de Hieronymis, Florentinus, ſac. cong. Indulgentiarum & reliquiarum ſecret.
115. Jo. Baptiſta Vidonus, Cremon.
116. Joannes Baptiſta Spinula, Januenſis, ſanctiſſimi domini noſtri prælatus domeſt.
117. Franciſcus Adrianus Cæva, Romanus, protonotarius apoſtolicus.
118. Baſilius Sceriman, Aſpahamen. contradictarum auditor.
119. Petrus de Craſſis, Clodienſis.

120. Joseph. Herculanus, Senogallienſis, præfectus plumbi.
121. Joseph. Antonius Maria Pallavicinus, Cremonen. ſanctiſſimi domini noſtri prælat. dom.
122. Alexander Maruſcellus, Florent.
123. Gherardus Zandemaria, parm. ſanctiſſimi Domini noſtri prælatus domeſticus.
124. Jacobus Sardinius, Lucenſis, ſignaturæ juſtitiæ votans.
125. Franciſcus Riccardus Fernianus, Faventinus.
126. Pompejus de Amadeis, roman.
127. Antonius Maria Bechettus de Fabriano, ſanctiſſimi domini noſtri prælatus domeſticus ac ſubdatarius.
128. Joannes Chriſtophorus Battellus, Urbinas, ſanctiſſimi domini noſtri prælatus domeſticus & apoſtol. brevium ad principes à ſecretis.
129. Thomas Cervinus à Monte Politiano ſanctiſſimi domini noſtri prælat. dom.
130. Philippus Cæſarinus, Spoletanus, ſanctiſſimi domini noſtri prælatus domeſticus ac Eminentiſſimi Vicarii locumtenens.
131. Zoſimus Valignanus, Theatinus.
132. Vajus Maria de Vajis Pratenſis.
133. Proſper de Lambertinis, Bononienſis, ſanctiſſimi domini noſtri prælatus domeſticus & promotor fidei.
134. Philippus Maria Columna, rom. Ss. D. N. prælat. domeſt.
135. Antonius Maria Foſſombronus, Aretinus, Min. brev. præfectus.

Sextò Prefetto della ſignatura di gratia, regulariter eſt Cardinalis, & quidem pro tempore eſt Cardinalis Pamphilius, per quem ordinantur expeditiones gratiarum.

Ad hanc ſignaturam, quæ fit die Martis arbitrio Ss. pertinent pro tempore viventes.

Eminentiſſimi & Reverendiſſimi Domini Cardinales.

Bullonius.
Acciaiolus.
De Carpineo, Præfectus congregationis Epiſcoporum & regularium.
Spada, præfectus ſignaturæ juſtitiæ.
Panciaticus, præfectus congregationis concilii.
De Abdua.
Judice.
Sacripantes, prodatarius.
Spinula, S. R. E. Camerarius.
Paulutius, major pœnitentiarius.
Pignatellus.
Corſinus.
Paraccianus.
de la Tremoville.
Pamphilius, præfectus ejusdem ſignaturæ ſanctiſſimi.
Otthobonus S. R. E. Vice-Cancellarius.
Imperialis, præfectus congreg. boni regiminis, congreg. ſuper diſciplina regularium.
Barberinus, præfectus congregationis aquarum.
Columna.

Illuſtriſſimi & Reverendiſſimi DD. Votantes.

Nuptius, Archi-epiſcopus Nicenus.

Petra,

Petra, Archi-episcopus Damascen.
De Cavaleriis, Archi-episcopus Athenarum.
Fattinellus. Firrao.
Masserius. Passerinus.
Marabottinus. De Ricciis.
Liccius. Amadorius.
Sergardus.

Illustrissimi & Reverendissimi DD. Assistentes.

Auditor Generalis Rev. Cameræ Apostolicæ.
Thesaurarius Generalis ejusdem Rev. Cam. Apost.
Vices gerens Eminentissimi D. Cardinalis Vicarii.
Prothonotarius antiquior, Auditor S. D. N. Papæ.
Decanus sacræ Rotæ.
Regens sacræ pœnitentiariæ.
Decanus aut Vice-Decanus Cameræ Apostolicæ.
Præses Rev. Cam. Apost.
Regens Cancellariæ.
Auditor Contradictarum.
Corrector literarum Apostolicarum.
Abbreviator antiquior de Parco majori.
Præfectus plumbi.
Magister brevium minoris gratiæ.
Præfectus brevium signaturæ justit.
Auditor Eminentissimi Cardinalis Camerarii.
Auditor confidentiarum.
Locum tenentes Civiles Illustrissimi D. A. C.
Locum tenens Civilis Eminentissimi Vicarii.
Tres Referendarii causas proponentes.
Tres alii in proxima futura proposituri.
Referendarii moderni osculaturi pedem Ss. (si S. suæ eos assistere placeat)

Septimò Prefetto dei brevi, qui relegit omnia brevia Apostolica.

Octavò Bibliothecarius, qui simul est Cardinalis & habet curam Bibliothecæ & typographorum.

Nonò il auditore della camera, Auditor generalis cameræ Apostolicæ, modernus est Nicolaus Spinula, Januensis, Archi-Episcopus Thebarum, est judex ordinarius curiæ Romanæ, ejus jurisdictioni subjiciuntur personæ Ecclesiasticæ, legati & omnes peregrini, hic in suis litteris semper inscribitur cameræ apostolicæ generalis auditor, Romanæque curiæ judex ordinarius in Vaticano. Porrò ad auditoris generalis cameræ apostolicæ tribunal spectant:

Illustrissimi & Reverendissimi DD. Prælati.

Et post auditorem generalem sequitur:

Marcus Antonius de Ansidæis, primus locum tenens civilis.
Seraphinus Cincius, alter locum tenens civilis.

Domini.

Antonius Sabainus, locum tenens in criminalibus.
Leo Dulcis auditor civilis Illustrissimi A. N. met.

Auditoris Cameræ ejusdem congregatio criminalis.

Illustrissimi DD.

Desiderius Spretus, pauperum advocatus.
Philippus Sacripantes, *R. C. A.* & fisci Advocatus.
Nicolaus Jacobatius, procurator Fiscalis generalis.

Domini.

Antonius Sabinus, Locumtenens criminalis.

Substituti locumtenentes criminales.

Numerarii.

Horatius Gallus.
Franciscus Ludovicus Æmilianus.
Philippus Antonius de Geminis.
Aloysius Pichius, substitutus fiscalis generalis.
Pompejus Gallus, substitutus fiscalis numerarius.
Cajetanus de Rubeis, substitutus fiscalis supra numerarius.
Joannes Cenciarellus, substitutus locum tenens & fiscalis supra numerarius.
Desiderius Albanus, procurator pauperum.

§. II.

OFFICIA ET OFFICIALES QVOAD CAUSAS JUSTITIÆ CIVILES SEU PROFANAS DECIDENDAS.

SUMMARIA.

1. Gubernator Romæ quis dicatur? 2. Senator Romanus. 3. Conservatores Romani. 4. Gubernator subburbii. 5. Recensentur tres alii officiales urbis Romanæ.

1 Primam post Cardinales dignitatem Romæ obtinet il Gubernatore di Roma, qui est supremus judex urbis Romanæ, ejusque jurisdictio in totam urbem se extendit, habetque concurrentem jurisdictionem cum reliquis tribunalibus, adeo ut apud eum sit locus præventioni. dum ille exit foras, semper habet secum suam custodiam & milites hastatos (germanicè Hatschier) eidem subordinantur plurimi judices inferiores, unus superior Notarius, ein Ober-Notarius, multi scribæ, unus capitaneus apparitorum trecentorum, italicè Bargello di 300. Sbirri.

Modernus Gubernator almæ urbis est:

Illustrissimus & Reverendissimus Dominus Bernardinus Scottus, sacræ Romanæ Rotæ auditor, almæ urbis

urbis Gubernator & Vice-Camerarius.

Huc pertinet ejusdem gubernatoris congregatio criminalis, in qua sunt:

Illustrissimi DD.

Desiderius Spretus, advocatus pauperum.
Philippus Sacripantes, fisci & rev. cam. apost. advocatus.
Nicolaus Jacobatius, procurator fiscalis generalis.

Domini.

Dominicus Cæsar Florellus, primus locum tenens.
Joannes Philippus de Toppis, secundus locumtenens.
Joannes Carolus Scalaviterbius, primus locum tenens substitut.
Petrus Sensius Bonifatius, secundus locum tenens substitutus.

Substituti Fiscales numerarii, & Substituti locumtenentes supranumerarii.

Philippus Benignus.
Joseph Maria Capitozzius.
Antonius Farinaccius.
Joseph de Vecchis.
Christophorus Bucchius.
Antonius Brogius
Jo. Felix Sebregundus.
Carolus Maria Giacomellus.
Joseph Silva.

Joannes de Radicibus, substitutus fiscalis supranumerarius.
Desiderius Albanus, procurator pauperum.
Julianus Fantivecchius, procurator charitatis.
Joannes Carolus de Felicibus pro charitate Notarius.

Secundò in causis civilibus & justitiæ urbis Romanæ venit il Senatore di Roma, plerumque est alienigena & Doctor Juris, ejus residentia est in capitolio, solum cedit præcedentiam legato Cæsareo, fert sententiam in causis tam civilibus quam criminalibus, quæ cives Romanos concernunt, habet etiam sub se plures judices inferiores & subordinatos.

Modernus Almæ urbis Senator est Illustrissimus & Excellentissimus.

D. Marchio Marius Frangipanus.

Ad hoc Capitolii forum & Assettamentum pro causis civilibus pertinent.

Joannes Baptista Quatrinius, primus collateralis.
Franciscus de Lucidis secundus collateralis.
Angelus de Benedictis judex maleficiorum.

Ad Capitolini ejusdem fori congregationem pertinent præter Illustrissimum D. almæ urbis senatorem.

Desiderius Spretus, pauperum advocat.
Joannes Baptista Quatrinius primus collateralis.
Franciscus de Lucidis, secundus collateralis.

Angelus

Angelus de Benedictis, Judex maleficiorum.
Laurentius Geminus de Geminis procurator fiscalis.
Joannes Franciscus Abinantes, substitutus locumtenens & fiscalis.
Dominicus Carbonus pauperum procurator.
Petrus de Quattrinis, Notarius criminalis.

Tertio. Conservatori di Roma, sunt tres Patricii Romani, inter quos est il Priore de Caporioni, germanicè der Ober-Viertel-Meister. Similes Caporioni sunt Romæ 14. cum totidem divisæ & distinctæ civium stationes sive quartiere; horum officia sunt, ut statuta, pondera, mensuras, ulnas visitent, taxent merces, tribuant jus civitatis.

Quartò il Guvernatore di Borgo, exercet cum suo subordinato judice & fiscali jurisdictionem in suburbio (in der Burg) à porta Lungara usque ad portam Septinianam.

Quinto Maestri della strada di Roma, habent curam platearum, viarum & pontium.

Sexto Ministri Giustifieri, cognoscunt in causis agrorum, fructuum, servitutum prædialium.

Septimo il Camerlengo di Ripa cognoscit in causis maritimis & navigationum.

§. III.

OFFICIA CAMERALIA SUMMI PONTIFICIS.

Primo venit Cardinalis Camerlengo cognoscit super causis cameralibus, & sub se habet duodecim clericos camerales.

Modernus S. R. E. Camerarius est Eminentissimus & Reverendissimus D.
Joannes Baptista Cardinalis Spinula.

Illustrissimi & Reverendissimi DD. Cameræ Apostolicæ Clerici moderni sunt.
Joseph de Aste, Romanus, Decanus clericorum
Nicolaus Judice, Neapolitanus.
Fattinellus de Fattinellis, Lucens.
Joannes Baptista de Alteriis, Rom.
Petrus Antonius Annibaldensis de Molaria, Romanus.
Prosper Columna, Roman.
Camyllus Cibo è Massa Carrariæ.
Leonardus Ghezzius, Neapolitan.
Camillus Cellesius, Pistorien.
Carolus Callicola, Spoletan.
Joannes Franciscus Gomez Homen, Roman.
Julius Imperialis, Januens.

Secundò Generalis Thesaurarius, qui proventus & reditus camerales colligit. Modernus est Joannes Patritius Archi-Episcopus Seleucæ.

Tertiò

Tertio præses cameræ, Cammer. Præsident, qui omnia ratiocinia & computationes examinat & revidet. Modernus est Joannes Otthobonus.

Quartò advocatus pauperum, qui omnibus egenis & miserabilibus personis gratis inservit. Modernus est Desiderius Albanus.

Quintò commissarius cameræ, qui observat jura & interesse camerale in causis civilibus & profanis, & curat rem monetariam. Modernus est Gaspar Turchus.

Sextò legati in quinque provinciis papalibus, Avignon, Ferrara, Bologna, Ravenna & Perugia, suntque ibidem vicarii & locumtenentes Pontificis, qui jurisdictionem tam in temporalibus quam spiritualibus exercent: De quibus statim infra dicetur.

Illustrissimi & Reverendissimi Domini Camerales qui habent in Camera votum, sunt moderni & sequentes:

Gubernator almæ urbis.
Thesaurarius generalis rev. cam. apostol.
Auditor generalis rev. cam. apost.
Præses rev. cam. apost.
Pauperum advocatus.
Advocatus fisci & rev. cam. apost.
Procurator fiscalis.
Commissarius generalis rev. cam. apost.

Cameralis congregatio hæc est:

Illustrissimi & Reverendissimi Domini Prælati,

Joannes Patritius, Archi-episcopus Seleuciæ, Thesaurarius generalis rev. cam. apost.
Joseph de Aste, Decanus clericorum.
Nicolaus Judice, cam. apost. clericus & annonæ præfectus.
Petrus Antonius Annibaldensis de Molaria, commissarius armorum.
Advocatus fisci rev. cam. apost.
Commissarius generalis rev. cam. apost.

Domini.

Rationcinatores R. C. A.

Quintilianus de Valentinis.
Joannes Baptista Lonorus.
Bernardinus Cassetus.
Joannes Carolus Piancastellus, substitutus commissarius rev. cam. apost.

Sollicitatores R. C. A.

Joseph Isoldus.
Antonius Franciscus Foglietti.
Petrus Comestabilis, Archivorum cameræ apostolicæ custos.
Cameralis eadem congregatio in causis criminalibus.

Illustrissimi & Reverendissim DD.

Thesaurarius rev. cam. apost.
Philippus Sacripantes, rev. cam. apost. & fisci advocatus.
Nicolaus Jacobatius, procurator fiscalis generalis.
Gaspar Turchus, rev. cam. apost. commissarius generalis.

Domini.

Marcus Antonius Venturinus, Assessor Dohanarum, & auditor generalis in criminalibus Illustrissimi D. Thesaurarii generalis.

Joannes Carolus Piancaſtellus, ſubſtitus commiſſarius.
Computorum *R. C. A.* congregatio.

Illuſtriſſimi & Reverendiſſimi DD. Prælati.

Theſaurarius rev. cam. apoſt.
Joſeph de Aſte, rev. cam. apoſt. Decanus.
Nicolaus Judice, rev. cam. apoſt. clericus.
Fattinellus de Fattinellis, rev. cam. apoſt. clericus.
Joannes Baptiſta de Alteriis, rev. cam. apoſt. cleric.
Camyllus Cybo, rev. cam. apoſt. cleric.
Joannes Otthobonus, rev. cam. apoſt. præſes.
Philippus Sacripantes, fiſci & rev. cam. apoſt. advocatus.
Caſpar Turchus, rev. cam. apoſt. commiſſarius generalis.

Domini.

R. C. A. Ratiocinatores.

Quintilianus de Valentibus.
Joannes Baptiſta Leonorus,
Bernardinus Coſettus.

§. IV.

DE JUDICIIS ET JUDICIBUS ROMANIS QVOAD CAUSAS ECCLESIASTICAS.

SUMMARIA.

1. Summus pœnitentiarius quis dicatur? 2. Conſiſtorium quodnam dicatur? 3. Rota Romana quænam dicatur? 4. Recenſentur variæ Congregationes Cardinalium.

Cauſæ hæ reſpiciunt vel forum internum vel externum, cauſæ, quæ diſpenſationem & abſolutionem pro foro interno requirunt, deferuntur ad

1 Summum pœnitentiarium, ſummo Penitentiere, cujus officium annuatim 8000. ſcutorum Romanorum importat; ejus officium ſe extendit ad caſus reſervatos, abſolutiones verò impertitur gratis; ſub ſe habet alium adhuc prælatum qui dicitur regente di penitentiaria, & adhuc alios vicarios pœnitentiarios Jeſuitas, Dominicanos, Franciſcanos &c.

Ad Pœnitentiariæ Apoſtolicæ Congregationem ſive ſignaturam pertinent:

Eminentiſſimus & Reverendiſſimus D. Fabritius Cardinalis Paulutius, major pœnitentiarius.

Illu-

Illuſtriſſimi & Reverendiſſimi Domini Prælati.

Regens Joſephus Molines, ſacræ Rotæ Decanus.
Magiſter in Theologia P. Joſeph de Alfaro, è Soc. Jeſu.
Datarius Dominicus de Zaulis, Archi-Epiſcopus Theodoſiæ & Aſſeſſor S. Officii.
Doctor in Decretis & Conſultor Vincentius Petra, Archi-epiſcopus Damaſcenus, & ſac. congregationis concilii ſecretarius.
Corrector Ferdinandus Nuptius, Archi-Epiſcopus Nicenus, ſac. congregationis Epiſcoporum & Regularium ſecretarius.
Sigillator Fattinellus de Fattinellis, cam. apoſt. clericus.

Domini.

Tres ſacræ Pœnitentiariæ Procuratores.

Hieronymus Bertus.
Joannes Dominicus Conſalvus.
Dominicus Paglia.

Tres Scriptores.

Philippus Cinarellus.
Antonius Cechius.
Franciſcus Petrucciolus.

Quoad cauſas Eccleſiaſticas & forum externum:

2 Summum collegium eſt il conſiſtorio, conſiſtorium quod conſtituunt Pontifex & cardinales præſentes, in hoc conſiſtorio hebdomatim vel ſaltem adminimum omnibus tribus ſeptimanis ſemel diſcutiuntur cauſæ illæ, quæ Eccleſiam catholicam ratione ſtatus papalis conſervandi attingunt & concernunt.

Conſiſtorialium Advocatorum Collegium eſt ſequens.

Joannes Franciſcus Fagnanus, Romanus, Decanus.
Alexander Caſalius, Romanus, prælatus.
Antonius Felicianus Montecatinus, Ferrarienſis.
Philippus Sacripantes, Narnienſis, cameræ Apoſt. & fiſci advocatus.
Marcellinus Coyrus, Mediolanenſis.
Vincetius Amadorius, olim de Manieris, Florentinus, prælatus.
Deſiderius Spretus, Ravennatenſis, pauperum advocatus.
Jacobus Sardinius, Lucenſis, prælatus.
Proſper de Lambertinis, Bononienſis, promotor fidei, prælatus.
Ferdinandus de Valentibus, de Trebio Spoletanæ Diœceſis.
Petrus Pomponius de Vecchis, Senenſis, coadjutor Amadorii.
Carolus Maria Sacripantes, Romanus, coadjutor patris.
Antonius Serlupius, Romanus.
Bonifacius Spretus, Ravennatenſis, coadjutor patrui.

Secundò venit judex confidentiarum, cognoſcit ſuper omnibus reſignationibus & permutationibus beneficiorum.

Tertiò venit Datarius & dataria de quibus mox integro §. *ſequenti.*

Quartò Jurisdictionem in omnes perſonas eccleſiaſticas eorumque famulos & domeſticos in cauſis civilibus & criminalibus exercet il Vicario del Papa, qui etiam eſt judex

viduarum & pupillorum, judæorum & confraternitatum. Modernus est Eminentissimus & Reverendissimus D. Caspar, Episcopus Sabinensis, Cardinalis de Carpineo, sanctissimi Domini nostri Vicarius generalis.

Quinto veniunt Auditori della Routa, ubi sunt 12. Prælati, quorum unus Germanus, unus Gallus, duo Hispani, octo Itali, nimirum tres Romani, unus Toscanus, unus Milanus, unus Venetus, unus Bolonienſis, unus Ferrarienſis, quivis Auditor habet quatuor Notarios.

Cognoscunt super omnibus causis beneficialibus, in quibuscunque regionibus eæ emergant, imo etiam de causis temporalibus, quæ ad hoc judicium per viam appellationis devolvuntur.

Porro Auditores sacræ Rotæ Romanæ sunt sequentes:

Illustrissimi & Reverendissimi Domini.

Joseph Molines, Hispanus, Decan.
Bernardinus Scottus, Mediolanensis, almæ urbis gubernator.
Ansaldus de Ansaldis, Florentinus.
Cyriacus Lancetta, Romanus.
Pompejus Aldrovandus, Bononiensis.
Alexander Falconerius, Romanus.
Hieronymus Crispius, Ferrarienſis.
Carolus Cerrus, Romanus.
Franciscus Maria Barbadicus, Venet.

Uti vides tres adhuc desunt ex numero ordinario, neque etiam antiqua consuetudo observata, ut ex diversis provinciis sint assumpti certo numero.

Præterea variæ inveniuntur congregationes Romæ, quæ à Pontificibus ordinatæ & confirmatæ fuerunt, quæ omnes hic ordine sequntur.

Congregatio sancti officii à Paulo V. instituta & à Pio V. aucta, ac noviter regulata, cognoscit in causis hæresum. Hanc congregationem constituunt ad minimum duodecim prælati, in qua etiam adhibentur religiosi variorum ordinum velut consulentes. Hæc congregatio convenit hebdomatim duabus vicibus, nimirum die Mercurii in conventu della Minerva, ubi alias hæc inquisitio à Patribus Dominicanis propagatur, & die Lunæ coram Pontifice.

Vocatur hæc congregatio alio nomine etiam congregatio inquisitionis hæreticæ pravitatis. Ad hanc autem pertinent:

Eminentissimi & Reverendissimi Domini Cardinales.

Bullionius.	Judice.
Acciaiolus	S. Clementis.
De Carpineo.	Sacripantes.
Destræus.	Paulutius.
Ursinus.	Casonus.
Spada.	Fabronus.
Mariscottus.	Otthobonus.
Panciaticus.	

Illustrissimi & Reverendissimi DD. Prælati.

Nicolaus Caracciolus, Archi-episcopus capuæ vicesgerens.

Ferdi-

Ferdinandus Nuptius, Archi-episcopus Nicenus, sac. congregationis Episcorum & Regularium secret.

Dominicus de Zaulis, Archi-episcopus Theodosien. Assessor sac. officii.

Sinibaldus ab Auria, Archi-episcopus Patracen. præceptor generalis sancti Spiritus in Saxia.

Vincentius Petra Archi-episcopus Damascen. sacræ congregationis concilii secretarius.

Silvius de Cavaleriis, Archi-episcopus Athenarum, sac. congregationis de propaganda fide secretarius.

Antonius Bancherius, prothonotarius apostolicus, secretarius sacræ consultæ.

P. Antonius Cloche Magister generalis Ordinis Prædicatorum.

P. Gregorius Selleri, Magister sacri palatii apost.

Cosmus de Hieronymis, sacræ congregationis indulgentiarum, & sacrarum reliquiarum secretarius.

Prosper de Lambertinis, promotor fidei.

RR. PP. & DD.

P. Joseph. Maria Tabalia, commissarius generalis sacri Officii.

P. Joannes Damascenus Bragaldi, Ordinis Min. convent.

P. Felix Maria Lazzaroni, primus socius P. commissarii.

Silvius de Arcangelis, fiscalis sacri Officii.

Dominicus Cæsar Florellus, advocatus Reorum.

Joseph Bartolus sacræ Rotæ & universalis inquisitionis Notarius.

Congregatio Episcoporum & Regularium, quæ cognoscit de controversiis inter Episcoporum eorumque subditos, vel regularium, quos habent inter se ipsos aut cum Episcopis. Celebratur hæc congregatio omnibus feriis sextis in palatio Cardinalis, qui eidem congregationi præsidet. Hanc congregationem constituunt:

Eminentissimi & Reverendissimi Domini Cardinales.

Bullionius.	Baduarius.
Acciaiolus.	Casonus.
De Carpineo Præfectus.	Corsinus.
	Flisicus.
Destræus.	Gualterius.
Ursinus.	Vallemanus.
Mariscottus.	Paraccianus.
Panciaticus.	Fabronus.
De Abdua	Gozzadinus.
Judice	De Via.
Tanara.	Cusanus.
Boncompagnus.	Bussius.
De Verme.	Casinus.
S. Clementis.	Pamphilius.
Sacripantes.	Imperialis.
Cornelius.	Priolus.
Paulutius	Grimaldus.
Pignatellus.	

Ferdinandus Nuptius, Archi-Episcopus Nicenus, Secretarius.

Congregatio concili Tridentini, quæ nimirum declarat concilium Tridentinum, & quæ decidit controversias fidei, celebratur semel per hebdomadam in Palatio ¡seniorioris Cardinalis. Ad hanc congregationem vocantur:

Eminentissimi & Reverendissimi Domini Cardinales.

Bullionius.	Picus.
Acciaiolus.	Corradinus.
Destræus.	S. Marcelli.
Ursinus.	Ptolomæus.
Marisscottus.	Pamphilius.
Panciaticus Præfectus.	Otthobonus.
	Bichius.
De Abdua.	Imperialis.
Judice.	Barberinus.
Tanara.	De Alteriis.
Boncompagnus.	Martellus.
De Verme.	Vallemanus.
S. Clementis.	Paraccianus.
Sacripantes.	De Via.
Spinula.	Bussius.
Cornelius.	Corradinus.
Paulutius.	Bichius.
De Carpineo.	Imperialis.
De Aquaviva.	S. Marcelli.
Ruffus.	Barberinus.
S. Honuphrii.	De Alteriis.
Gualterius.	Grimaldus.
Paraccianus.	Albanus.
De Comitibus.	Origus.

Vincetius Petra, Archi-episcopus Damascenus, Secretarius.

Congregatio sacrorum rituum, per quam deciduntur causæ, quæ tangunt ceremonias Ecclesiasticas, præcedentias ac prærogativas, canonizationes & similia. huic congregationi præsidet Cardinalis senior, & convocatur per mensem semel aut sæpius. Hanc congregationem constituunt:

Eminentissimi & Reverendissimi Domini Cardinales.

De Carpineo Præfectus.	Fabronus.
	Gozzadinus.
Ursinus.	Sanvitalis.
De Abdua.	Corradinus.
Judice.	S. Marcelli.
S. Clementis.	Ptolomæus.
Sacripantes.	Casinus.
Cornelius.	Pamphilius.
Paulutius.	Otthobonus.
Pignatellus.	Bichius.
Baduarius.	Imperialis.
Flisscus.	Barberinus.
Vallemanus.	Albanus.
De la Tremoille.	Origus.

Illustrissimi & Reverendissimi Domini Prælati.

Nicolaus Maria Tedeschi, Episcopus Liparen. consultor, & Pro-Secretarius.
Carolus Callicola, Prothonot apost.
Prosper de Lambertinis, fidei promotor.

DD. Magistri Ceremoniarum.

Candidus Cassina, Novocomensis.
Justinianus Chiapponus de Rossena, Parmensis.
Petrus Orlandus, Romanus.
Joannes Baptista Gagnius, Forolivensis.

Joannes

Joannes Baptista Gamberuccius, Romanus.

Congregatio aquarum, quæ habet curam fluminum, pontium, aquæ ductuum, quomodo nimirum conserventur. Huic congregationi præsidet senior Cardinalis. Huic congregationi interfunt:

Eminentissimi & Reverendissimi Domini Cardinales.

Acciaiolus. Ruffus.
De Carpineo. Otthobonus.
Spada. Imperialis.
Maresscottus. Barberinus Præfect.
De Abdua. De Alteriis.
Judice. Columna.
Spinula. Grimaldus.

Illustrissimi & Reverendissimi Domini Cardinales.

Thesaurarius Generalis rev. cameræ apostolicæ.
Commissarius generalis rev. cameræ apostolicæ.
Ferdinandus Nuptius, Archi-Episcopus Nicenus, Secretarius.

Aquarum Clanarum congregatio.

Eminentissimi & Reverendissimi Domini Prælati.

De Carpineo. Otthobonus.
Spada. Barberinus Præfect.

Illustrissimi & Reverendissimi Domini Prælati.

Thesaurarius generalis rev. camer. apostolicæ.
Commissarius generalis rev, cam. apostolicæ.
Ferdinandus Nuptius, Archi-episcopus Nicenus, Secretarius.

Aquarum paludum pontinarum congregatio.

Eminentissimi & Reverendissimi Domini Cardinales.

De Carpineo. Paraccianus.
Spada. Otthobonus.
De Abdua. Imperialis.
Judice. Barberinus Præfectus.
Spinula.

Illustrissimi & Reverendissimi Domini Prælati.

Thesaurarius generalis rev. cam. apostolicæ.
Commissarius generalis rev. cam. apost.
Ferdinandus Nuptius, Archi-Episcopus Nicenus, Secretarius.

Aquæ Paulæ congregatio.

Thesaurarius generalis rev. cameræ apostolicæ.
Sinibaldus ab Auria, Archi-episcopus Patracensis, præceptor sancti Spiritus.
Joannes Baptista de Alteriis, cam. apost. clericus, præfectus.
Commissarius generalis rev. cam. apostolicæ.
Franciscus Bianchinus, Secretarius.

Aquæ Virginis congregatio.

Eminentissimis & Reverendissimus D. Cardinalis Spinula Camerarius.

Illustrissimi & Reverendissimi Domini Prælati.

Thesaurarius generalis rev. cam. apostolicæ.
Joannes Baptista de Alteriis ejusdem cam. apost, clericus, præses.

Caspar

Caſpar Turchus, commiſſarius generalis rev. cameræ apoſt.
Franciſcus Bianchinus, Secretarius.

Congregatio dell' Indice ſive indicis librorum prohibitorum, ſcrutatur & examinat libros, qui typis mandari debent. Hujus congregationis membra ſunt:

Eminentiſſimi & Reverendiſſimi Domini Cardinales.

Bullionius.	Gualerius.
Acciaiolus.	Vallmanus.
De Carpineo.	Fabronus.
Deſtræus.	Gozzadinus.
Aſtallius.	Picus.
Judice.	De Via.
Tanara.	Ptolomæus.
S. Clementis Præfectus.	Pamphilius.
	Otthobonus.
Pignatellus.	Bichius.
Martellus.	Imperialis.
Caſonus.	De Alteriis.
Corſinus.	Priolus.
S. Honuphrii.	Albanus.

RR. PP.

P. Gregorius Selleri, Ordinis Prædicat. ſacri palatii apoſt. magiſter.
P. Auguſtinus Pipia, Ordinis Prædidicatorum, ſecretarius.

Congregatio conſultæ, convocatur hæc congregatio feria tertia & ſexta, in qua de regimine ſæculari & negotiis, quæ concernunt terras Pontificias; coram hac congregatione forum competens ſortiuntur Vice-Legati, Gubernatores & Officiales in temporalibus, exceptis tamen Avenione, Benevento & Ceneda, quorum Legati non ſubjiciuntur huic congregationi, quo eodem privilegio gaudent Fermo & Spoleto. Huic congregationi interſunt:

Eminentiſſimi & Reverendiſſimi Domini Cardinales.

Acciaiolus.	Ruffus.
Spada	Vallemanus.
Mariſcottus.	Paraccianus.
Aſtalius.	Cuſanus.
Judice.	Otthobonus.
Tanara.	Bichius.
Spinula.	Imperialis.
Paulutius.	Barberinus.
Martellus.	Grimaldus.
Corſinus.	Origus.
De Aquaviva.	

Illuſtriſſimi & Reverendiſſimi DD. Prælati ponentes.

SERGARDUS.

Legationum, Marchiæ, Montis Marciani, Fani, Civitatis Veteris, & Aſculi.

LICCIUS.

Peruſiæ, Civitatis Caſtelli, Civitatis Plebis, Citernæ, Anconæ, & Spoleti.

DE AFFLICTO.

Patrimonii, Roncilionis, Valentani, Sutrii, Nepii, Capranicæ, & Civitatis Caſtellanæ.

JOSEPH NIGRONUS

Campaniæ, Beneventi, Montis S. Joannis, Albani, Tyburis, & Tuſculi.

DE CAVALERIIS.

Æſii, Fabriani, Matelicæ, Sancti Severini, Montis Alti, Camerini, Nurſiæ, Caſſiæ, Viſſi & Otriculi.

JUSTI-

JUSTINIANUS

Urbis Veteris, Tuderti, Sabinæ, Ameriæ, Montis Caſtelli, Maſſæ, Reatis, Interamnæ, Narniæ, Labri, Pedis Luci, Farfæ, S. Salvatoris Majoris, & Scandriliæ.

Antonius Bancherius Secretarius.

Congregatio boni regiminis, quæ cognoſcit ſuper gravaminibus & quærelis ſubditorum, ratione onerum ejusdem impoſitorum. Huic congregationi interſunt:

Eminentiſſimi & Reverendiſſimi Domini Cardinales.

Acciaiolus.	Fliſcus.
Spada.	Vallemanus.
Aſtalis	Paraccianus.
De Abdua.	Otthobonus.
De Judice.	Bichius.
Spinula	Imperialis Præfect.
Paulutius.	De Alteriis.
Corſinus.	Origus.

Illuſtriſſimi & Reverendiſſimi DD. Prælati, qui interveniunt.

Theſaurarius generalis rev. cameræ apoſtolicæ.

Decanus clericorum rev. cameræ apoſtolicæ.

Commiſſarius generalis rev. cam. apoſtolicæ.

Illuſtriſſimi & Reverendiſſimi DD. Provinciarum ponentes.

LONIUS DECANUS.

Gubernii Viterbii, cum Statibus Valentani, & Rocilionis, Urbis Veteris, ac Gubernii Bagnaiæ & locis Baronalibus Provinciæ Patrimonii.

BERNINUS

Gubernii Marchiæ & Leprignani.

SINIBALDUS

Gubernii Peruſiæ. Aſculi ac Civitatis Caſtelli & Montonis cum locis Baronalibus Provinciæ Umbriæ ejusque ponentiæ.

DE PACTIS

Latii, Campaniæ & Maritimæ, Civitatis Vetulæ, Reatis, Velitrarum, Sutrii, Nepii, Civitatis Caſtellanæ, Neptuni, Tuſculi, Arcis Periuræ, & Saracineſchi, cum locis Baronialibus earumdem Provinciarum, ejusque ponentiæ.

NARUS

Æſii, Fani, Nurſiæ, Caſſiæ, Viſſi, Malleani, Corii, Vitorchiani, Albani, Caſtri Candulphi & Barbarini.

DE ABBATIBUS.

Anconæ, Tuderti, Interamnæ, Narniæ, Provinciæ Sabinæ, Ameriæ, Camerini & Matelicæ.

FRANCICUS RICCIUS

Firmi, Spoleti, Beneventi, Præneſtis, & Ottriculis, cum locis Baronalibus, ejus ponentiæ.

TANARIUS

Legationum Ferrariæ Romandiolæ & Urbini, Fabriani & Tyburis, cum locis Baronalibus earumdem Legationum ejusque ponentiæ.

CARACCIOLUS

S. Severini, Laureti, Montis Alti, Colliſcipionis & Farfæ.

NICOLAUS NIGRONUS

S. Salvatoris Majoris, Colleſtatti,

Turris Urſinæ, Scandriliæ, Caſtri Novi Maſſæ Montis Caſtelli, Cæſii, & Capranicæ.
Phiſymbus Marabottinus, ſecretarius, & pro eo Guido Palagius, Proſecretarius.

Congregatio conſiſtorialis, hujus caput eſt Cardinalis Decanus, hæc congregatio raro convenit, & quidem tunc ſolum, quando Pontifex eidem certa quædam negotia committit, qualia ſunt renunciationes ſive reſignationes Epiſcopatuum, taxa Eccleſiarum & ſimilia. Huic congregationi interſunt:

Eminentiſſimi & Reverendiſſimi Domini Cardinales.

Bullionius. Gozzadinus.
De Carpineo. Picus.
Spada. De Via.
Panciaticus. Cuſanus.
Judice. Buſſius.
Tanara. Corradinus.
Sacripantes. S. Marcelli.
Cornelus. Pamphilius.
Paulutius. Otthobonus.
Pignatellus. Imperialis.
Martellus. De Alteriis.
Caſonus. Priolus.
De la Tremoille. Albanus.
De Comitibus.

Illuſtriſſimi & Reverendiſſimi Domini Prælati.

Nicolaus Spinula, Archi-epiſcopus Thebarum rev. cam. apoſt. audit.
Ferdinandus Nuptius, Archi-epiſcopus Nicen.
Jacobus Caracciolus, Archi-epiſcopus Epheſin.
Proſper Mareſuſcus, Epiſcopus Cyrenenſis SS. D. N. auditor.
Fabius Oliverius, Prothonot. apoſt. Brev. Secret. SS. D. N. Secretarius.
Anſaldus de Anſaldis, ſacræ Rotæ auditor.
Julius Imperialis, cam. apoſtolicæ clericus.
Ludovicus Sergardus.
Joannes Otthobonus.
Alexander Tanarius.
Philippus Maria, de Montibus.
Antonius Maria Becchettus Subdatar.
Joannes Chriſtophorus Battellus, apoſtolicorum brevium ad principes ſecretarius.
P. Joannes Damaſcenus Bragaldi, Ordinis Minorum conventualium.
Dominicus Rivera, ſecretarius.

Congregatio Examinis Epiſcoporum, celebratur hæc ſemper in præſentia Pontificis, in ea conveniunt octo vel decem Cardinales, aliquot Prælati, quidam Doctores diverſorum ordinum, ab hac congregatione examinantur futuri Epiſcopi, Epiſcopi inquam Itali tantum. In hac congregatione conveniunt:

Eminentiſſimi & Reverendiſſimi Domini Cardinales.

Bullionius. Sacripantes.
De Carpineo. Fabronus.
Urſinus. S. Marcelli.
Panciaticus. Ptolomæus.
S. Clementis. Caſinus.

Illuſtriſ-

Illustrissimi & Reverendissimi Domini Prælati ac Reverendissimi Examitores.

Nicolaus Caracciolus, Archi-episcopus Capuæ Vicesgerens.
Ferdinandus Nuptius, Archi-episcopus Nicen.
Dominicus de Zaulis, Archi-episcopus Theodosien.
Joseph Molines, sacræ Rotæ Decanus.
P. Gregorius Selleri, Ordinis Prædicatorum, sacri palatii Apostolici magister.
P. Joannes Damascenus Bragaldi, Ordinis Minorum Conventualium, secretarius.
P. Joannes Baptista Salernus, Soc. Jesu.

Congregatio de propaganda fide, instituta fuit à Gregorio XV. eo fine, ut quæcunque possibilia media & modi excogitentur, quibus fides catholica in omnibus mundi plagis dilatari & augeri possit, quovis mense convocatur semel, & quidem feria secunda sive die lunæ, in præsentia summi Pontificis. Ad hanc congregationem pertinent:

Eminentissimi & Reverendissimi Domini Cardinales.

Bullionius.
De Carpineo.
Destræus.
Spada.
Panciaticus.
De Abdua.
Judice.
Tanara.
Sacripantes Præfect.
Cornelius.
Paulutius.
Pignatellus.
Baduarius.
Casonus.
De Aquaviva.
Ruffus.
S. Honuphrii.
Gualterius.
Vallemanus.
De la Tremoille.
Fabronus.
De Comitibus.
Gozzadinus.
Picus.
De Via.
Cusanus.
Bussius.
Casinus.
Pamphilius.
Otthobonus.
Bichius.
Imperialis.
Barberinus.
Albanus.

Illustrissimi & Reverendissimi Domini Prælati.

Dominicus de Zaulis, Archi-episcopus Theodosiensis, Assessor sacri Officii.
Carolus Collicola, Prothonotarius, apostolicus, & cameræ apostolicæ clericus.
Joannes Ottobonus, Judex.
Silvius de Cavaleriis, Archi-episcopus Athenarum, secretarius.

Congregatio immunitatis Ecclesiasticæ instituta ab Urbano VIII. judicat & pronunciat in causis concernentibus libertatem Ecclesiasticam, & celebratur quavis feria sexta. Huic congregationi interfunt:

Eminentissimi & Reverendissimi Domini Cardinales.

Bullionius.
De Carpineo Præfectus.
Ursinus.
Spada.
Marisscottus.
Judice.
Tanara.
Sacripantes.
Spinula.
Cornelius.
Paulutius.
Pignatellus.
Martellus.
Vallemanus.
Paraccianus.
De Via.
Bussius.
Corradinus.
Bichius.
Imperialis.
Barberinus.

De Alteriis. Albanus.
Grimaldus. Origus.

Illuſtriſſimi & Reverendiſſimi Domini Prælati.

Pompejus Aldrovandus, ſacræ Rotæ auditor.
Joannes Baptiſta de Alteriis, cam apoſtolicæ clericus.
Secretarius ſacræ congregationis boni Regiminis.
Orontius Salinarius Riccius, ponens ſacræ conſultæ.
Alexander Tanarius V. Signaturæ Referedarius.
Scipio de Ricciis, Secretarius.

Congregatio Avenionenſis.

Eminentiſſimi & Reverendiſſimi Domini Cardinales.

Spada. Gozzadinus.
Panciaticus. Sanuitalis.
Sacripantes. Corradinus.
Paulutius. Albanus.
Gualterius. Origus.

Illuſtriſſimi & Reverendiſſimi Domini Prælati.

Sinibaldus ab Auria, archi-epiſcopus Patracenenſis, præceptor S. Spiritus.
Proſper Marefuſcus, Epiſcopus Cyrenenſis, ſanctiſſimi Domini N. auditor.
Antonius Bancherius, Prothonotar. apoſtolicus, ſacræ conſultæ ſecretarius.
Caſpar Turchus, commiſſarius generalis rev. cameræ apoſtolicæ.
Antonius Maria de Becchettis, ſubdatarius, ſecretarius.

Congregatio Baronum & Montium.

Illuſtriſſimi & Reverendiſſimi Domini Prælati.

Theſaurarius generalis rev. cameræ apoſtolicæ.
Proſper Marefuſcus, Epiſcopus Cyrenſis, auditor ſanctiſſimi.
Joſeph de Aſte rev. cameræ apoſtolicæ Decanus.
Nicolaus Judice, rev. cameræ apoſt. clericus.
Fattinellus de Fattinellis, rev. cam. apoſt. clericus.
Camillus Cybo, rev. cam. apoſtol. clericus.
Leonardus Chezzius, rev. cameræ apoſtol. clericus.
Camillus Celleſius, rev. cameræ apoſtolicæ clericus.
Joannes Otthobonus, Præſes rev. cameræ apoſtolicæ.
Philippus Sacripantes, rev. cameræ apoſt. & fiſci advocatus.
Caſpar Turchus, commiſſarius generalis rev. cameræ apoſt.

Domini.

Auditor Illuſtriſſimi Domini Theſaurarii generalis.
Advocatus Thomas Antamorus, adminiſtrator generalis ſecretariarum, & gabellæ montium, qui habet votum in congregatione montium.

Congregatio capitum ordinum ſacri collegii.

Eminentiſſimi & Reverendiſſimi Domini Cardinales.

Decanus ſacri collegii.

Prior

Prior Presbyterorum,
Primus Diaconus.
Vice-Cancellarius S. R. E.
Camerarius S. R. E.
Camerarius sacri collegii.
Dominicus Rivera, sacri collegii secretarius.

Congregatio ceremonialis.
Eminentissimi & Reverendissimi Domini Cardinales.

Acciaiolus. Ruffus.
Spada Pamphilius.
Panciaticus. Otthobonus.
Tanara. Imperialis
Spinula. Barberinus.
Paulutius. Albanus.

Candidus Cassina, primus ceremoniarum magister, secretarius.
Cateri Domini Ceremoniarum Magistri.
Justinianus Chiapponus.
Petrus Orlandus.
Joannes Baptista Gagnius.
Joannes Baptista Gamberuccius.

Congregatio concursus parochialium & aliorum Ecclesiasticorum beneficiorum.
Eminentissimus & Reverendissimus D. Caspar, Episcopus Sabinensis, Cardinalis de Carpineo, SS. D. N. Papæ Vicarius generalis.
Illustrissimi & Reverendissimi Domini Prælati.
Nicolaus Caracciolus, Archi episcopus Capuæ Vicesgerens.
Fabritius Pignatellus, Episcopus Lyciensis, sacræ congregationis visitationis apostolicæ Pro-Secretarius.
P. Gregorius Selleri, Ordinis Prædicatorum, sacri palatii apostolici magister.
Joseph de Aste, rev. cam. apostol. Decanus.
Philippus Cæsarinus, Locumtenens civilis, Eminentissimi D. Card. Vicarii.
Philippus Sacripantes, fisci advocatus.
Domini.
Duo ex RR. PP. Examinatoribus Synodalibus, sorte extrahendi.
Locumtenens criminalis, Eminentissimi Vicarii.
Nicolaus Antonius Cuggio, Canonicus S. Mariæ Transtyberim secretarius.

Congregatio confinium status Ecclesiastici.
Eminentissimi & Reverendissimi Domini Cardinales.
Spada, præfectus.
Spinula S. R. E. camerarius.
Illustrissimi & Reverendissimi Domini Prælati.
Thesaurarius generalis, rev. cam. apost.
Ferdinandus Nuptius, Archi-episcopus Nicenus, secretarius congregationum aquarum, clanarum & paludum.
Antonius Bancherius, sacræ consultæ secretarius.
Joseph de Aste, rev. C. A. Decanus.
Viarum Præses clericus rev, cameræ apostolicæ.

Sacræ congregationis boni regiminis ſecretarius.
Dominicus Rivera, Archivii apoſtolici arcis S. Angeli præfectus.
Philippus Sacripantes, Fiſci & rev. cam. apoſt. advocatus.
Caſpar Turchus, rev. cam. apoſt. commiſſarius generalis.
Fauſtinus Criſpoltus ſecretarius.

Congregatio diſciplinæ regularis.
Eminentiſſimi & Reverendiſſimi Domini Cardinales.

De Carpineo. Vallemanus.
Sacripantes. Paraccianus.
Paulutius. Fabronus.
Caſonus. Imperialis Præfect.

Illuſtriſſimi & Reverendiſſimi DD. Prælati.

Ferdinandus Nuptius, Archi-epiſcopus Nicenus, ſac. congregationis Epiſcorum & Regularium ſecret.
Franciſcus de Vico, ſecretarius.

Congregatio Dohanarum.

Eminentiſſimus & Reverendiſſimus D. Cardinalis Spinula, S. R. E. camerarius.

Illuſtriſſimi & Reverendiſſimi Domini Prælati.

Theſaurarius generalis rev. cameræ apoſt.
Leonardus Ghezzius, Dohanarum & Graſciæ præſes.
Fauſtinus Criſpoltus, auditor eminentiſſimi camerarii.
Caſpar Turchus, commiſſarius generalis rev. cam. apoſt.
Joannes Carolus Piancaſtellus, ſubſtitutus commiſſarius & ſecretar.

Congregatio Domus S. Lauretanæ.

Eminentiſſimi & Reverendiſſimi Domini Cardinales.

Spada. Gozzadinus.
Panciaticus. Sanvitalis.
Sacripantes. Corradinus.
Paulutius. Albanus.
Gualterius. Origus.

Illuſtriſſimi & Reverendiſſimi Domini Prælati.

Sinibaldus ab Auria, Archi-epiſcopus Patracenſis, præceptor ſancti Spiritus.
Proſper Mareſuſcus, Epiſcopus Cyrenenſis, ſanctiſſimi Domini noſtri auditor.
Antonius Bancherius, prothonotarius apoſtolicus, ſecretarius ſacræ conſultæ.
Caſpar Turchus, commiſſarius generalis rev. cam. apoſt.
Antonius Maria de Becchettis ſubdatarius ſecretarius.

Congregatio Examinis ad confeſſiones, ordines & beneficia absque concurſu.
P. D. Franciſcus Maria Muſcettola, Clericorum Regularium Theatinorum.
D. Nicolaus Antonius Cuggio, canonicus ſanctæ Mariæ Tranſtyberim, ſecretarius.
P. Philippus Grillotti, Ord. Prædicat.
P. Petrus Thomas Sanchez, Ordinis Carmelitarum.

P. Jo-

P. Joannes Baptiſta Conti Societatis Jeſu.
D. Franciſcus Serra, Parochus ſancti Salvatoris in pede pontis.
P. Joannes Damaſcenus Bragaldi, Ordinis Min. convent.
P. Paulus Natalini, Clericorum Regularium miniſtrantium infirmis.
P. Bonaventura à S. Elia tertii Ord. S. Franc.
Michael Angelus Ferramoſca, ſubſtitutus.

Congregatio Fabricæ S. Petri.

Eminentiſſimi & Reverendiſſimi Domini Cardinales.

Spada. Cuſanus.
Mariſcottus. Pamphilius.
Panciaticus, Otthobonus.
Spinula. Imperialis.
Cornelius. Barberinus.
Caſonus. De Alteriis.
Corſinus. Columna.
De Aquaviva. Priolus.
Picus. Albanus Præfectus.

Illuſtriſſimi & Reverendiſſimi Domini Prælati.

Auditor generalis rev. cam. apoſt.
Theſaurarius generalis rev. cameræ apoſtolicæ.
Præfectus ſacri palatii apoſt.
Cyriacus Lancetta, ſacræ Rotæ auditor.
Camillus Cybo, rev. cam. apoſtol. clericus.
Franciſcus Columna, regens cancellariæ.
Fabritius Sinibaldus, Judex.
Leo Strozzius.
Alexander Caſalius, advocatus,
Fauſtinus Criſpoltus.
Antonius Xaverius de Gentilibus.
Zoſimus Valignanus.
Ludovicus Sergardus, Oeconomus generalis rev. Fabricæ ſecretarius.

Congregatio firmi.

Eminentiſſimus & Reverendiſſimus D. Cardinalis Paulutius.

Illuſtriſſimi & Reverendiſſimi Domini Prælati.

Proſper Marefuſcus, Epiſcopus Cyrenſis, ſanctiſſimi Domini noſtri auditor.
Antonius Bancherius, ſacræ conſultæ & ejusdem congregationis ſecretarius.
Ludovicus Sergardus.
Orontius Salinarius Liccius.
Secretarius ſacræ congregationis boni Regiminis.
Nicolaus Jacobatius, procurator fiſci general.
Julius Papettus, Relator cauſarum.

Congregatio hoſpitii pauperum invalidorum.

Eminentiſſimi & Reverendiſſimi Domini Cardinales.

Spada. Sacripantes,
Tanara. Spinula.

Congregatio Indulgentiarum, ſacrarumque reliquiarum.

Eminentiſſimi & Reverendiſſimi Domini Cardinales.

De Carpineo. Fabronus.
Urſinus. Gozzadinus.
S. Clementis, Picus.
Paulutius, Ptolomæus.
Caſinus.

Casinus. Priolus.
Pamphilius. Albanus.

Illustrissimi & Reverendissimi Domini Prælati.

Nicolaus Caracciolus, Archi episcopus capuæ vicesgerens.
Dominicus de Zaulis, Archi-episcopus Theodosiensis, assessor sacri Officii.
Vincentius Petra, Archi-episcopus Damascen. & sacræ congregationis concilii secretarius.
Nicolaus Maria Tedeschi, Episcopus Liparensis, sacrorum rituum congregat. consultor, & pro-secretarius.
Fabius Oliverius, prothonotarius apostolicus, & brevium secretorum sanctissimi Domini nostri Papæ secretarius.
P. Gregorius Selleri, Ordinis Prædicatorum, sacri palatii apostol. magister.
Camillus Cybo, cameræ apostolicæ clericus.
Joannes Christophorus Battellus, apostolicorum brevium ad principes secretarius.
Prosper de Lambertinis, promotor fidei.
Franciscus Bianchinus.
Cosmus de Hieronymis secretarius.

Domini.

Primus ceremoniarum magister.
Marcus Antonius Buldethus, canonicus S. Mariæ Transtyberim deputatus ad extractionem, custodiam & distributionem sacrarum reliquiarum,
P. Joannes Damascenus Bragaldi, Ordinis Min. Convent.
P. Benedictus Zuannelli, Ordinis Prædicatorum.
P. Joseph. Maria del Pezzo, cleric. Regul. Theatin.

Patronorum causarum sacri palatii apostolici collegium.

Domini.

Caspar Turchus, Romanus, Decanus collegii & rev. cameræ apost. commissarius generalis.
Dominicus Guelphus, Pisaurensis, Locumtenens in civilibus Illustrissimi & Reverendissimi gubernatoris urbis.
Julius Clemens Mathæius, Roman.
Hilarius de Amicis Firmanus.
Felix de Grandis à Monte Ulmi Picenus, perobitum.
Marcus Carolus Brixighella.
Joannes Carolus Piancastellus è Brixighella.
Joseph Martinus de Capuccinis, Viterbiensis.
Alexander Tozzius, Viterbiensis.
Joseph Stephanus Mancus, Verulanus.
Franciscus Mancia, Fulginatensis.
Joannes Baptista Tansius, Matheranensis.
Augustinus Galaminus, Recanaten.
Petrus Paulus Paulutius è Terra Fiani.
Virgilius de Virgiliis, Reatinus.
Octavianus Moriconus Æsinus.
Petrus Andreozzius de Mevania.
Matthias Constatinus Asculan.
Franciscus Fareas, Romanus.

Joannes

Joannes Carolus Vannus de Gallesio.
Dominicus de Joannantoniis deFabriano.
Vincentius Annibaldus deEugubio.
Guilielmus Ricca Albinganensis.
Nicolaus Lana, Romanus.

Congregatio præfectorum urbis.

Eminentissimus & Reverendissimus D. Caspar Episcopus Sabinensis, Cardin. de Carpineo, sanctissimi Domini nostri Vicarius generalis.

Illustrisfimi & Reverendisfimi Domini Prælati.

Nicolaus Caracciolus, Archi-episcopus Capuæ, vicesgerens.
Alexander Bonaventura, Archiepiscopus Nazianzenus, sacri palatii apostolici Eleemosinarius.
Fabritius Pignatellus, Episcopus Lyciensis, congregationis sacræ Visitationis pro-secretarius.
Joseph de Aste rev. cameræ apost. Decanus.
Philippus Cæsarinus Locumtenens civilis Eminentissimi Cardinalis Vicarii.
Philippus Sacripantes fisci, & rev. cam. apost. advocatus.

Domini.

Pandulphus de Archangelis locumtenens crimin. eminentissimi Cardin. Vicarii.
Camerarius Cleri pro tempore.
Antonius Buffi canonicus sancti Eustachii, primus minister.
Cajetanus Juones, promotor fiscalis tribunalis Eminentissimi Vicarii, & alter minister hujus congregationis.
Superior congregationis missionis.

Admodum RR. Parochi,

S. Joannis in Laterano.
S. Petri in Vaticano.
S. Mariæ trans Tyberim.
S. Laurentii in Damasco.
S. Nicolai in Carcere.
S. Eustachii.
SS. Quirici & Julithæ.
S. Salvatoris in pede pontis.
S. Salvatoris in Campo.
SS. Simonis & Judæ.
S. Blasii de Fovea.
S. Nicolai in Capite Domorum.
S. Laurentii in Lucina.
S. Mariæ de Populo.
Nicolaus Antonius Cuggio, secret.
Michael Angelus Ferramosca, substitutus.

Congregatio Reformationis Tribunalium.

Illustrissimi & Reverendisfimi Domini Prælati.

Bernardinus Scottus, almæ urbis gubernator.
Nicolaus Spinula, Archi-episcopus Thebarum, auditor cameræ apostolicæ.
Prosper Marefuscus, Episcopus Cyrensis, sanctissimi Domini nostri auditor.
Joseph Molines, sacræ Rotæ Decanus.
Clericus Cameræ apostolicæ, carcerum præses.
Faustinus Crispoltus Auditor Eminentissimi Card. camerarii.
Antonius Maria de Becchettis, subdatarius.

Philippus Cæsarinus, Locumtenens Eminentissimi Vicarii.
Desiderius Spretus, pauperum advocatus.
Nicolaus Jacobatius fisci procurator generalis.
Caspar Turchus, commissarius generalis rev. cam. apost.

Domini.

Joannes Baptista Quatrinius primus collateralis curiæ capitolii.
Decanus collegii Patronorum causarum sacri palatii apostolici.
Julianus Fantivecchius, secretarius.

Congregatio Episcoporum Residentiæ.

Eminentissimi & Reverendissimi Domini Cardinales.

Acciaiolus.	Paulutius.
De Carpineo Præfectus.	Casonus.
Panciaticus.	Vallemanus.
Sacripantes.	Fabronus.

Illustrissimi & Reverendissimi Domini Prælati.

Nicolaus Caracciolus, Archi-episcopus Capuæ vicesgerens.
Ferdinandus Nuptius, Archi-episcopus Nicenus, sacræ congregationi Episcoporum & Regularium secretarius.
Prosper Marefuscus, Episcopus Cyrenensis, sanctissimi Domini nostri auditor.
Fabius Oliverius, brevium secretorum, sanctissimi Domini nostri Papæ secretarius.
Prosper de Lambertinis, promotor fidei.
Vincentius Petra, Archi-episcopus Damascenensis, secretarius.

Congregatio riparum fluminis Tyberis.

Eminentissimi & Reverendissimi Domini Cardinales.

De Carpineo.	Spada.
Astallius.	Corsinus.
Spinula S. R. E. Camerarius.	Imperialis.
	Columna.

Illustrissimi & Reverendissimi Domini Prælati.

Thesaurarius generalis rev. cameræ apostolicæ.
Ferdinandus Nuptius, Archi-episcopus Nicenensis, secretarius congregationis aquarum.
Fabius Oliverius, protonotharius apostolicus, sacri palatii apostolici pro-præfectus.
Faustinus Crispoltus, Eminentissimi Cardinalis camerarii auditor.
Caspar Turchus, commissarius generalis rev. cameræ apost.
Phisymbus Marabottinus, secretar.
Domini Magistri viarum.

In causis Canonizationum & Beatificationum coram SS. interveniunt etiam infra scripti.

Illustrissimi & Reverendissimi Consultores Prælati.

Ferdinandus Nuptius, Archi episcopus Nicenus, sacræ congregationis Episcoporum & Regularium secretarius.
Dominicus de Zaulis, Archi episcopus Theodosiæ, Assessor sacri Officii.

Prosper

Prosper Marefuscus, Episcopus Cyrenensis, sanctissimi Domini nostri auditor.

Tres antiquiores sacræ Rotæ Romanæ Auditores.

Joseph Molines.
Bernardinus Scottus, almæ urbis gubernator.
Ansaldus de Ansaldis.
P. Gregorius Selleri, sacri palatii apostolici magister.
Cosmus de Hieronymis sac. congregat. indulgentiarum & sacrar. reliquiarum secretarius.

RR PP. Consultores Theologi.

P. Honorius ab Assumptione Carmelita Discalceatus.
P. Joannes Damascenus Bragaldi, Ord. Min. Convent.
P. Franciscus Diez, Ordin. Min. Observ. S. Francisci.
P. Joannes Laurentius Luccheſinus, Soc. Jesu.
P. Petrus Antonius de Rubeis, Ord. Servorum B. M. V.
P. Joannes Antonius à Panormo, Ord. Min. Observ. S. Francisci.
P. Philippus Grillotti, Ord. Prædicatorum.
P. Timotheus à Flexia, Ord. Capucinorum.
P. Matthias à S. Maria, Ord. Carmelitarum Discalceatorum.
P. Franciscus Maria Muscettola, Cleric. Regul. Ord. Theatinorum.
P. Augustinus Matthæucaius, Ord. Min. Observ. S. Francisci.

Congregatio Spoliorum.

Illustrissimi & Reverendissimi Domini Prælati.

Thesaurarius generalis rev. cam. apost.
Nicolaus Judice, rev. cam. apost. clericus.
Philippus Sacripantes, rev. cameræ apost. & fisci advocatus.
Caspar Turchus, commissarius generalis rev. cameræ apost.

Domini.

Auditor Illustrissimi & Reverendissimi D. Thesaurarii.
Joannes Carolus Piancastellus, substitutus commissarius rev. camer. apostolicæ.
Antonius Belluccius, secretarius Illustrissimi D. Thesaurarii.
Alexander Cuinettus, Ratiocinator.

Congregatio sublevaminis urbis.

Eminentissimi & Reverendissimi Domini Cardinales.

Spada. Paraccianus.
Mariscottus Præfect. Imperialis.
Panciaticus. Barberinus.
Spinula S. R. E. Camer. Origus.

Illustrissimi & Reverendissimi Domini Prælati.

Thesaurarius generalis, rev. cam. apost.
Silvius de Cavaleriis, Archi-episc. Athenarum.
Clericus rev. cam. apost. Annonæ præfectus.
Clericus rev. cameræ apost. Grasciæ præses.
Secretarius sacræ consultæ.

Secretarius ſacræ congregationis boni Regiminis.
Caſpar Turchus, commiſſarius generalis rev. cameræ apoſtolicæ. ſecretarius.

Domini.

Tiberius Cincius.
Marchio Andreas Maidalchinus.
Leonardus Libri.
Angelus Gabriellius.

Congregatio Viarum.

Eminentiſſimi & Reverendiſſimi Domini Cardinales.

Acciaiolus.	Spinula.
De Carpineo.	Otthobonus.
Spada.	Bichius.
Mariſcottus.	Barberinus.
Judice	De Alteriis.

Illuſtriſſimi & Reverendiſſimi Domini Prælati.

Theſaurarius generalis rev. cameræ apoſtolicæ.
Præfectus Aquarum Paulæ & Virginis.
Præſes Viarum.
Secretarius ſacræ congregationis boni regiminis.
Auditor Eminentiſſimi D. Cardinalis Camerarii.
Commiſſarius generalis rev. cam. apoſtolicæ.

Domini.

Conſervatores populi Romani cum Priore.
Magiſtri Viarum.
Auditor præſidis viarum.
Antonius Vellejus, procurator fiſcal.
Franciſcus Potenti Ratiocinator.
Franciſcus Nicolaus Urſinus, Not.

Congregatio Viſitationis. Apoſtolicæ.

Eminentiſſimi & Reverendiſſimi Domini Cardinales.

Acciaiolus.	Fliſcus.
De Carpineo.	Ruffus.
Spada	Paraccienus.
Mariſcottus.	Fabronus.
Aſtallius.	Sanvitalis.
Panciaticus.	De Via.
De Abdua.	Buſſius.
Boncompagnus.	S. Marcelli.
De Verme.	Caſinus.
S. Clementis.	Bichius.
Paulutius.	Imperialis.
Baduarius.	Barberinus.

Illuſtriſſimi & Reverendiſſimi Domini Prælati.

Nicolaus Caracciolus, Archi epiſcopus Capuæ Vicesgerens.
Jacobus Caracciolus, Archi-epiſcopus Epheſinus, ſecretarius elect.
Fabritius Pignatellus, Epiſcopus Lycienſis, ſacræ congregationis
Leonardus Chezzius, rev. cameræ apoſtol. clericus.
Julius Imperialis, cameræ apoſtol. clericus.
Antonius Xaverius de Gentilibus, ſignaturæ juſtitiæ auditor.
Anſelmus Dandinus, ſignaturæ juſtitiæ votans.
Petrus Antonius Baleſtra, ſignaturæ juſtitiæ votans.
Alexander Tanarius V. Signaturæ Referendarius.
Joſeph Nigronus V. ſignaturæ referendarius.
Joſeph Antonius Maria Pallavicinus V. ſignaturæ referendarius.

Fabius

Fabius Caracciolus V. ſignaturæ referendarius.
Thomas Cervinus V. ſignaturæ referendarius.
Bartholomeus Maſſeus.

RR. DD.

Nicolaus Antonius Can. Cuggiò.
Nicolaus Pignatellus, fiſcalis ejusdem ſacræ congregationis.

Congregatio Viſitationis carcerum, *illuſtriſſimi & Reverendiſſimi Domini Prælati.*

Bernardinus Scottus, ſacræ Rotæ Romanæ auditor & almæ urbis gubernator.
Nicolaus Spinula, Archi-epiſcopus Thebarum, auditor generalis rev. cameræ apoſtolicæ.
Clericus cameræ apoſtolicæ, carcerum præſes.
Ludovicus Sergardus, prælatus ſac. conſultæ.
Franciſcus Riccius, prælatus pietatis.
Alexander Tanarius, prælatus charitatis.
Deſiderius Spretus, pauperum advocatus.
Philippus Sacripantes, fiſci & rev. cameræ apoſtolicæ advocatus.
Nicolaus Jacobatius, procurator fiſcalis generalis

Domini.

Antonius Sabinus, Locumtenens criminalis auditoris cameræ.
Dominicus Cæſar Florellus, primus locumtenens criminalis gubernatoris almæ urbis.
Pandulphus de Archangelis, Locumtenens criminalis Eminentiſſimi Vicarii.
Joannes Pilippus de Toppis, ſecundus locumtenens criminalis gubernatoris almæ urbis.
Marcus Antonius Venturinus, judex cameralis in criminalibus.
Sebaſtianus Baptiſtinus judex mercenariorum.
Deſiderius Albanus, procurator pauperum.
Julianus Fantivecchius, procurator charitatis & ſecretarius viſitationis carcerum.
Julius Clemens Matthæius, prior viſitatorum congregationis pietatis.
Joannes Jacobus Urſinus, coadjutor D. Antonii Velleji commiſſarii triremium.
Dominicus Bellonus, procurator civilis pauperum.
Joannes Carolus de Felicibus pro charitate Notarius.

Et quando ſit in Capitolio, interveniunt etiam.

Illuſtriſſimus & Excellentiſſimus D. Marchio Marius Frangipanus, almæ urbis ſenator.

Domini.

Conſervatores populi Romani.
Joannes Baptiſta Quatrinius primus collateralis.
Franciſcus de Lucidis, ſecundus collateralis.
Angelus de Benedictis, judex maleficiorum.

Laurentius Geminus de Geminis, procurator fiscalis curiæ capitolinæ.

Joannes Petrus Citri, substitutus locumtenens criminalis Eminentissimi Vicarii.

Dominicus Carbonus, procurator pauperum curiæ capitolinæ.

Petrus de Quattrinis, Notarius.

Quoniam vero supra mentionem feci datarii, nunc speciali §. ejus officium, & quis veniat nomine Datarii, ac quid per Datariam intelligatur, explicabo.

§. V.

DE OFFICIO DATARII, ET QVID SIT DATARIA ROMANA?

SUMMARIA.

1. Quando inceperit officium Datarii? 2. Unde dicatur? 3. Recensentur varii officiales Datario subordinati & eorum officia. 4. Taxatores quinam dicantur, 5. Quis fuerit inventor taxæ. 6. Recensetur taxa officialium Cancellariæ. 7. Enumeratur taxa pœnitentiariæ.

Quæres 1. *Quis dicatur Datarius quænam ejus origo.*

1 Resp. 1. Sub quo Pontifice officium Datarii cæptum sit, non reperitur scriptum, ante tempora tamen Bonifacii VIII. illud extitisse pro comperto habetur, eo quod è regione palatii Lateranensis in hortis Marchionis Justiniani Xyxtus quidam pervetustus, quem dicunt fuisse patrem Datariæ tempore Honorii III. quod ipsum pro vera traditione receptum est, cum Pontifices tunc apud Lateranum agerent.

Innocentius VIII. deinde exstruxit in Vaticano, ingens sanè & magnificum ædificium, non solum Datario ejus ministris, sed etiam negotiantibus percomodum, quod Paulus V. dum nova Principis Apostolorum Petri & Pauli Basilica exurgeret, penitus excidit, & Datariam ad interius Vaticanum transtulit.

Datarius, sive à dando sive à 2
datando, prout aliqui litigant, nomen trahit; idem est ac Cancellarius Papæ, cui demandatur munus datandi, unde Datarius dictus, & videtur Datarii munus concidere cum illo, quod antiquis Imperatoribus erat præfecti sive comitis sacrarum largitionum, de quo est *titulus 35. lib. 1. C.* quemadmodum Elee-

Eleemosinarii munus comiti largitionum rei privatæ, de utroque est *titulus 6. lib. 12. Codicis.* & rescriptum divorum Gratiani, Valentiniani & Theodosii adRestitutum præfectum urbi, monstrabit quantum honoris muneri huic semper fuit tributum, *qui ex quæsturæ honore, aut officiali magisterio aut comitiva utriusque ærarii nostri attonito splendore viguerunt, acclamatione excipiantur solitâ, nec præteantur ut incogniti.* De datario inquit Nicolaus Perottus, Archi-Episcopus Sipontinus, *Cornucopiæ suæ Commentariorum linguæ latinæ, in verbo Datarius pag. 304.* Datarius quidem novum sed non inelegans nomen, significat autem eum, qui in postulationibus ac litteris manu Pontificis maximi subscriptis diem & locum notat, quibus datæ sunt literæ.

Quæres 2. *Quinam sint officiales Datario subordinati?*

Resp. Officiales, qui Datarium quotidie conveniunt, ut mandata circa supplicationum expeditionem recipiant, sunt sequentes:

3 *Primus* in ordine & dignior est subdatarius, cujus curæ commissæ sunt omnes gratiæ, quæ vocationem non respiciunt, resignationes, coadjutoriæ, suppressiones, uniones, demum excepta vacatione omnes gratiæ beneficiales & profanæ, hoc est, non beneficiales. Si contigerit Datarii munus Cardinali delatum esse: Subdatarius est curiæ prælatus; Si verò Datarius Cardinalis non sit, tunc incedit in habitu cubiculariorum Papæ.

Huic succedit officialis vacationum per obitum, vulgo dicunt officiale delle per obitum, hujus curæ commissa omnis beneficii provisio sive illa petatur ex obitu sive ex dimissione sive ex privatione sive ex alio quocunque vacationis modo, hic similitet pensionum super fructibus beneficiorum vacantium impositarum & ministris palatii ac reliquis curialibus distribuendarum rationem, quam confert Datario, pro cujus arbitrio pensiones reservantur, augentur, vel ad minorem summam reducuntur.

Tertius officialis Datariæ est compositionum præfectus delle componende, cujus officium jam pridem venale ad instar aliorum officiorum Romanæ curiæ vacabilium D. S. N. suppressit ac per ministrum amovibilem administrari voluit; hic juxta normam sibi præscriptam taxat supplicationes, non beneficiorum vacantium, sed aliarum gratiarum, quæ ex consuetudine compositionem admittunt, pecuniæ quæ proveniunt exinde, ut plurimum convertuntur in usum pium, de quibus Datario exactissima redditur ratio; ad eundem spectat incumbere distractioni officiorum pro tempore vacantium Datariæ, quæ omnia Datarii pretio convento distrahit absque alterius officialis interventu, solummodo actæ rei rationem reddit Datario.

Quartus

Quartus Datariæ officialis est præfectus parvæ datæ, officiale del dato picciole, cujus munus est supplicationibus adnotare diem concessionis, nec non recipere juramenta fidei ad obtinendas dignitates requisita, requisitas approbationes ordinariorum in concursu factas, nec non aliorum quorumcunque literas dimissoriales & attestationes. Si verò providendus præsens in curia sit & approbationem de idoneitate, fide & moribus ordinarii sui non habuerit, eundem remittit ad examinatores in urbe deputatos à quibus si approbationem reportaverit examinatus, confertur ei beneficium; sin minus excluditur à beneficio.

Habet præfectus datarum adjutorem sive socium, qui ei in multis auxilio est, quia per se ipsum omnia adimplere non posset, hic omnium supplicationum datarum antequam ex officio dimittantur, registrum facit compendiosum, luculentius tamen quam nota, quæ asservatur in libris vacationum sive per obitum.

Quintus datariæ officialis & datarii minister est præfectus officio missarum, inde dictus, quod hinc supplicationes mittantur ad registrum notula à tergo supplicationis adjecta *v. gr.* missa die 18. Februarii. officialis hic omnes omnino recipit supplicationes, quod nulli alteri officialium Datariæ competit, cum singuli habeant distincta munera obeunda, receptas notat in libro qui pendet è pariete, ut faciunt omnes reliqui Datariæ officiales eum in finem, ut sollicitatores possint scire, ad quem supplicatio pervenit, & si fortassis retineatur ob aliquam difficultatem eam possint removere, & non prius eas consignat clericis registri, donec illi fecerint quietantiam supplicationum in dicto libro annotatarum; In officio missarum retinentur supplicationes super impetrationibus parochialium & aliarum Ecclesiarum curatarum, ad effectum: ne earum in fraudem officialium cancellariæ capiatur possessio in vim supplicationis signatæ, literis non expeditis, retinentur inquam, donec fuerint conscriptæ Bullæ, & pro iis solutum in cancellaria, quod ut fiat, hic officialis exhibet supplicationis retentæ copiam, ut desuper fieri possit minuta & conscribi bulla, cujus solutione in cancellaria factâ sibi ostensa, illico supplicationem dimittit ad registrum.

Rursus incumbit eidem officiali cura registri supplicationum quæ expediuntur per viam secretam, quarum copiam nulli exhibet, nisi de licentia Datarii.

Sextus & septimus Datariæ officiales sunt duo supplicationum revisores, horum munus est subtilissima revisione supplicationes examinare, iisque addere & demere juxta stylum Datariæ, si quid contineant, quod stylum respuat, vel injustitiam sapiat, habent desuper sermonem

nem cum Datario, & juxta ipsius mandatum expediunt.

Octavus Datariæ officialis est revisor dispensationum matrimonialium, cujus curæ commissum est, quidquid spectat ad clausulas restrictivas, præservativas sive interpretativas hujus dispentionum supplicationi apponi solitas.

Hi omnes officiales excepto præfecto compositionum & missarum aut datarum, habent amplissimam facultatem addendi & cassandi quæ volunt in supplicationibus, ex stylo Datariæ agnito & approbato per rotam in causa Burgen. Abbatiæ, secundo Aprilis 1593. coram Cardinale Arragonio.

Reliqui officiales omnes addicti sunt registro supplicationum, in tres ordines divisi, magistros videlicet, registratores & clericos registri distinctos. Postremi recipiunt supplicationes, in suis quaternionibus registrant, notant à tergo supplicationis librum & folium libri, quo fuit registrata; *v. gr.* lib. 8. anni sexti fol. 50. hoc peracto deferunt quaternionem una cum supplicatione, ad magistros ut auscultent, an supplicatio cum registro concordet, magister accipit quaternionem, & registrator legit supplicationem, si quid erratum, illico corrigit, perlecta supplicatione & per magistrum auscultatâ, ipse in margine registri apponit nomen suum, & priorem litteram Diœceseos supplicationis registratæ, à tergo vero ejusdem supplicationis ponit magnum R. cui inscribit similiter suum nomen, hoc peracto supplicatio mittitur ad cancellariam, & quaterniones, quando sunt completæ, à registratoribus consignantur clericis, qui eas redigunt in libros, seu potius ad redigendum consignant Capellano collegii, qui omnium habet curam, nec non dandi sumpta authentica, sive copias simplices supplicationum petentibus, recepta taxa & præmio non sibi sed collegio.

Ultimo demum veniunt plumbatores, il officio del piombino, qui nempe bullis Pontificiis appendunt plumbum.

Sicut ergo duplex est forum Romæ, in quo obtinentur dispensationes, nimirum pro foro interno & animæ, scilicet in pœnitentiaria, & alterum pro foro externo in Dataria & cancellaria Apostolica, hinc quia utrobique aliqua taxa exigitur:

Nota 1. Taxatores bullarum sunt scriptores Apostolici, quarum normam reliqui officiales cancellariæ participantes de taxa tenentur sequi, adeo ut si scriptores impetranti voluerint gratificare in parte vel tota in taxa, reliqui teneantur idem servare; taxa autem hujusmodi augetur vel minuitur, vel in universum constituitur, juxta valorem expressum, & gratiarum in literis expressarum quantitatem & qualitatem, super quibus omnibus scriptores habent suas regulas, officiales vero, qui de taxa participant & apud quos solvitur taxa, sunt 4

primo ipsi scriptores, 2. abbreviatores literarum Apostolicarum, & hi duo tantundem recipiunt, & in emolumento taxæ literarum, quæ dicuntur majores, procedunt de pari; tertio loco recipiunt suam taxam sollicitatores apostolicarum litterarum; dixi *suam*: diversa enim est taxa eorum à taxa scriptorum, ipsi enim pro qualibet taxa, quæ non attingit 30. grossos, hoc est tres ducatos de camera, recipiunt ducatum & grossos sive Julios tres, quia denarius, qui hodie julius nuncupatur, antiquitus vocabatur grossus, & hoc vocabulum retinuit Dataria, si vero taxa ascendat ad 30. grossos, recipiunt ducatos duos & grossos sive julios duos, neque hanc summam excedunt, quantumcunque taxa excreverit.

Quarto loco suam taxam recipiunt præfectus sollicitatorum, officium à Sixto V. noviter adinventum, & propterea taxa hujusmodi communi vocabulo dicitur taxa nova, sive taxa Pallotti, quia Cardinalis Pallottus fuit primus, in quem à Sixto V. hujusmodi officium collatum fuit, & est taxa ista pro singulis bullis, de minori, julii duo, pro bullis de majori Julii quatuor, pro perpetuis Julii octo. Quinto loco juxta taxam regulantur plumbatores, tam quoad emolumenta propria, quam quoad Vice-Cancellarium, pro quo exigunt unam taxam pro singulis bullis, parem scriptorum & abbreviatorum.

Nota 2. Taxarum inventor fuit 5
Joannes XXII. ut notat Gonzalez. *ad regul. de valore exprimendo circa finem.* ubi dicit duos libros fuisse exaratos per *d.* Joannem XXII. in quorum uno continebantur taxæ minorum beneficiorum, in altero taxæ majorum & consistorialium.

Nota 3. Taxa quæ solvitur pro expeditione literarum apostolicarum est, juxta Theod. Amydenium *tract. de stylo Datar. cap. 18. num. 48.* sequens ex Decreto Urbani VIII.

Vice-Cancellario.

Pro Ecclesia seu monasterio taxa- 6
to in libris cameræ à 33. usque ad 300. ducati duo; pro taxatis à 300. usque 500. ducati tres, à 500. utque ad 1000. ducati quatuor, pro taxatis à mille & supra, pro singulis quingentis ducatus unus, pro retentionibus monasteriorum solvitur dimidia pars, habita ratione taxæ, & secretario Julii tres, etiamsi provisus ad alia beneficia obtinenda dispensetur super ætate vel natalibus, derogetur conciliis, vel juri patronatus, solvitur tantum pro provisione.

Custodi Cancellariæ.

Pro schedula consistoriali custos cancellariæ non audet recipere ultra 5. Julios, neque cogere aliquem invitum ad recipiendas copias, aut ad redemptionem supplicationum, nihil etiam recipit pro commissione formæ juramenti, & tenetur insuper custos pro substituto excedente, & accipit solum, quod ponitur datur, & in omnem eventum non audet

audet recipere ultra quinque carolenos, pro qualibet expeditione; neque ei licitum augere exactionem sub prætextu numeri personarum, aut clausularum; idem etiam servatur, in sumptibus, quando alii officiales gratis dant, & ipse custos cancellariæ debet dare gratis, quando partes volunt redimere supplicationes, nihil accipiat, & pro præmissis nihil exigat, pro bullis ultra taxas per scriptores Ecclesiasticos positas, pro redemptione plurium supplicationum, tendentium ad eandem expeditionem, non auget, nisi carolenum unum.

Ostiario.

Pro Ecclesia vel monasterio non taxato in libris cameræ ultra centum ducatos, ducatum unum. Pro retentionibus consistorialium exigit dimidium ejus, quod recepisset in prima provisione, in reliquis toleranda est consuetudo & nihil exigit pro forma juramenti ultra Carolenum unum.

Notario Cancellariæ.

Notarius est contentus tribus Carolenis quoad consensus, qui præstantur in cancellacia, & quoad hujusmodi consensus non habetur ratio aliqua accessoriorum, puta in pensionibus, nec consideratur facultas ttransferendi, nec regressus ob non solutionem & similis, nihil etiam audet exigere, prætextu antiquitatis instrumenti.

Abbrevaitoribus de Majori.

Pro supplicationibus simplicibus hi non exigunt, nisi quinque carolenos cancellariæ, vel quinque julios, & si sit duplex: puta resignatio cum pensione vel reservatione fructuum, recipiunt duplicatam mercedem, si addatur regressus, recipiunt etiam quinque carolenos vel julios, pro aliis verò materiis, si sint accumulatæ, nihil exigunt, nisi quinque carolenos, vel julios; quando plura retinentur, non recipiunt, nisi quia solum faciunt unam minutam; & idem intelligitur, si datur licentia retinendi unum beneficium simul cum Ecclesia, de qua providetur.

De Abbreviatoribus de Minori.

Pro prima litterarum visione, cum eas non videant, & minus pro distributione suppositionum, cum ipsi minutas non faciant, capellanus eorum nihil prorsus à quopiam exigit, quoad taxas verò sequitur scriptores apostolicos, nec non prætextu gratiarum factarum per scriptores, desinant dimittere 5. quoad dimissionem 5. toleranda est consuetudo, si expediatur una bulla super supplicatione continente plures gratias, non omittat dimittere 5.

De Scriptoribus Apostolicis.

Pro littera 25. lineas continente, ita ut in qualibet 25. ad minus sint dictiones, unum ducatum auri pro laboribus accipiant, à 25. verò usque ad 40. lineas, pro quibuslibet lineis grossum unum. Litteræ provisionis Ecclesiæ Parochialis pro eo qui aliam quoque parochialem obtinet, si in ea dispensatio ad duo & cum clausula permanendi posita

fuit, ad groſſos 50. taxant, & idem in ſimilibus gratiis fit, quæ in bulla eadem pro una congeminantur. Quoad exactionem ab iis, qui expediunt gratis de mandato Papæ, hi aliquid exigunt ſed moderate, non ad rigorem. &c.

De ſollicitatoribus litterarum Apoſtolicarum.

Pro normis monialium nihil exigunt, præter taxam bullæ, pro bullis non exigunt, niſi quæ ſunt taxatæ usque ad 30. & unum ducatum & duos carolenos, & à 30. ſupra duos ducatos & duos carolenos pro Eccleſiis titularibus cum bullis ab eis pendentibus, ultra decem ducatos auri de camera nequeunt recipere, cum declaratione: quod in decem ducatis includatur portio ipſis ſollicitatoribus debita tatione annatæ, penſionis vel retentionis; capellani ipſorum nihil exigunt.

De Secretariis.

Pro quavis littera gratis expedita exigunt ducatum unum, juxta *cit.* Decretum Urbani VIII. quoad taxas brevium jubet alte fatus Urbanus ſtandum eſſe ordinationi Leonis in concilio Lateranenſi, nimirum taxatur breve ſuper abſolutione ab Apoſtaſia, cum licentia transferendi ad alium ordinem, ſe removendi in ordine ad quem ſe transtulerat, ac deſerviendi alicui beneficio Eccleſiaſtico ad duos ducatos. Super abſolutione à cenſuris pro una perſona ad unum, pro pluribus verò perſonis, quotquot numero fuerint, ad duos, ſuper ſimplici cauſæ commiſſione etiam cum ipſius avocatione & nova commiſſione & illius extenſione ad unum, pro diſpenſatione ſuper defectu oculi ad ſacros ordines ad unum, ſuper diſpenſatione vero de non promovendo ad biennium ad unum, ſuper prorogatione vero una vel pluribus, quot fuerint, ad duos ducatos, non ultra taxatur, pro ſalvo conductu ad unum ducatum taxatur; ubi notandum quod multo plures taxæ ſunt tum ab Urbano VIII. tum à Leone *latæ*. ſed quia hodie non exiguntur, & potius gratis conceduntur, eos omiſi recenſere. In expreſſione autem taxæ idem ſignificant Turonenſis, carolenus & julius aut groſſus.

Porro taxa ſcriptorum pœnitentiariæ eſt ſequens: 1. De matrimonio ignoranter contracto, ſive conſummato ſive non, in quarto conſanguinitatis vel affinitatis, Turonenſes ſeptem, de ſcienter contracto ſive conſummato ſive non, in quarto ſimili augetur taxa ratione abſolutionis à generali excommunicationis ſententia eis imponenda, de duobus, & ſic taxatur ad novem. 2. In tertio conſanguinitatis vel affinitatis gradu taxatur ad 14. Si verò ſcienter ſit contractum vel conſummatum propter abſolutionem ratione ſententiæ excommunicationis injungendæ, hujusmodi taxa de duobus augetur & taxatur ad ſedecim, in ſecundo affinitatis gradu concedi- 7

tur

tur absolutio & committur confessario, ac sunt literæ clausæ, & hæc solummodo, quando negotium est penitus occultum, & quando provenit ex actu fornicario, & additur in fine literarum: præsentibus laniatis, & taxatur ad 24.

Taxa quoad absolutionem ab homicidio.

Si presbyter aut alius in sacris ordinibus constitutus ejus invasorem vim vi repellendo & se defendendo, nec aliter mortis periculum evadere sperans occiderit, si petierit ad cautelam absolvi & cum eo dispensari, aut aliàs ad beneficia habilitari, taxatur ad decem & octo. Declaratoria super homicidio, si tales noluerint per viam declaratoriæ, cum suis declarationibus juridicis, taxatur ad sex, & si hujusmodi homicidia non possent declarari & partes petierint per viam absolutionis ex quo non habet locum declaratio, vel quia dederunt operam rei illicitæ, aut quia alias auffugere potuissent, taxatur ad triginta.

Presbytericidium taxatur ad sex, pro illo verò, qui interfuit bellis, 18. & si velit super infamia, ad 20. & si velit ad beneficia quæcunque alias rite obtenta, ad 18.

De commutationbus votorum.

Commutatio voti religionis simplicis in foro conscientiæ tantum taxatur ad 12. liminum vero Apostolorum ad 10. sepulchri Domini ad 10. S. Jacobi in Compostella similiter ad 10. & litteræ mittuntur ad Datarium, non autem in voto religionis. Commutatio jejuniorum taxatur ad 4. alterius verò abstinentiæ, quæ subsistente causa servari non potest, ad 4.

De Dispensatione Illegitimorum & Spuriorum.

Officium pœnitentiariæ cum illis dispensat in prima forma tantum, videlicet ad omnes etiam ordines sacros & unum beneficium Ecclesiasticum, & taxatur ex antiqua consuetudine ad sex. & si tales ob eorum merita uberiorem petierunt gratiam, datur ad aliud beneficium, & taxatur ad septem, si verò tertio & ultimo illis aliqua fiat gratia, conceditur ad tertium beneficium cum clausulis consuetis & taxatur ad decem. Et si tales illegitimi tacito hujusmodi defectu se promoveri fecerint, tunc augetur prima forma de uno turonensi, ratione absolutionis impendendæ ab excessibus hujusmodi, videlicet ad unum, & si tales illegitimi secum dispensari petierint, ut obtinere possint beneficia, alias per eorum genitores obtenta, cum suis debitis limitationibus conceditur, videlicet, dummodo iisdem beneficiis genitoris, immediate non succedant, nec in altaris ministerio cum illis concurrant, & taxatur ad sex.

De promotis & promovendis.

De promovendis ad ordinem ſubdiaconatus in anno 16. taxatur ad 10. de promovendo autem ad ordinem Diaconatus in anno 18. ad 10. ſi vero in 19. ad ordinem hujusmodi Diaconatus, ad ſex, licentia promovendi ad Presbyteratus ordinem in 24. anno, cum 23. annum primum attigerit, taxatur ad 12.

Plura quoad taxas Romanas addit ac recenſet Theod. Amydenius *in tract. de ſtylo Datariæ cap. 18. à num. 37.* quem ibidem conſule.

Cœterum ad Cancellariam ſpectant ſequentes:

Eminentiſſimus & Reverendiſſimus D. Petrus S. Laurentii in Damaſco Cardinalis Otthobonus, S. R. E. Vice-Cancellarius & ſummiſta.

Illuſtriſſimi & Reverendiſſimi Domini Prælati.

Franciſcus Columna, Romanus, Regens.

Abbreviatores Majoris Præſidentiæ.

Leonardus Ghezzius, Neapolitanus, Decanus.
Joannes Franciſcus Gomez Homen, Romanus.
Laurentius Vannicellus, Romanus.
Felix Paſſerinus, de Nurſia.
Carolus Cerrus, Romanus.
Petrus Paulus Teſta, Romanus.
Joſeph Nigronus, Romanus.
Nicolaus Lercarius, Januenſis.
Petrus de Carolis, Romanus.
Lazzarus Pallavicinus, Januenſis.
Antonius Xaverus de Gentilibus Romanus.

§. VI.

DE MILITARIBUS ET RELIQVIS OFFICIIS AC HONORIBUS IN CURIA ROMANA OBTINERI SOLITIS.

Inter officia militaria Pontificis primum obtinet il Generale delle Guardie di ſua Santita. Cuſtodia autem Helvetorum continet 300. milites, his accedunt duæ Compagniæ Equitum Cavaleggieri, quævis autem Compagnia eſt 50. equorum.

2. Il generale di Santa Chieſa, qui præeſt reliquis militibus ſtatus ſive territorii Romani, ſub hoc numerantur 500. majores & minores officiales ſive Præfecti militares.

3. Il Caſtellano di S. Angelo, qui præeſt & dirigit præſidium præ-

præfati caſtri di S. Angelo, auf der Engelsburg.

4. Il generale delle Galere, qui præeſt triremibus.

Inter officia honoris primum obtinet la præfettura di Roma ſive Capitaneatus urbis Romanæ, originem ducit ab antiquis Imperatoribus.

2. Mareſcialato di Roma, curam & cuſtodiam habet conclavis.

3. Protonotariatus Participantium.

Prothonotariorum participantum collegium eſt ſequens:

Illuſtriſſimi & Reverendiſſimi Domini.

Proſper Columna, Romanus, Decanus.
Antonius Bancherius, Piſtorienſis.
Bernardinus Narus, Romanus.
Mapheus Farſettus, Venetus.
Andreas Juſtinianus, Romanus.
Carolus Collicola, Spoletanus.
Jacobus Oddus, Perſinus.
Lazarus Pallavicinus, Januenſis.
Alamannus Salviatus, Florentinus.
Franciſcus Maria Spada, Romanus.
Franciſcus Adrianus Ceva, Romanus.
Marius Bolognettus, Romanus.
Joſeph Antonius Caſtelli, ſecretarius.

4. Advocati Conſiſtoriales. De quibus ſupra.

5. Præfetto del Annona, Præfectus annonæ, qui curam habet frumentorum, eidem ſubordinati ſunt adhuc alii 12. officiales.

6. Il Præfetto della Gracia, hic taxat carnes.

Præterea officia honoris obtinent Romæ.

402. Equites S. Petri.
200. Equites S. Pauli.
350. Equites del Giglio.
535. Cavalieri pii.
200 Equites S. Mariæ Lauretanæ.

In magno etiam honore habetur Magiſter ſacri hoſpitii.

Ultimo ſummus Pontifex alit.

81. Scriptores Archivi.
21. Sollicitatores Palatii.
20. Regiſtratores Supplicationum.
20. Secretarios Apoſtolicos.
60. Abbreviatores.
60. Cubicularios Apoſtolicos.
140. Scudiarios.
100. Scriptores Apoſtolicos.
100. Giannezoros.

DISSERTATIO V.

DE

RELIQVIS ECCLESIÆ MEMBRIS SUMMO PONTIFICE INFERIORIBUS.

POstquam hactenus de summo Ecclesiæ Principe, Pontifice Romano, ejus dignitate & præeminentia, varia & eminenti potestate, modo quo ad supremi Pontificatus apicem ascenditur, & demum de hujus Principis Curia dictum est; Considerandum restat & ordo devolvitur ad reliqua Hierarchiæ Ecclesiasticæ membra, quæ potestati supremæ & Pontificiæ subalternentur, subjiciantur ac subordinentur, cum enim Ecclesia catholica per universum orbem extensa & diffusa sit, præter unum & supremum caput, scilicet Romanum Pontificem, penes quem est regimen universale, Monarchicum & hierarchicum, oportet esse alios qui officium Pontificale, servata subordinatione in partibus administrent, equidem Episcopi in locum Apostolorum sunt substitututi, in partem & partitionem curæ Pontificiæ vocati, ac Præsides & Magistratus provinciarum sunt ordinati, prout fusè Barbosa scribit *de offic. & pot. Episc. part. 1. tit. 1. cap. 1. n. 1. & plurib. seqq.* Licet enim cura & officium universam Ecclesiam regendi, judicandi & gubernandi, soli Petro & successoribus commissum sit, Apostolis tamen Ecclesiæ partiales & particulares erant concessæ; & inde Episcopi in partem sollicitudinis (quamvis non in plenitudinem potestatis) sunt vocati. *can. 12. & seqq. caus. 2. quæst. 6. cap. 4. de authorit. & usu pallii.*

Summo Pontifice igitur Ecclesiæ capite constitutuo, sequuntur reliqua membra Ecclesiæ, quæ vel sunt Ecclesiastica vel laica; in præsenti tractatione solum de Ecclesiasticis tractare libet,

libet, quo ordine autem ea sequantur, quodnam cujusvis munus & officium sit, ex dicendis constabit, & in Synopsi est sequens:

I. Cardinales.
II. Patriarchæ & Primates.
III. Archi-Episcopi seu Metropolitani.
IV. Episcopi.
V. Abbates.
VI. Prælati Episcopo inferiores Ecclesiarum Cathedralium & Collegiatarum.
VII. Canonici.
VIII. Parochi.
IX. Prælati regulares non benedicti nec perpetui.
X. Abbatissæ.
X. Veniunt Legati Apostolici, non quasi his omnibus inferiores, sed quia Ecclesiæ Prælati proprie non sunt, licet maxima sit eorum Prærogativa.

SECTIO I.
DE
SACRÆ ROMANÆ ECCLESIÆ CARDINALIBUS.

§. I.
DE CARDINALIUM ORIGINE.

SUMMARIA.

1. *Cardinales obtinent summam post Pontificem Dignitatem.* 2. *Unde dicantur Cardinales?* 3. *A quo inventum sit nomen Cardinalis?* 4. *Primitus quinam venerit sub nomine Cardinalis?* 5. *Quo tempore Jus eligendi Pontificem fuerit translatum in Cardinales.* 6. *Quis hodiedum*

diedum dicatur Cardinalis. 7. *Ab initio quot fuerint Cardinales?* 8. *An Cardinales Diaconi olim habuerint titulos?* 9. *Tituli Cardinalium quid sint?* 10. *Quo tempore fuerit introductus numerus septuaginta Cardinalium.* 11. *Cardinalium est triplex Ordo.* 12. *Tituli Cardinalium Episcoporum.* 13. *Tituli Cardinalium Presbyterorum.* 14. *Tituli Cardinalium Diaconorum.*

1 Post summum Pontificem suprema in Ecclesia dignitate potiuntur Cardinales velut Cardines & præcipui clerici. *per cap. fundamenta. 17. §. ipsi sunt de Elect. in 6. c. venerabilem. 13. qui filii sint legitimi.*

2 Cardinales exinde dicti sunt, quasi cardines Romanæ Ecclesiæ, in quibus illa volvatur & regatur: vel quia sedi Apostolicæ, quæ axis est & cardo aliarum Ecclesiarum, inserviunt. Glossa *in Extravagantem execrabilis. 4. verf. Cardinalibus. de præbend.* olim Clericus Cardinalis dicebatur, qui erat primarius Canonicus, diaconi Cardinales, qui erant primarii diaconi, presbyteri cardinales, primarii & seniores presbyteri, Episcopi Cardinales, dicebantur præcipui & primarii Episcopi, Præfecti Cardinales erant primarii, honoratiores & præcipui præfecti.

3 Cardinalis tamen nomen ante tempora Sylvestri exstitisse non constat, unde ab ipso creditur inventum, qui in sexta synodo Romana, quam celebravit post Constantini Imperatoris conversionem, ita legitur statuisse: *à subdiacono usq; ad lectorem, omnes subditi sint Diacono Cardinali. can. 5. dist. 93.* quo tempore verbum cardinalare etiam usu receptum est, quod significat, alicui primarium & præcipuum officium vel locum concedere; postea consuetudine introductum, ut sub nomine Cardinalis veniret, qui esset assumptus ad eminentiorem statum & dignitatem Ecclesiasticam, præsertim Romæ; Ubi denique Cardinalatus sive dignitas prima post Pontificem fuit introducta; & ideo dicti Cardinales, ut advertit Hostiensis, quia totus Christianismus requiescit in Cardinalibus, velut in cardine, juxta illud *1. Reg. 2. Domini enim sunt Cardines terræ & posuit super eos orbem.*

4 Igitur ut dictum est, Cardinales etiam vocabantur præcipui presbyteri, qui à Pontifice destinati erant ad baptizandos & sepeliendos Christi fideles, à quo munere reliqui abstinere debebant, ut advertit Anastasius Bibliothecarius *in vita Marcelli Papæ*, in reliquis autem officiis concionandi nimirum, sacramenta administrandi, aliisque Ecclesiasticis functionibus erant pares reliquis presbyteris, & erant ad obsequia Episcoporum; tempore autem allegati Sylvestri qui obiit anno Christi 335. paulo honoratius haberi inceperunt; & post annum Christi 600. adhibebantur legationibus, & Episcopis quasi præferebantur, quem-

quemadmodum Leo IX. Germanus Comes de Daxberg qui regebat ab anno 1049. usque ad annum 1054. dignitatem Cardinalitiam auxit, & Cardinalibus, qui erant presbyteri vel diaconi, dedit potestatem & jus utendi mitris ad instar Episcoporum. Pergit hic Münchmayer *Jurispr. publ. part. 2. cap. 6. fol. 195.* quod à Gregorio VII. qui anno 1073. electus fuit, Dignitas Cardinalitia majoribus prærogativis fuerit aucta & jus eligendi Pontificem à reliquo Clero ablatum, solis vero Cardinalibus collatum fuerit; verum Nicolaus II. (inter quem & Gregorium VII. adhuc interceſſit Alexander II.) circa annum
5 Domini 1059. jus eligendi Pontificem contulit in Cardinales excluso clero reliquo & populo, ut constat *ex can. 1. dist. 23. can. 1. can 9. dist. 79.* prout tamen *cit.* Münchmayer *dict. loc. fol. 198.* fatetur; undè constat, quod eo tempore jam fuerint Cardinales Episcopi, Cardinales presbyteri & Diaconi; Initium igitur dignitatis & collegii Cardinalitii, prout sumitur de facto, adscribendum est Nicolao II. circa annum Christi 1059.

6 Cardinalis autem, inspecto jure quod hodiedum Cardinalibus competit, describi potest, quod sit persona Ecclesiastica, cui competit jus eligendi summum Pontificem. dixi *Jus eligendi summum Pontificem*, quod est præcipuum Cardinalium modernorum officium, cui debetur eorum authoritas, & per quod jus ab omni alio clero primariò distinguitur.

Cardinales autem ampliori & laxiori sensu, & antequam moderno jure sint donati, à principio tantum referuntur 13. & hunc numerum fuisse observatum usque ad tempora Leonis VII. quamvis numerus subinde fuerit diminutus nunquam auctus fuisse perhibetur, usque ad annos Innocentii II. qui regebat ab anno 1130. usque 1143. ab hujus autem tempore numerum fuisse auctum.

Hieronymus Lunadorus Genuensis *in tract. cui titulus: relatione della Corte di Roma* ait: Tituli Cardinalium Presbyterorum constituti erant certo numero, nempe erant 28. Presbyterorum, Diaconorum erant 18, Episcoporum 6. Numerus autem 28. Cardinalium Presbyterorum significat prærogativas Ecclesiarum urbis Romanæ, in qua Ecclesiæ quinque sunt conditæ, quæ Patriarchales dicuntur, scilicet S. Joannis Lateranensis, quæ summum Pontificem, S. Petri, quæ Patriarcham Constantinopolitanum, S. Pauli, quæ Patriarcham Alexandrinum, S. Mariæ Majoris, quæ Antiochenum, S. Laurentii extra muros, quæ Patriarcham Hierosolymitanum significant & repræsentant, quapropter ad servitia Ecclesiæ Lateranensis, utpote dignioris, ordinabantur sex Cardinales Episcopi, ad alterius cujusque, utpote minus principalium, Ecclesiæ servitia deputati erant septem

Cardinales Presbyteri, & hunc numerum fuisse ante annos 1200. præfixum, ait præfatus author; & servatum usque ad tempora Innocentii II. qui inceperat plures Cardinales simul creare, quem subsequentes Pontifices secuti, usque dum res eo devenerit, ut numerus 35. Cardinalium fuerit oblivione deletus, & aliquo tempore manserit minoratus, usque dum Leo X. illum numerum non solum restituerit, sed ipsemet insuper, sicut etiam Paulus III. & Pius IV. eundem auxerint; cum vero tituli 28. priorum Cardinalium Presbyterorum non sufficerent, condidit Leo X. adhuc alios 13. titulos, quibus etiam Julius addidit 3. Paulus IV. unum, cum tamen ante tempora Leonis nunquam fuerint plures quam 35.

Antiqua & quingentorum annorum consuetudo erat usque ad tempora Sixti IV. qui anno 1471. solium Pontificium conscendit, ut Cardinales Diaconi nullos titulos obtinerent, neque Cardinales Presbyteri haberent Diaconatus, quia moris non erat Diaconis committere curam animarum, & Presbyteris assignare Diaconatus. Verum Sixtus IV. erat primus, qui ordinem hunc immutavit, & Cardinalibus Presbyteris tribuit Diaconatus & Cardinalibus Diaconis titulos largitus est, qui modus eo invaluit, ut fere nullus sit titulus, quem Cardinalis Diaconus non habuerit.

9 Tituli autem Cardinalium sunt parvæ Diœceses & Ecclesiæ, quibus Cardinales præficiuntur, hi autem tituli non omnes sunt realiter & in actu secundo tales, sive qui certos reditus habeant, sed subinde in memoriam solum antiquarum & dirutarum Ecclesiarum.

Quamvis autem varii Pontifices varios olim creaverint Cardinales, ut Alexander II. 30. Gregorius VII. 19. Urbanus II. Cardinales 35. Paschalis II. 93. quorum tredecim essent Cardinales Episcopi, 50. Presbyteri, 13. Diaconi. Gelasius II. unum, Calixtus II. intra quinque annos 23. Cardinales in tribus creationibus denominaverit; similiter Honorius II. trina vice 31. Innocentius II in sex creationibus declaraverit 53. Alexander III. sex creationibus 39. nihilominus:

Summus Pontifex Sixtus V. or- 10
dinavit ut essent Cardinales 72. non plures, sicut totidem fuerunt discipuli Christi Domini, & etiam tot feruntur esse diversæ linguæ in mundo, quas omnes linguas insuper hi numero 72. Cardinales significent.

Hi 72 Cardinales constituunt collegium Cardinalium, il sacro collegio Dei Cardinali, quod habet suum secretarium dictum il secretario del collegio, scribam Nationalem, il Chierico del consistorio, sive scriba consistorii, dein computistam.

Collegium etiam hodiernis mo- 11
ribus dividitur in tres classes Cardinalium, Episcoporum, Presbyterorum

rum & Diaconorum; Cardinalium Episcoporum sunt 6. Presbyterorum sunt 50. Cardinalium Diaconorum sunt 14. & subinde plures, sicut anno 1647. erant septendecim.

Ecclesiæ cathedrales, unde nuncupantur Cardinales Episcopi, sunt d' Ostia 2. di Porto. 3. di Palestrina. 4. di Frescati. 5. di Sabina. 6. d' Albano.

1. il Vescovo d' Ostia, Episcopus
12 Ostiensis.

2. il Vescovo di Porto, Episcopus Portuensis.

3. il Vescovo di Palestrina, Episcopus Prænestinus.

4. il Vescovo di Frescati, Episcopus Tusculus.

5. il Vescovo di Sabina, Episcopus Sabinensis.

6 il Vescovo d' Albano Episcopus Albanensis.

13 Tituli Cardinalium Presbyterorum sunt sequentes.

1. Sanctæ Mariæ trans Tyberim. 2. S. Pudentianæ. 3. S. Laurentii in Lucina. 4. Sanctæ Trinitatis in monte Pincio. 5. S. Marcellini & Petri. 6. S. Augustini. 7. S. Cæciliæ. 8. S. Priscæ. 9. S. Mariæ de Ara cæli. 10. S. Alexii. 11. S. Praxedis. 12. S. Mariæ de Pace. 13 S. Mariæ Angelorum. 14. Ss quatuor coronatorum. 15. S. Joannis & Pauli. 16 S. Mariæ super Minervam. 17 S. Anastasiæ. 18. S. Sixti. 19. S. Honuphrii. 20. S. Sylvestri. 21. S. Mariæ in via. 22. S. Basilicæ duodecim Apostolorum. 23. S. Salvatoris in Lauro. 24. S. Pancratii. 25. S. Martini in montibus. 26. S. Bartholomæi in Insula. 27. S. Clementis. 28. S. Joannis ante portam latinam. 29. S. Thomæ in Parione. 30. Agnetis in agone 31. S. Marcelli. 32. S. Marci. 33. S. Sabinæ. 34. S. Susannæ. 35. S. Nerei & Achillei. 36. S. Laurentii in pane & perna. 37. S. Crucis in Hierusalem. 38. S. Martini in montibus. 39. S. Mariæ & populo. 40. S. Balbinæ. 41. S. Hieronymi Illiricorum. 42. S. Stephani in monte Cœlio. 43. S. Mariæ trans Pontinæ. 44. S. Caroli ad cursum, vel Biagii in Anecio. 45. S. Eusebii. 46. S. Petri in monte aureo. 47. S. Chrysogoni. 48 Quirini & Julittæ. 49. S. Cæsarei. 50. S. Petri in vincula. Præter hos 50. Cardinales Presbyteros nihilominus Cardinalis presbyter Tyberio Cincio, qui obiit anno 1653. utebatur titulo S. Calixti.

Porro Cardinales Diaconi titulos 14 gerunt sequentium Ecclesiarum 1. S Mariæ in via lata. 2. S. Eustachii. 3. S. Agathæ. 4. S. Mariæ in Porticu. 5. S. Angeli piscium. 6. S. Mariæ novæ. 7. S. Mariæ in Cosmodin. 8. S. Nicolai in carcere. 9. S. Georgii ad velum aureum. 10. S. Mariæ in Aquario. 11. S. Adriani. 12. S. Cosmæ & Damiani. 13. S. Mariæ in Dominica. 14. S. Viti & Modesti. Nihilominus Cardinalis de Montalto Alexander Peretti nepos Papæ Sixti V. dum erat Cardinalis Diaconus, utebatur titulo S. Laurentii in Damaso. Porro hæc sunt:

NOMINA,

Episcopatus, Tituli, Diaconiæ, Cognomina, Patriæ, & Promotiones Eminentissimorum & Reverendissimorum DD. S. R. E. Cardinalium nunc viventium.

EPISCOPI VI.

EManuel Theodosius à Turre, Episcopus Ostiensis Cardinalis Bullionius, sacri Collegii Decanus, Gallus, creatus die 5. Augusti 1669. à Clemente IX.

Nicolaus, Episcopus Portuensis, Cardinalis Acciaiolus, Florentinus. 29. Novembris 1669. à Clemente IX.

Caspar, Episcopus Sabinensis, Cardinalis de Carpineo SS. D. N. Papæ Vicarius, Romanus. 22. Decembris. 1670. à Clemente X.

Cæsar, Episcopus Albanensis, Cardinalis Destræus, Gallus. 24. Augusti 1671. à Clemente X.

Franciscus Vincentius Maria, Ordinis Prædicatorum, Episcopus Tusculanus, Cardinalis Ursinus, Romanus, Archiepiscopus Beneventan. 22. Februarii 1672. à Clemente X.

Fabritius, Episcopus Prænestinus Cardinalis Spada, Romanus. 27. Maji 1675. à Clemente X.

PRESBYTERI XLVIII.

Galeatius, tit. S. Laurentii in Lucina Prior Ptesbyterorum Cardinalis Mariscottus, Romanus. 27. Maji 1675. à Clemente X.

Fulvius tit. S. Petri ad Vincula Cardinalis Astallius, Romanus. 2. Septembris 1686. ab Innocentio XI.

Bandinus titul. S. Praxedis Cardinalis Panciaticus Florentinus. 13. Februarii 1690. ab Alexandro VIII.

Ferdinandus tit. S. Balbinæ, Cardinalis de Abdua Mediolanensis. 13. Februarii 1690. ab Alexandro VIII.

Franciscus tit. S. Sabinæ Cardinalis Judice Neapolitanus, Archiepiscopus Montis Regalis. 13. Februarii 1690. ab Alexandro VIII.

Sebastianus Antonius tit. Ss. Quatuor Coronatorum Cardinalis Tanarius Bononiensis. 12. Decembris 1695. ab Innocentio XII.

Jacobus tit. S. Mariæ in Via Cardinalis Boncompagnus, Bonnonienſis, Archi-episcopus Bononiæ. 12. Decembris 1695. ab Innocentio XII.

Thaddæus Aloysius, tit. S. Alexii Cardinalis de Verme, Placentinus, Episcopis Ferrarienſis. 12. Decembris 1695. ab Innocentio XII.

Franciscus Thomas Maria, Ordinis Prædicatorum tit. S. Clementis Cardinalis sancti Clementis nuncupatus. 12. Decembris 1695. ab Innocentio XII.

Joseph tit. S. Mariæ Transpontinæ, Cardinalis Sacripantes, Narnienſis. 12. Decembris 1695. ab Innocentio XII.

Joannes Baptista tit. S. Cæsarei Cardinalis Spinula Januenſis, S. R. E. Camerarius. 12. Decembris 1695. ab Innocentio XII.

Geor-

Georgius Basilicæ Ss. XII. Apostolorum Cardinalis Cornelius, Venetus, Episcopus Patavinus. 22. Julii 1697. ab Innocentio XII.

Fabritius tit. SS. Joannis & Pauli Cardinalis Paulutius Forolivienſis, Major Pœnitentiarius. 22. Julii 1697. ab Innocentio XII.

Ludovicus Antonius tit. S. Mariæ ſupra Minervam, Cardinalis de Noailles, Gallus, Archi-epiſcopus Pariſienſis. 21. Junii. 1700. ab Innocentio XII.

Franciſcus tit. Ss. Marcellini & Petri Cardinalis Pignatellus, Neapolitanus, Archi-epiſcopus Neapolis. 17. Decembris 1703. à ſanctiſſimo Domino noſtro.

Joannes tit. S. Marci Cardinalis Baduarius, Venetus, Epiſcopus, Brixien. 17. Maji 1706. à ſanctiſſimo Domino noſtro.

Laurentius tit. S. Bernardi Cardinalis Caſonus, Sarzanenſis. 17. Maji 1706. à ſanctiſſimo Domino noſtro.

Laurentius tit. S. Suſannæ, Cardinalis Corſinus, Florentinus, 17. Maji 1706. à ſanctiſſimo Domino noſtro.

Laurentius tit. S. Mariæ de Pace, Cardinalis Fliſcus, Januenſis, Archiepiſcopus Januæ. 17. Maji 1706. à ſanctiſſimo Domino noſtro.

Franciſcus tit. S. Cæciliæ, Cardinalis de Aquaviva, Neapolitanus. 17 Maji 1706. à ſanctiſſ. Domino noſtro.

Thomas tit. S. Mariæ trans Tyberim, Cardinalis Ruffus, Neapolitanus. 17. Maji 1706. à ſanctiſſimo Domino noſtro.

Horatius Philippus tit. S. Honuphrii, Cardinalis Spada, Lucenſis, Cardinalis S. Honuphrii nuncupatus, Epiſcopus Lucæ. 17. Maji 1706. à ſanctiſſimo Domino noſtro.

Philippus Antonius tit. S. Chryſogoni, Cardinalis Gualterius, Urbevetanus, Epiſcopus Tudertinus. 17. Maji 1706. à ſanctiſſimo Domino noſtro.

Joſeph tit. S. Mariæ Angelorum, Cardinalis Vallemanus, Fabrianenſis. 17. Maji 1706. à ſanctiſſimo Domino noſtro.

Chriſtianus Auguſtus tit. . . . . Cardinalis è Ducibus Saxoniæ Archi-epiſcopus Strigonienſis, Epiſcopus Jaurinenſis. 17. Maji 1706. à ſanctiſſimo Domino noſtro.

Joannes Dominicus tit. S. Anaſtaſiæ Cardinalis Paraccianus, Romanus. 17. Maji 1706. à ſanctiſſimo Domino noſtro.

Joſeph tit. Sanctiſſimæ Trinitatis in monte Pincio Cardinalis de la Tremoille, Gallus. 1706. à ſanctiſſimo Domino noſtro.

Carolus Auguſtinus tit. S. Auguſtini, Cardinalis Fabronus, Piſtorienſis. 17. Maji 1706. à ſanctiſſimo Domino noſtro.

Michael Angelus tit. Ss. Quirici & Julithæ Cardinalis de Comitibus Romanus, Epiſcopus Viterbienſis, & Tuſcanenſis. 7. Junii 1706. à ſanctiſſimo Domino noſtro.

Ulyſſes Joſephus tit. S. Crucis in Jeruſalem, Cardinalis Gozzadinus, Bono-

Bononienſis, Epiſcopus Imolenſis. 15. Aprilis 1709. à ſanctiſſimo Domino noſtro.

Antonius Franciſcus tit. S. Petri in monte aureo Cardinalis Sanvitalis, Parmenſis, Archi epiſcopus Urbinaten. 15. Aprilis 1709. à ſanctiſſimo Domino noſtro.

Ludovicus tit. S. Sylveſtri in Capite Cardinalis Picus de Mirandula. 18. Maji. 1712. à ſanctiſſimo Domino noſtro.

Joannes Antonius tit. S. Calixti Cardinalis de Via, Bononienſis, Epiſcopus Ariminenſis. 18. Maji 1712. à ſanctiſſimo Domino noſtro.

Auguſtinus tit. S. Mariæ de Populo, Cardinalis Cuſanus, Mediolanenſis, Epiſcopus Papienſis. 18. Maji 1712. à ſanctiſſimo Domino noſtro.

Julius tit. . . . . Cardinalis Piazza, Forolivienſis, Epiſcopus Faventinus. 1712. à ſanctiſſimo Domino noſtro.

Antonius Felix tit. . . . . Cardinalis Zondodarius, Senenſis. 18. Maji 1712. à ſanctiſſimo Domino noſtro.

Emanuel tit. . . . . Cardinalis Arias, Hiſpanus, Archiepiſcopus Hiſpalenſis. 18. Maji 1712. à ſanctiſſimo Domino noſtro.

Joannes Baptiſta tit. S. Mariæ in Aracœli, Cardinalis Buſſius, Viterbienſis, Epiſcopus Anconitanus. 18. Maji 1712. à ſanctiſſimo Domino noſtro.

Petrus Marcellinus tit. S. Joannis ante portam latinam, Cardinalis Corradinus, Setinus. 18. Maji 1712. à ſanctiſſimo Domino.

Benedictus Ordinis S. Benedicti . . . . Cardinalis Sala, Hiſpanus, Epiſcopus Barchinonenſis. 18. Maji 1712. à ſanctiſſimo Domino noſtro.

Armandus Gaſto tit. . . . . Cardianalis de Rohan de Soubize, Gallus, Epiſcopus Argentinenſis. 18. Maji 1712. à ſanctiſſimo Domino noſtro.

Nonius tit. . . . . Cardinalis de Cunha de Attayde Luſitanus. 18. Maji 1712. à ſanctiſſimo Domino noſtro.

Wolfgangus Annibal tit. . . . . Cardinalis de Schrottembach, Germanus, Epiſcopus Olomucenſis. 18. Maji 1712. à ſanctiſſimo Domino noſtro.

Aloyſius tit. S. Marcelli, Cardinalis Priolus Venetus, Cardinalis S. Marcelli nuncupatus. 18. Maji 1712. à ſanctiſſimo Domino noſtro.

Joannes Baptiſta è ſocietate Jeſu tit. S. Stephani in monte cœlio Cardinalis Ptolomæus Piſtorienſis. 18. Maji 1712. à ſanctiſſimo Domino noſtro.

Fr. Franciſcus Maria, Ordinis Capuccinorum tit. S. Priſcæ, Cardinalis Caſinus Aretinus. 18. Maji 1712. à ſanctiſſimo Domino noſtro.

Benedictus tit. . . . . Cardinalis Odeſcalcus Mediolanenſis, Archi-epiſcopus Mediolanenſis, 30. Januarii 1713. à ſanctiſſimo Domino noſtro.

DIA-

DIACONI XII.

Benedictus S. Mariæ in via lata primus Diaconus Cardinalis Pamphilius, Romanus, Archipresbyter Ecclesiæ Lateranensis. 1. Septembris 1681. ab Innocentio XI.

Petrus S. Laurentii in Damaſco Cardinalis Otthobonus, Venetus, S. R. E. Vice-cancellarius & Summiſta, Archipresbyter Baſilicæ Liberianæ. 7. Novembris 1689. ab Alexandro VIII.

Carolus S. Agathæ Cardinalis Bichius Senenſis. 13. Februarii 1690. ab Alexandro VIII.

Joſeph Renatus S. Georgii, Cardinalis Imperialis, Januenſis. 13. Februarii 1690. ab Alexandro VIII.

Franciſcus S. Angeli in Foro Piſcium, Cardinalis Barberinus, Romanus. 13. Novembris 1690. ab Alexandro VIII.

Laurentius S. Nicolai in carcere Cardinalis de Alteriis Romanus. 13. Novembris 1690. ab Alexandro VIII.

Carolus S. Mariæ de Scala Cardinalis Columna Romanus. 17. Maji 1706. à ſanctiſſimo Domino noſtro.

Petrus S. Adriani Cardinalis Priolus Venetus, Epiſcopus Bergomenſis. 17. Maji 1706. à ſanctiſſimo Domino noſtro.

Nicolaus S. Mariæ in Coſmedin Cardinalis Grimaldus Januenſis. 17. Maji 1706. à ſanctiſſimo Domino noſtro.

Annibal S Euſtachii, Cardinalis Albanus Urbinas, Archipresbyter Baſilicæ Vaticanæ. 23. Decembris 1711. à ſanctiſſimo Domino noſtro.

Curtius S. Mariæ in Dominica Cardinalis Origus Romanus. 18. Maji 1712. à ſanctiſſimo Domino noſtro.

Melchior . . . . . Cardinalis de Polignac, Gallus. 18. Maji 1712. à ſanctiſſimo Domino noſtro.

Eminentiſſimi & Reverendiſſimi Domini Cardinales.

Ordinum ſeu congregationum Regularium.

PROTECTORES.

Acciaiolus	*Capucinorum.*
De Carpineo.	*S. Joannis Dei & Scholarum piarum, ac doctrinæ chriſtianæ.*
Urſinus	*Canonicorum Regularium S. Salvatoris.*
Spada	*Minorum Obſerv. etiam Reform., & Tertii Ordinis S. Franciſci.*
Mariſcottus	*Prædicatorum.*
Panciaticus	*Caſinenſium.*
De Abdua	*Camaldulenſium.*
Tanarius	*Præmonſtratenſium, & congregationis Vrſedeſimen. in Belgio.*

S. Clementis	*Clericor. Regular. Miniſtr. Infirmis, & Congreg. Bethleemitarum in Indiis.*
Sacripantes	*Totius Ordinis Carmelitarum.*
Spinula	*Olivetanorum.*
Paulutius	*Clericorum Regular. Minorum.*
Corſinus	*Servorum B. Mariæ.*
Ruffus	*Baſilianorum.*
Vallemanus	*Minorum Conventualium S. Franciſci.*
Paraccianus	*Silveſtrinorum, & Cœleſtinorum.*
Fabronus	*Canonic. Regul. Lateranenſium, & Vallisumbroſæ.*
Caſinus	*SS. Trinitatis Redemptionis Captivorum.*
Pamphilius	*Ciſtercienſium.*
Otthobonus	*Redempt. Captivorum B. Mariæ de Mercede, & S. Hieronymi, ſeu S. Alexii.*
Imperialis	*Totius Ord. S. Auguſtini, & Montis Virgin.*
Barberinus	*Reformatorum S. Bernardi Ciſtercien.*
Albanus	*Minimorum S. Franciſci de Paula, Carthuſianorum, & B. Petri de Piſis, ſeu S. Honuphrii.*

§. II.

QVIS CREARE POSSIT ET QVOMODO CREENTUR CARDINALES. UBI ETIAM DE EORUM PRÆROGATIVIS AGITUR.

SUMMARIA.

1. *Quis poſſit creare Cardinales?* 2. *An Cardinalium Collegium poſſit creare Cardinalem?* 3. *An Cardinales ſede Romana vacante poſſint reſtituere Cardinalem depoſitum?* 4. *Quibus temporibus creentur Cardinales?* 4. *Qui-*

5. Quibus cerèmoniis creentur Cardinales? 6. Si absens crectur Cardinalis, quæ ceremoniæ interveniant? 7. Neo-Cardinalis quas expensas & honoraria debeat elargiri in sui promotione? 8. Quam præcedentiam sibi attribuant Cardinales? 9. Quinam ipsis negent præcedentiam? 10. An habeant præcedentiam præ sacri Romani Imperii Electoribus 11. Quis titulus attribuatur Cardinalibus & à quo tempore vocentur Eminentissimi.

1 Quæres 1. *A quo creentur Cardinales?*

Ratio dubitandi est, quia in consilio Basileensi anno 1431. sancitum fuit, ut per viam ordinariæ electionis & scrutinium assumatur ad dignitatem cardinalitiam cum consensu cardinalium 1. legitime natus. 2. Vir probus. 3. Doctus, Licentiatus aut Doctor. 4. Qui sit triginta annorum. 5. Qui non sit Pontificis aut alicujus cardinalis nepos, verba concilii sunt: *ut electio fiat cum scrutinio & consensu Cardinalium, de viro probo, moribus bonis insignito, justis natalibus orto, id est legitimo, Licentiato aut Doctore, ætatis 30. annorum, qui non sit nepos ex fratre & sorore Pontificis aut Cardinalium.*

Resp. Cardinales creantur à solo Pontifice, ita testantur Fagnanus *in cap. ex parte n. 20. de pactis.* ibi: cardinalium potestas à solo Papa emanat. Archid. *in cap ubi periculum col. 4. circa finem.* ubi de cardinalibus ait: quicquid possunt, habent à Papa *de elect. in 6.* & ratio est, quia regimen Ecclesiæ est Monarchicum, adeoque penes solum Pontificem debet esse potestas ordinandi & disponendi statum Ecclesiasticum; concordat etiam praxis huc usque nunquam interrupta sicut nullus cardinalis unquam adhuc creatus fuit, nisi à solo Pontifice, adeò ut cardinales nequidem sede vacante possint cardinalem creare. Glossa *in clement. ne Romani verb. potestatis de Elect.* Villadiego *de Origine Cardinalium quæst. 6.* vide *cap. ubi periculum §. idem de Elect.* creatio enim cardinalis spectat ad jurisdictionem papalem, quæ nunquam ad cardinales transit.

Objicies. Qui potest id, quod est plus, etiam potest id, quod est minus, atqui cardinales possunt id, quod est plus: nimirum eligere & creare Pontificem; ergo etiam poterunt quod est minus, scilicet creare cardinalem. 2

Resp. 1. ad Maj. retorquendo: Capitulum creat Episcopum, quod est plus, ergo etiam sede vacante posset conferre beneficia ad solius Episcopi reservationem spectantia, quod esset minus, & tamen est contra *cap. unic. ne sede vacante in 6.*

Resp. 2. Dist. Maj. qui potest plus etiam potest quod est minus, si ea sint connexa, nec alterum specialiter reservatum C. Maj. si non sint connexa sed disparata, & alterum spe-

ſpecialiter reſervatum N. Maj. & ſic diſt. Min. ac *N.* Conſeq.

2 Corollarium. 1. à facultate creandi cardinalem adeò excluditur collegium cardinalium, ut etiamſi ſubeſſet neceſſitas vitandæ diſcordiæ & accelerandæ electionis ſummi Pontificis, tamen hæc poteſtas ei non competat, quia huic neceſſitati aliis rationibus eſt occurrendum, ut notat Hoſtienſis *in cap. licet de Elect. in 6.*

3 Corollarium 2. Ob eandem rationem collegium Apoſtolicum non poteſt ſede vacante reſtituere nec habilitare cardinales per Papam privatos ſeu depoſitos, etiam ad vocem. *cap. un. de ſchiſmat. in 6.*

Quæres 2. *Quibus temporibus creentur Cardinales?*

4 Reſp. Determinatio temporis, quo cardinales creentur, eſt arbitraria, quamvis antehac fuerit conſuetudo creandi & denominandi cardinales in quatuor temporibus, tempore quadrageſimæ, in feſto trium regum, ad imitationem patrum antiquorum, qui hiſce temporibus ſacerdotes ordinare conſueverunt.

Quæres 3. *Quibus ceremoniis creentur Cardinales?*

5 Reſp. Pontifex ſolet duobus modis cardinales creare & denominare: Primus eſt, quod cardinales nepotes Pontificis illis, quos Pontifex vult creare cardinales, & qui ſunt Romæ præſentes, pridie creationis ſuæ id inſinuent, qui proinde altero mane hora conſueta in palatio Apoſtolico ſe ſiſtunt, & Pontificem expectant; quando ergo & poſtquam conſiſtorium ſecretum eſt concluſum, Pontifex eos publicè denominat ac pronunciat, quos ad dignitatem cardinalitiam vult promovere, poſthoc intromittuntur in conſiſtorium, & poſtquam unus poſt alterum coram Pontifice procidit in genua, imponit cuivis beretum rubrum, la berotta roſſa, his verbis: *Eſto Cardinalis*, & format ſuper eum ſignum crucis, eique inſinuat ſeriis verbis, ad quos & quantos honores ſit elevatus, ac adhortatur ut mores & vitam honoribus dignam gerat, quo facto neo-cardinalis beretum deponit, & exoſculatur pedes pontificis. &c.

Alter modus refertur eſſe, quod pontifex in ſecreto conſiſtorio proponat & pronunciet illos ſecundum ordinem eorum ſtatus & conditionis, ac poſtea eorum deſignationem regenti cardinali nepoti transmittat, qui dein ſuum cameræ præfectum ſive magiſtrum cameræ & primariam ſuam Rhedam mittit, ad vocandos neo-denominatos cardinales, quos deinde præſentes ad ſuum curat duci cubiculum, ubi neo-creato raditur corona (ſcilicet tonſura) & induitur veſte cardinalitia, violacei coloris; priores autem veſtes relinquntur & cedunt cardinalis nepotis cameræ adjutanti; & barbitonſori, qui neo-creatum radit, dantur 25. coronati. Poſthæc cardinalis nepos neo-cardinalem retinet ad prandium & honorificè tractat,

tractat, in cubiculo concedit neo-cardinali præcedentiam, secus extra cubiculum, posthæc omnia neo-cardinalem ducit ad Pontificem, coram quo tribus distinctis vicibus ille in genua procidit, Pontificis pedes exosculatur, cui à manu pontificia beretum rubrum imponitur; post peractas dein humillimas gatias neo electus discedit, in veste cardinalitia invisurus consanguineos Pontificis; quo facto domi remanet usque ad proximum & publicum consistorium, interimque utitur veste violacea, nempe interiori solum & caputio (in sottana & mozzetta) neque ullum, qui eum invisit, neo-cardinalis comitatur ultra januam sui cubiculi, etiamsi ab alio cardinali invisatur, quamvis moris sit, quod nullus cardinalis neo-cardinalem visitet ante peractum publicum consistorium; quod si tamen amicitiæ causa aut alia ex ratione forsan invisere vellet, id fieri solet de nocte, ne quis advertat.

6 Porro si quis absens creatur cardinalis, noviter creato insinuationem collatæ dignitatis defert vel pontificius vel à regente cardinale nepote dimissus nuntius, cui liberale honorarium dari consuevit, adeo ut præfati nuntii subinde 500. coronatos acceperint; imo cardinalis Franciscus Peretti de Montalto anno 1641. huic nuncio 1000. ludovicos aureos (louis d'or) erogaverit; & hoc honorarium (deductis viæ expensis) in tres dividitur partes, quarum una tertia generali postarum præfecto, altera cardinalis nepotis secretario, ultima denuo pars tertia ipsimet nuntio debetur.

Beretum rubrum transfert neodenominato pontificius quidam prælatus domesticus sacri palatii, una cum brevi Apostolico, quod dirigitur ad nuntium Apostolicum, Archi-episcopum, Episcopum aut principem (vel etiam regem aut Imperatorem) cui locus ille subest, in quo neo-cardinalis moratur; quod breve Apostolicum hujus est tenoris, quod princeps talis ecclesiasticus vel laicus requiratur, ut beretum rubrum neo-creato cardinali nomine summi pontificis imponat, quæ bereti impositio, certis solennitatibus & ceremoniis in Ecclesia fieri consuevit.

Domestico Prælato, qui beretum defert, insignia solent conferri honoraria sive dona, subinde mille coronati, mille ludovici aurei, imo & tria millia coronatorum, quæ honoraria ille cum reliquis prælatis domesticis dividere solet ac debet.

Dum beretum rubrum ad civitatem, in qua noviter creatus degit, delatum fuerit, illud per publicas plateas ad omnium conspectum portatur. Posthæc determinatur dies quidam dominicus vel festivus, quo in neo-cardinalis ædibus congregentur ablegatus pontificius, qui beretum transtulit, prælatus vel missus qui beretum noviter creato cardinali imponat, & deni-

que omnes illi, qui in veneratio-nem neo-cardinalis huic ſolennitati intereſſe volunt; hi omnes equitant vel alio modo pro opportunitate loci, procedunt ad Eccleſiam, finitis precibus & ſacro celebrato miſſus pontificius ſeſe induit paramentis, conſcendit thronum paulo eminentiorem, ut ab omnibus videri poſſit, poſthæc beretum rubrum reponit ſuper altari, tradit prælato pontificio breve Apoſtolicum, quod ſumma veneratione acceptatur, & ab aliquo prælati domeſticis publicè prælegitur, quo facto memoratus prælatus quædam profert de meritis neo-creati cardinalis, & debere hoc breve Apoſtolicum mandari executioni; poſthæc neo-creatus cardinalis accedit altare, genu flectit, deponit juramentum modo & tenore Româ transmiſſo; interim prælatus pontificius deponit mitram, perſolvit aliquas orationes conſuetas & neo-cardinali imponit caputium (il capucio della cappa) prælato autem rurſus imponitur mitra, qui poſtmodum beretum rubrum accipit à miſſo pontificio, illudque capiti neo-cardinalis imponit, & ei præbet oſculum pacis; quo peracto beretum rubrum neo-cardinalis, & prælatus pontificius mitram deponunt, poſterior intonat hymnum *Te DEUM laudamus.*

Finito hymno Ambroſiano, prælatus pontificius perſolvit orationem ſive collectam pro neo-cardinale, populo autem impertitur benedictionem, quibus omnibus peractis præſentes omnes comitantur neo-cardinalem ad ejus ædes, qui dum equitat, rubrum beretum capiti impoſitum geſtat, domum vero perveniens agit gratias omnibus, qui ei exhibuerunt honorem & comitati ſunt.

Quando neo-cardinalis Romam proficiſcitur, pileum cardinalitium è manibus Pontificis accepturus, debet is in itinere eſſe indutus curta veſte violacea, & in capite gerere pileum coloris nigri, dum autem Romam pervenit, debet extra urbem & certo loco deſcendere & ſemet induere veſte, qua cardinales utuntur in urbe, veſte nimirum exteriori ſive talari & rocheto, in capite tamen gerit pileum nigrum, poſt hæc pergit una cum rhedis & curribus, qui ei mittuntur obviam, ad regentem cardinalem nepotem, eidem ſolitas ceremonias oblaturus & perſoluturus, à quo deinceps ducetur ad Pontificem, coram quo procidit in genua, ejus pedes exoſculatur, & gratias agit pro collato ſibi honore, beretum cardinalitum deponit & in manus ſummi pontificis conſignat, quod Pontifex pro more accipit & poſtea neo-cardinali rurſus imponit; poſtquam autem neo-cardinalis diſcedit à Pontifice, comitatur cardinalem nepotem ad ſuum conclave, & deinceps omnes Pontificis conſanguineos viſitat, illisque debitum honorem & viſitationem exhibet.

Poſt-

Postquam neo-cardinalis omnes has ceremonias peregit, & curialia observavit, revertitur ad suas ædes, ibique remanet, donec ei à Pontifice insinuata fuerit facultas comparendi in publico consistorio, interea tamen potest visitari quidem ab aliis, sed privatim & sine solennitate, non autem suo conclavi exire, nec visitantes comitari audet, quicunque etiam fuerint.

Postquam igitur dies solennis & publici consistorii fuerit denominata, qua neo-cardinalis pileum rubrum sit accepturus, is se confert ad palatium summi Pontificis, quo etiam reliqui cardinales se conferunt ad conclave, in quo Pontifex se induit suis paramentis, neo-cardinalis discedit ad capellam Sixti (la capella di sisto) Pontifice autem induto suis paramentis reliqui cardinales bini & bini transeunt ad ambitum consistorialem, (la sala del consistorio) posthæc duo cardinales diaconi vocant neo-cardinalem, eumque adducunt ad consistorium, in cujus ingressu profunde genu flectit, idem repetit in medio, & tertio demum ad gradus solii Pontificii; posthæc ascendit gradus & osculatur primo pedes summi Pontificis, tandem admittitur ad osculum manus & oris; peractis hisce transit ad omnes cardinales, incipiendo à seniori, ad osculum pacis peragendum, quo facto intonatur hymnus: *Te DEum laudamus*, dein procedunt cardinales bini & bini ad capellam Sixtinam, stant circa altare, tandem venit & neo-cardinalis & flectit coram altari, dum autem decantatur versus ex hymno præfato, te ergo quæsumus, ejusdem caput tegitur caputio (il capucio della cappa) & se prosternit ad gradus altaris, & manet prostratus, usque dum finiatur hymnus, post hæc cardinalis decanus vel senior stans ad latus altaris aliquot collectas persolvit, neo-cardinalis autem surgit, eique per cardinalem decanum vel seniorem deponitur prædictum caputium, & in præsentia duorum seniorum cardinalium, presbyteri unius & diaconi alterius dictorum: gli altri due capi d' ordini, & illius cardinalis qui est supremus Ecclesiæ Romanæ camerarius, il cardinale camerlengo dictus, porrigitur neo-cardinali juramentum perlegendum & postea præstandum, cardinalibus reliquis interim ad sua loca & stationes recedentibus, perlecto juramento demum jurat neo-cardinalis se servaturum semper & constanter omnia ea, quæ in tenore perlecti juramenti continentur, quo peracto omnes cardinales ordine superius memorato revertuntur ad conclave consistorii, & ultimo sequitur neo-cardinalis, qui coram Pontifice genu flectit & magister ceremoniarum eidem rursus imponit prædictum caputium, Pontifex fundit aliquas preces, & accipiens pileum rubrum, eundem neo-cardinalis capiti imponit, dicens: *Ad gloriam Omnipotentis Dei*

& decorem ſacræ Apoſtolicæ ſedis, accipe pileum rubrum ſpeciale ſignum dignitatis Cardinalitiæ, ad ſignificandum: quod te oporteat eſſe imperterritum ad fundendum ſanguinem tuum, imo moriendum pro fide, pro Eccleſiæ Romanæ pace, quiete, emolumento & incremento. In nomine Patris & Filii & Spiritus ſancti.

Quo finito Pontifex revertitur ad ſuum conclave, neo-cardinali autem pileus & caputium deponitur, & recedit ad aliquod latus, ibique remanet, donec reliqui cardinales ſecundum ordinem exiverint ad ambitum regium, dictum *ſala regia*, ibique fuerint collocati in corona, quos ſequitur neo-cardinalis, & unum poſt alterum accedit, ac facta inclinatione agit gratias pro exhibito ſibi honore ac favore; demum recedit, eumque reliqui cardinales accedentes gratulantur, ac diſcedunt, ſolus vero cardinalis nepos remanet & neo-cardinalem ſecum ducit domum ad prandium.

Pileum rubrum, quem ei Pontifex impoſuerat, neo-cardinali defert patinæ impoſitum quidam ex ſecretioribus camerariis, cui pro honorario offeruntur 3. vel 4. & etiam 500. coronati, famulo autem, qui pileum portavit, datur annulus 25. vel 30. coronatorum; debet item neo-cardinalis plura alia honoraria poſt conſiſtorium expendere, quæ aſcendunt ſummam 370. coronatorum. Nimirum:

Alla ſagreſtia del papa, ſacriſtiæ pontificiæ ducatos 25.
à maeſtri delle ceremonie del papa, magiſtro ceremoniarum 100.
Al ſecretario, clerico computiſtæ del ſacro collegio, ſecretario, ſcribæ, & computiſtæ cuivis 25. ducatos 75.
Alli cantori del papa, pontificiis cantoribus 30.
ai cubicularii ſegreti del papa, pontificiis ſecretioribus cubicullariis 20.
ai cuſtodi generali delle veſti del papa, cuſtodibus veſtium pontificis 10.
ai ſotto cammerieri del papa, inferibus cubicullariis pontificis 6.
ai diaconi, ſubdiaconi della capella del papa, diaconis & ſubdiaconis capellæ papalis 4.
al clerico di capella 2.
al cuſtode di capella, cuſtodi capellæ 1.
ai due chierici di capella ſecreta 6.
ai palefrenieri del papa, ſtabulariis pontificis 25.
ai mazzieri del papa 15.
ai curſori del papa 10.
al cuſtode della porta di ferro 6.
al cuſtode delle catene. 4.
al cuſtode de giardini ſegreti 3.
alla forreria del papa 5.
à quatro ſcopatori ſegreti 4.
ai muſici di caſtello S. Angelo 6.
alli maeſtri delle ceremonie per li mantelleti de conſiſtorio publico, magiſtris ceremoniarum pro ornatu adhibito in conſiſtorio publico 12.

Summa 370.

Quæ

Quæ ſumma traditur cuidam magiſtro ceremoniarum, qui illam deinceps diſtribuit; Cæterum ſecretioribus cameræ prælatis ſolent offerri ut minimum 1000. coronati aurei, imo cardinales ex ſtirpe principum feruntur dediſſe 4. aut 5000. coronatorum.

8 Quæres 4. *Quam præcedentiam ſibi attribuant Cardinales?*

Magnam ſibi vindicant cardinales dignitatem & authoritatem, eamque prætendunt non ſolum principibus ſuperiorem, ſed fere regiam; equidem præ omnibus principibus præcedentiam & ſtatim poſt reges locum deſiderant, & eum

2. ſibi vindicant, præ omnibus legatis regiis, cum dicant quemlibet eorum poſſe eligi in Pontificem, ac tandem ipſimet Imperatori præferri.

9 Hanc tamen præcedentiam cardinalibus controvertit Dux Venetus, quia ſe caput dicit Reipublicæ, cui corona debetur, *d' una Republica coronata.* Eandem præcedentiam legitur in controverſiam traxiſſe Carolus Archidux Auſtriæ Epiſcopus Vratislavienſis, Imperatoris Ferdinandi junior frater, prout notatur *in Mercure francois*, dum enim Carolus per Italiam in Hiſpaniam tenderet, venit is Milanum & Florentiam quidem, Romam tamen accedere noluit, dubius num Romæ ita tractaretur, & eo haberetur honore, quem ſibi prætendebat deferri? ſcilicet an in ſacello papali locum & ſedem ante omnes cardinales presbyteros & immediatè poſt cardinales epiſcopos obtineret? benè conſcius, quod Principi de Condè Gallo & principaliori Principi ex ſtemmate regio, item Duci Sabaudo ac Magno-Duci Florentiæ tantum licuerit ſedere ante ultimum cardinalem diaconum.

Quando item præfatus Dux Carolus Florentiam attigit ſereniſſimam ſororem ſuam & defuncti Magni-Ducis viduam ejusque filium Ferdinandum II. inviſurus, renuit Carolus Archidux concedere præcedentiam & manum dexteram cardinali Carolo de Medices, cum tamen eſſet conſuetudo in Italia, quod cardinales in Italia habeant præcedentiam præ omnibus principibus, etiam in propriis ædibus & palatiis; quapropter medium hoc adinventum, ut Archidux Carolus & cardinalis de Medices in tali cubiculo convenirent, in quod per duas januas intrare liceret, adeoque unus per hanc & alter per aliam januam intrarunt & ita ſtantes ſunt collocuti, quo ſermone finito poſtquam ſibi valedixerunt, quilibet eorum per ſuam januam exivit.

Eandem præcedentiam cardina- 10
libus negant in Germania Eminentiſſimi & Sereniſſimi Principes Electores S. R. Imperii; exemplum allegat Munchmayer *Juriſpr. part. 2. cap. 4. fol. 214.* ubi refert, quod in coronatione Caroli V Matthæus Schiener, Epiſcopus Sittenſis, cardinalis presbyter tituli S. Pudentianæ,

tianæ, Matthæus Langen de Wellenburg, Archi-Episcopus Salisburgensis & cardinalis diaconus, tituli, S. Angeli in foro piscium, item Wilhelmus Jacobus de Croy, Episcopus Cameracensis & Archi-Episcopus Toletanus, cardinalis tituli S. Mariæ in Aquino, qui in Januario anno 1521. in Comitiis Wormatiensibus obiit, Electoribus præcedentiam cesserint.

Nimis humilem censuram de cardinalium prærogativis monstraverat, ac omnimodum cardinalitiæ dignitatis vilipendium orbi expresserat Fridericus Wilhelmus, Elector Brandeburgicus. Equidem dum Quidobaldus Archi-Episcopus Salisburgensis, & Primarius S. Cæsareæ Majestatis Commissarius in Comitiis Ratisbonensibus, anno 1663. creatus erat cardinalis, præfatus Archi-Episcopus omnibus Principalioribus Imperii Statibus insinuans se ad dignitatem cardinalitiam esse promotum, ab omnibus Statibus (excepto Brandenburgico) desuper receperat litteras gratulatorias. Dum verò idem Archi-Episcopus ex Legato Brandeburgico tunc temporis Ratisbonæ existente quæreret, cur ab ejus Principali non reciperet responsum, cum tamen eidem intimasset, noviter sibi collatam cardinalatus prærogativam, se excusavit Legatus, & se desuper instructionem non habere, se tamen velle repetitam mentionem facere apud suum Principalem; quapropter præfatus Elector Fridericus Wilhelmus tandem Quidobaldo rescripsit ac respondit: *Se putasse gratulatione opus non esse, imò censuisse Primatem S. R. I.* (is enim est Archi-Episcopus Salisburgensis) *esse digniorem Canonico S. Petri Romæ* (ita appellaverat cardinales) *quod si tamen gratulationem prætenderet, se illam hisce velle exhibere.* Verum quid hic sit respondendum, judicet orbis.

Juxta constitutionem Sixti V. cardinales æquiparantur regibus, quapropter si in coronatione Pontificis aut alia solennitate ad mensam pontificiam perveniat rex quidam, assignatur ei locus post primum cardinalem, scilicet Decanum collegii cardinalitii Episcopum Ostiensem, quod si plures reges sint præsentes, sedent ii inter reliquos cardinales episcopos, ita tamen ut cardinalis episcopus semper obtineat locum superiorem. Primogenito filio regis non conceditur locus & sedes inter cardinales episcopos, sed assignatur ei locus immediatè post primum cardinalem presbyterum, prout colligitur ex ceremoniali pontificio, præsertim Christophori Marcelli Episcopi Corcyrensis, aliorumque authorum. Aliqui volunt, quod reges in sacello papali locum suum sortiantur post cardinalem decanum; Christina Sueciæ regina habuit in præfato sacello specialem locum sibi assignatum, & in suo conclavi quoties à cardinalibus visitata, superiorem locum retinuit, ejusque sedes, qua

uteba-

utebatur, semper erat pretiosior, quam reliquæ, quibus cardinales insederant, quod tamen cardinales sibi non duxerunt præjudicio, quia is honor reginæ, quæ fidem catholicam amplexa, ut peregrinæ, & ex humanitate concedebatur.

Porro hæc præcedentia obtinet Romæ, apud exteras enim provincias hæc cardinalibus rixas parit; hinc memoratu dignum, quod legitur de Francisco Duce de Valois & Anguolesme, postea hujus nominis primo Galliarum Rege, qui dum edoctus erat, quod cardinalis de Brie (qui tempore Ludovici XII. administrationem regni dirigebat,) sibi in publico conventu præcedentiam attribuere voluerit, eà ratione, quod cardinalibus competat privilegium sedendi ad dexteram regis, præfatus Dux cardinali nuntiari mandavit, consultius fore, si is privilegio suo uteretur Romæ, quam in Galliis, ne alioquin caput eodem tingeretur rubore, & pingeretur colore, quo pileus cardinalitius.

11 Quæres 5. *Quis titulus attribuatur Cardinalibus?*

Resp. Pontifex eos appellat fratres, ab aliis demum olim vocabantur Illustrissimi Signori, Illustrissimi Domini, hodiedum dicuntur Eminentissimi, qui titulus iis concessus fuit ab Urbano VIII. die 10. Junii anno 1630. per specialem constitutionem consistorialem, ita quidem, ut idem titulus Eminentissimi nulli tribuendus sit, nisi Principibus Electoribus Ecclesiasticis S. R. I. & demum magno ordinis Equestris Melitensis Magistro, & quod si titulus Eminentissimi à quoquam (exceptis Imperatore & Regibus) cardinali cuidam non tribuatur, litteræ, in quibus prædictus titulus *Eminentissimi* est omissus, non acceptantur. prout pluribus exhibet Crùsius *fol. 189.* Imperator vocat cardinales *Reverendissimos*, Rex Hispaniarum *Muy Reverendo*, quod in idem recidit, cum Hispani superlativo careant; Rex Galliarum *Mon Cousin*, hoc est: affines sive patrueles; Rex Poloniæ loco Dominationis Illustrissimæ *Vestram Illustristissimitatem* dicit. omnes autem alii, qui cardinales vocant Illustrissimos, vult Pontifex: ut deinceps vocent Eminentissimos, sicut ad literam habet constitutio prædicta Urbani VIII.

Cardinales qui sunt stemmatis Regii, aut sanguine Principes, se Principes vocare non audent, sic Cardinalis Sabaudus se appellabat Mauritium Cardinalem de Sabaudia, non autem sic: Mauritius Cardinalis & Princeps Sabaudiæ. Cardinales Galli ex familia Regia se vocarunt Cardinales de Bourbon, Cardinales ex familia Lotharingica audierunt Cardinales Lotharingi, piæ memoriæ. & magnus ille Episcopus Passavienſis, ex Comitibus modo Principibus de Lamberg, dictus erat Cardinalis de Lamberg, Modernus Christianus Augustus Dux

de Saxen-Zeiz, vocatur simpliciter Cardinalis Saxo, vel de Saxonia. neque etiam cardinalis insignibus suis apponere audet pileum vel coronam Ducis aut Principis; quorum omnium ratio est, quod in dignitate cardinalitia jam involvatur ac exprimatur omnis prærogativa, quæ alias ex appellatione vel insignibus Ducis aut Principis provenire possit.

§. III.

DE JURE CARDNALIUM QVOAD EPISCOPATUS, ET POTESTATE IN EORUM TITULIS.

SUMMARIA.

1. An promotus ad Cardinalatum possit retinere Episcopatum, quem ante obtinebat, & proponitur ratio dubitandi? 2. Adstruitur sententia affirmativa. 3. An Cardinalis in Ecclesia in qua habet Canonicatum, in eadem possit eligi vel postulari debeat in Episcopum? 4. An Cardinalis qui obtinet Episcopatum teneatur ad residentiam in sua Ecclesia? 5. Quot mensibus per annum Cardinales Episcopi aut alii Episcopi à suis Ecclesiis possint abesse? 6. An Cardinales non habentes Episcopatum teneantur residere in Curia Romana? 7. Pœna non residentium quænam sit? 8. Quam potestatem habeant Cardinales in suis titulis sive Ecclesiis sui tituli? 9. Cardinales in suis titulis habent jus excommunicandi, suspendendi, interdicendi, visitandi &c. 10. An habeant jus instituendi? 11. An in suis titulis possint uti insignibus Pontificalibus?

1 Quæres 1. *An Cardinalis possit retinere Episcopatum, quem ante suam promotionem obtinebat.*

Ratio dubitandi est 1. quia Cardinales tenentur consulere & assistere Papæ. *c. fundamenta.* §. *decet. de Elect. in 6.* 2. tenentur in suis titulis & Ecclesiis urbis personaliter residere, ita ut etiam à tantæ dignitatis fastigio sint deponendi, si ad eas adire, contumaciter detrectaverint. *c. 2. de cleric. non resid.* Episcopatus autem similiter continuam residentiam requirit *c. qualiter eod. tit. c pervenit cum seqq. caus. 7. quæst. 1.* nam durum est, dimittere Ecclesiam sine sponso, & paria sunt non habere sponsum vel prorsus inutilem. *cap. 2. de translat. Episcop.* in quo Capitulo summus Pontifex noluit admittere postulationem factam de cardinali ad Archi-

Archi-episcopatum Ravennatensem, quia oportuisset aut Romanam Curiam deserere, aut moram trahere extra Archi Episcopatum; Utrumque autem judicatum fuit inconveniens. quam sententiam tuentur Felinus *in cap. quod super his. de fide instrument.* Gomez. *in proœmio regul. cancellariæ in verf. ex quo refertur & in regul de impetrat. benef. vacant. per obitum famul. Cardinal. quæst. 12.* Cardinal. Cajetan. *in 2. 2. quæst. 185. art. 5.* ubi notabiliter ait: secundum doctrinam juris communis falsum assumitur, quod cardinalis de jure potest esse episcopus cujuscunque Ecclesiæ, quantumcunque remotæ, quoniam in dicta decretali scilicet *in c. bonæ memoriæ de postulat. prælat.* propter impossibilitatem residendi in utraque Ecclesia, Romana scilicet & Ravennatensi, præfertur utilitas universalis Ecclesiæ, ut cardinalis præsens sit Romæ &c. ideo dicendum videtur, quod cardinalatus & episcopatus sint de numero incompatibilium de jure. & Panormitanus *in cap. 2. de translat. Episcop. n. 6.* ait cardinalatum & episcopatum esse incompatibiles in eadem persona, subdit tamen novissimis temporibus servatum esse, ut episcopus promotus in cardinalem, non perdat ipso jure episcopatum, imo retineat illum titulum, sicut prius, nisi Papa aliter disponat; & sic testatur servatum esse in cardinali sanctæ crucis, quoad episcopatum Bononiensem; & in cardinali S. Marcelli, quoad episcopatum Senensem. 4. huic opinioni videtur suffragari stylus Curiæ Romanæ, nam cardinali qui in urbe residere debet non consuevit Papa episcopatum conferre in titulum, sed in commendam, ut ex illius fructibus decenter sustentari valeat, hoc autem incompabilitatem arguit, de quo stylo testatur Hojeda *tract. de benef. incompatib. part. 1. c. 2. num. 10.* qui addit pro hac sententia esse textum expressum Concilii Tridentini *in c. 12. sess. 24.*

Altera sententia dicit cardinales 2
non prohiberi Ecclesiam cathedralem obtinere, ita Fagnanus *in c. bonæ memoriæ. de postulat. prælat. à n. 31.* & alii ab eo relati.

Prob. quia passim videmus episcopos ad cardinalatum promotos retinere episcopatum absque ulla dispensatione, ut exemplum docet in Cardinali de Lamberg, p. m. Episcopo Passavienſi, Cardinali de Schrottembach, Episcopo Olmuzensi, & pluribus aliis anterioribus, quod non esset, si cardinalatus & episcopatus essent incompatibiles, cum & cardinales comprehendantur *in c. multa de præbend.* item cardinalibus passim conferuntur episcopatus; consuetudo autem Romanæ Ecclesiæ facit jus. *c. ex litteris. de constitut. cap. in causis. de rejudic.*

Prob. 2. *ex can. jus. §. si vero.* Concil. Trident. *sess. 23.* ubi illi, qui ante concilium plures obtinuerunt cathedrales, tenentur unam dimittere,

ergo si decretum illud servari debeat in cardinalibus, ut initio præcipitur, ibi: *quod in quibuscunque personis manifeste sequitur, ut si quis Cardinalis eo tempore obtinuisset plures Cathedrales potuisset aliis dimissis unam retinere*, & ita concilium non habuit cardinalatum incompatibilem cum episcopatu.

Prob. 3. *Trident. c. 1. sess. 23.* in decreto de personali residentia episcopi in diœcesi, ait: Comprehendi etiam S. R. E. cardinales, & ita non obscure admittit cardinales posse obtinere episcopatum, alioquin non obligasset eos ad personaliter residendum in episcopatu, sed potius obstrinxisset ad episcopatum dimitttendum, ut facit de pluribus cathedralibus. *in d.c. 17.*

Quamvis igitur dicta procedant jure hodierno, advertendum tamen est, quod dicit Fagnanus *loc. cit. n. 33.* Fateor inquit Consultius fore, ut abundè suppeditentur S. R. E. cardinalibus necessaria, ad eorum dignitatem decenter sustinendam, & Metropolitanis & Cathedralibus Ecclesiis præficiantur pastores, qui in illis possunt assidue residere, sine detrimento Ecclesiæ universalis, nam cum cardinales Romani Pontificis in executione sacerdotalis officii jure levitico coadjutores existant, *c. per venerabilem §. rationibus, qui filii sint legitim.* & eorum consilio apud eum universalis Ecclesiæ administratio nitatur, ut habetur in Concil. Trident. *c. 1. §. quæ vero. sess. 25.* & ita propterea instantia cardinalium sit sollicitudo omnium Ecclesiarum, debebit commune bonum præferri bono particularis Ecclesiæ; interim si consilium Fagnani rigorose foret observandum, multum dubitarem, quin plures episcopi Germani, qui simul sunt potentissimi S. R. I. Principes, quales sunt Archi-Episcopus Salisburgensis, Episcopus Monasterienſis, Episcopus Leodiensis, opibus & territoriis potentissimi, Episcopus Herbipolensis, qui non solum titulo, sed potentia etiam se Franconiæ Ducem monstrat, ad dignitatem cardinalitiam aspirarent.

Quæres 2. *an Cardinalis possit eligi aut postulari debeat, si sit assumendus in Episcopum Ecclesiæ, in qua viget jus eligendi?*

Contingentia facti hæc fingi poterit: si Titius canonicus assumatur ad purpuram cardinalitiam & moreretur episcopus illius ecclesiæ cathedralis vel metropolitanæ, in qua sibi retinuit canonicatum, an inquam Titius canonicus & cardinalis per viam electionis vel postulationis ad vacantē dignitatem episcopalem debeat pervenire; contingentia facti accidere posset v. g. in metropolitana colonienſi ecclesia, cujus præpositus & canonicus est eminentissimus cardinalis de Saxen-Zeitz, an inquam ille mortuo archipræsule eligi vel postulari deberet ratione cardinalatus, idem quæri posset de eminentissimo cardinale de Schrattenbach, episcopo Ollmucenſi, si ille sibi retinuit canoni-

nonicatum in metropolitana Salisburgensi, ex qua assumtus est in episcopum Ollmucensem.

In hac quæstione igitur, an cardinalis ad episcopatum vacantem eligi vel postulari debeat, distinguendum erit, an nimirum cardinalis jam habeat alium episcopatum vel non? igitur quoad cardinalem episcopum citra controversiam respondendum est, talem non eligi sed postulari, quia sicut simplex episcopus ad aliam cathedralem non eligitur, sed postulatur, ut patet ex *c. bonæ memoriæ & cap. fin. de Elect.* ita & episcopus cardinalis sive demum sit episcopus cardinalis eo sensu, quod sit ex episcopis cardinalibus, sive quorum tituli sunt episcopatus, sive alio sensu, quod sit S. R. E. cardinalis & in alia particulari non titulari ecclesia v.g. Ollmucensi episcopus.

Quoad posteriorem casum major est controversia inter DD. & quidem Hostiensis *in c. bonæ memoriæ de Elect. n. 1.* tenet cardinalem presbyterum esse postulandum quia habet alas ligatas ut *in cap. 2. in fin. de Cleric. non resid.* sicut Episcopus, ut *in d. c. fin. in fin. de Elect. cap. nisi cum pridem. de Renunciat.* Sed

Respondendum est: cardinalem in casu hoc posteriori debere eligi non postulari; ratio est, quia hodierno jure ex ante dictis Cardinalatus non est incompatibilis cum episcopatu. ergo non per viam postulationis sed electionis assumendus prob. conseq. quia ideo episcop9 unius ecclesiæ debet ad aliam ecclesiam per postulationem promoveri, quia duarum ecclesiarum regimen & gubernatio videtur incompatibile, ergo ubi cessat incompatibilitas, ibi cessat postulandi necessitas; verbo: ideo necessaria est postulatio quoad episcopum, quia nemo de jure potest habere duos episcopatus, at vero cardinalis potest habere episcopatum, ergo in ordine ad hunc obtinendum, postulatione opus non est:

Quæres 3. *An Cardinalis ad Episcopatum promotus, vel qui obtinet Episcopatum teneatur ad residentiam in sua ecclesia?*

Resp. 1. S. R. E. Cardinales illi, 4
qui habent episcopatus prope urbem, etiamsi in illis vel in suis titulis residerint, non excusantur a residentia in cathedralibus & majoribus ecclesiis, quibus præfecti sunt, nec ex eo, quod Papa eos videat & toleret, & ad functiones etiam pontificales & solennes admittat. Fagnanus *in cap. qualiter de clericis non resid. n. 22.* ratio desumitur ex novissima constitutione Urbani VIII. quæ incipit sancta synodus sub die 12. decembris 1634. in qua sanctitas sua primo innovat decreta concilii tridentini, constitutiones apostolicas & decreta consistorialia, & in specie Gregorius XIII. declaravit decreta concilii & pœnas ejusdem habere locum etiam in S. R. E. cardinalibus. variæ præterea editæ sunt quoad ejusmodi residentiam consti-

constitutiones Pii IV. Pii V. Clementis VIII.

Resp. 2. Sanctitas sua jubet, ut præfecti cathedralibus & majoribus Ecclesiis, etiamsi S. R. E. cardinales sint, se itineri committant & ad residentiam conferant infra unum mensem, si in urbe existant, infra duos si extra urbem in Italia, si extra Italiam infra quatuor computandos à die publicationis Bullæ, nondum autem præfectos intra terminos superius expressos computandos à die eorum promotionis, indeque nec supra dictos, nec alios jam residentes abscedere absque licentia per breve & per literas missivas, sub pœna interdicti ab ingressu Ecclesiæ, amissionis fructuum & facultatum testandi ipso jure incurrenda, nec non privationis à regimine & administratione Ecclesiarum, aliisque pœnis, arbitrio sanctitatis suæ infligendis.

Resp. 3. Sanctitas sua indulget cardinalibus præfectis cathedralibus aliisque majoribus Ecclesiis, ut ex causa vacationis sedis Apostolicæ possint non solum ad locum conclavis accedere, dummodo à diœcesibus non discedant nisi habita certa notitia mortis Pontificis, sed etiam in urbe commorari usque ad peractam electionem & per duos menses post coronationem Pontificis.

5 Resp. 4. Sicut omnibus episcopis ita cardinalibus ex æqua causa singulis annis à suis Ecclesiis abesse licet per trimestre juxta Concil. Trident. *c. 1. sess. 23.* pœnæ autem quæ cardinales non residentes in suis episcopatibus concernunt, eædem sunt cum illis, quæ concernunt episcopos, de quibus infra &c.

Ex dictis patet, cardinales, qui 6 obtinent episcopatus vel Archiepiscopatus debere potius residere in Ecclesia episcopali vel Archiepiscopali *v. gr.* Passavienſi, Ollmucenſi, quam in Curia Romana.

Quod si verò cardinalis similem episcopatum non habeat, tenentur in suo titulo & sic in Romana Curia residere, ut patet ex *cap. ex gestis 2. de Clericis non resid.* cujus ratio est, quia cardinales debent summo Pontifici assistere quasi oculi & aures, ac nobilissimæ sacri capitis partes, & præcipua illius membra à spiritu sancto constituta, prout constat ex constitutione Sixti V. quæ incipit: *Postquam verus. in proœm. tom. 2. Bullar. pag. 260.* ibi: *Sacrosanctæ Ecclesiæ Romanæ Cardinales repræsentantes personas Ss. Apostolorum dum Christo Salvatori regnum DEI prædicanti, atque humanæ salutis mysterium operanti, ministrarent, Eidem Pontifici in executione sacerdotalis officii, & in dirigenda ipsa Ecclesia Catholica, cui præest, consiliarii & coadjutores assistunt.* tum quia cardinales dicuntur collaterales Papæ *cap. excommunicatis. de officio legat.* adeoque ab illius latere se subducere nequeunt, neque à capite licet membra recedere, *cap. cum non liceat. de rescriptis.*

Cæte-

7 Cæterum adversus Cardinales extra Romanam Curiam commorantes (intellige juxta superius dicta, nisi habeant alibi in partibus Episcopatum) aut ab ea sine licentia Papæ recedentes, Pontifices maximi sanctiones diversas ediderunt, nam Leo X. in Constitutione incipiente: *Subpœna*, edita in concilio Lateranensi §. *28. in Bullar. tom. 1. pag. 474.* sanxit in hæc verba: *Et cum cardinalis officium imprimis versetur in frequenti Romani Pontificis assistentia & sedis apostolicæ negotiis, propterea statuimus, ut omnes cardinales in Romana curia resideant, & qui sunt absentes, si in Italia, intra sex menses, si extra Italiam, infra annum a die publicationis præsentis constitutionis revertantur, alioquin fructus beneficiorum, & omnium officiorum suorum emolumenta amittant, omnibusque privilegiis generaliter & specialiter cardinalibus concessis, quamdiu abfuerint, omnino careant, exceptis tamen illis, quos ratione officii ab apostolica sede injuncti vel de Romani Pontificis mandato aut licentia vel justo metu, aut quavis alia legitima causa impediente vel ægrotationis abesse contingat, privilegiis, indultis & immunitatibus eisdem cardinalibus concessis, & in bulla nostra sub data coronationis nostræ contentis, & expressis, in suo robore nihilominus permanentibus.*

Similiter Paulus III. edidit decretum consistoriale, quo cardinales jubentur residere in curia Romana, quod si non fecerint, privantur ipso facto durante absentia omnibus indultis & privilegiis, quibus alii cardinales gaudent & gaudere possint, nisi cum expressa licentia Papæ apud ecclesiam Metropolitanam seu cathredralem, cui præsunt resideant, ut refert Fagnanus *in cap. ex gestis de clericis non resid. n. 21.*

Novissime vero emanavit constitutio Innocentis X. de dato Romæ sub annulo piscatoris, die 19. Februarii, 1646. Pontificatus sui anno secundo, quæ incipit, *cum juxta.* Super recessu S. R. E. cardinalium a statu ecclesiastico sine licentia S. Pontificis & reditu eorum ad Romanam curiam, in qua statuitur, quod cardinales, qui post bullam non obtenta Papæ licentia se transferent extra statum ecclesiasticum, primo privilegiis & indultis omnibus etiam beneficia conferendi, pensiones & fructus ecclesiasticos transferendi, & facultate testandi privantur, ab ingressu Ecclesiæ interdicantur, ultra aliàs pœnas à Papa infligendas, & mandatur deveniri ad sequestrum fructuum officiorum & beneficiorum, nec non pensionum ac fructuum reservatorum. 2. si infra sex menses à die recessus ad Curiam non redierint, privantur iisdem fructibus arbitrio Papæ distribuendis. 3. si non redierint infra alios sex menses immediate sequentes, ultra memoratas pœnas privantur omnibus officiis, beneficiis, pensionibus & fructibus reservatis, ut supra distribuendis,

8 Quæres 4. *Quam potestatem habeant Cardinales in suis titulis sive Ecclesiis sui tituli?*

Resp. Cardinales habent in suo titulo & Ecclesiis titulo subjectis jurisdictionem episcopalem, ut tenent Barbosa *J. E. V. lib. 1 c. 4. à n. 35. & n. 71.* Fagnanus *in cap. his quæ n 15. de Major. & obedient.* D. Francisc. Schmier. *tract. de jurisdict. cap. 4. sect. 1. §. 9. 53.*

Colligitur & probatur hæc responsio clare *ex cap. his quæ ii. de major. & obed.* & quamvis Gregorius XIII. dixerit se nolle, ut ea, quæ episcopis concessa sunt à Concilio Tridentino, competant cardinalibus in suis titulis, eo quod habeant quasi episcopalem jurisdictionem, ibi tamen vere & propriè non sint episcopi; nihilominus extra facultates à Concilio concessas, salva manet jurisdictio cardinalium in suis titulis ad præscriptum hujus decretalis, adeoque cardinalis Vicarius urbis non cognoscit de causis sub titulis cardinalium.

Procedit hæc responsio non solum in cardinalibus presbyteris, sed etiam diaconis, ut est expressum in constitutione Sixti V. quæ incipit *Religiosa;* Idibus Aprilis *1589. in Bullario tom. 2. pag. 571.* ubi *in Princ.* sic legitur: *Præter sex Episcopos Cardinales, qui certis Cathedralibus urbi finitimis præsunt, singulis presbyteris & Diaconis Cardinalibus propriæ in urbe Ecclesiæ, tituli scilicet & Dianiæ cum suis Clero & populo, ac quasi Episcopali jurisdictione, in spiritualibus & temporalibus regendæ & administrandæ committantur.* Ex quo

9 Infertur 1. Cardinales in suis titulis, Diaconiis & capellis subjectis habere jus corrigendi, excommunicationis suspensionis, & interdicti sententias fulminandi, quod etiam est expressum *in d. c. his quæ ii. de M. & O.* item jus visitandi in suis titulis sicut episcopus in suo episcopatu, ut tradit Felinus in *cit. cap. his quæ num. 1.* & patet ex constitutione Leonis X. incipiente: supernæ §. *19. in Bullario tom. 1. pag. 474.* ubi disponitur, ut cardinales tituli sui loca, si præsentes in Curia fuerint personaliter, si vero absentes, per vicarium idoneum semel saltem singulis annis visitent clericos & populos Ecclesiarum titulo suo subjectarum, cum diligentia inquirant, vigilentque circa cultum divinum, & bona dictarum Ecclesiarum, moresque imprimis & vitam clericorum parochianorum solerter exquirant, eosque omnes & singulos ad recte honesteque vivendum paterno moneant affectu.

10 Infertur 2. Cardinales habere jus instituendi in suis titulis; cui etiam accedit textus *in cap. querelam. de Elect.* ibi: *à Cardinali S. Susannæ, cui eadem Ecclesia tanquam capella suo titulo in spiritualibus est subjecta, canonice fuerat institutus.* unde possunt conferre beneficia suarum Ecclesiarum titularium, si scilicet sint præsentes in Curia; alioqui solus

Papa

Papa confert, nec non resignationes acceptare & admittere. Fagnanus *loc. cit. num. 23.* aliique ab eo relati.

11 Infertur 3. Cardinales posse insigniis Pontificalibus uti in suis titulis, & solennem benedictionem impertiri more episcoporum, licet episcopi non sint, ut notat Hostiensis & Joan. Andr. *in cap. 1. de supplend. neglig. prælat.* & Felinus *in cap. inter Monasterium n. 2. de re jud.*

Infertur 4. Cardinales posse suis subditis & familiaribus in suis titulis primam tonsuram & minores ordines conferre, secundum Hostiens. & Joan. Andr. *loc. cit.* Felinum *in d. cap. inter monasterium num. 2.* dummodo tamen sint sacerdotali charactere insigniti; alias secus. per ea, quæ habentur in *can. quoniam dist. 69. cap. cum contingat. de ætat. & qualit.* Reliqua vero quæ ordinis episcopalis sunt, exercere non possunt, nisi sint episcopi. Fagnan. *loc. cit. num. 26.* aliique ab eo relati, qui dicunt cardinales in suis titulis haberi loco episcoporum quoad jurisdictionalia, & quoad episcopalia, si sint episcopi, alias quoad jurisdictionalia solum.

Infertur 5. Cardinales in suo titulo habere curam tam fori pœnitentialis, quam contentiosi. concordat *cap. his quæ. de major. & obed.*

§. IV.

DE POTESTATE COLLEGII CARDINALITII SEDE PAPALI VACANTE.

SUMMARIA.

1. Ante Concilium Lugdunense quam potestatem habuerint Cardinales sede Papali vacante. 2. Quam potestatem habuerint post Concilium Lugdunense sede vacante. 3. An potuerint sede vacante mittere legatum. 4. An potuerint legatum à Papa missum revocare? 5. An possint Concilium convocare? 6. Quam potestatem Collegium Cardinalitium sede vacante habuerit post Concilium Viennense. 7. Quæ potestas competat post Bullam Pii IV. 8. An jurisdictio, quam habent congregationes Cardinalium exspiret sede Papali vacante? 9. Recensentur quidam alii, quorum jurisdictio non exspirat sede Papali vacante. 10. Jurisdictio congregationum Cardinalibus in Conclavi existentibus quiescit quoad ea, quæ expediuntur per subscriptionem Cardinalis Præfecti Congregationis.

Quæres 1. *An Collegium Cardinalium Romana Ecclesia vacante succedat in Jurisdictione Papali?*

Quoad cardinalium potestatem sede Papali vacante diversa fuit modo restrictio mox ampliatio, prout diversa successerunt tempora, juxta quæ mensuranda est cardinalium jurisdictio. Hinc

1 Nota 1. Ante constitutionem Gregorii X. editam in concilio Lugdunensi ac relatam in *cap. ubi periculum. de Elect. in 6.* Regula erat, quod Ecclesia Romana vacante ad collegium cardinalium jurisdictio devolvatur, unde veteres canonistæ quotquot scripserunt ante Bonifacianam compilationem libri sexti Decretalium jurisdictionem tribuerunt collegio purpuratorum, qui tamen ipsimet canonistæ quoad hanc jurisdictionis devolutionem diversimode senserunt; quidam enim dixerunt cardinales censeri vice capitis. Hugo *in can. nullus dist. 71.* alii statuerunt cardinales supplere defectum mortui Papæ *can. si quis cad. dist.* Bartolus *in l. ubi sunt. n. 3. ff. de Tut. & Curat. Dat.* item cardinales tempore vocationis obtinere vicem curiæ *l. nominationum ff. de Decurion.* Laurent. *in d. can. nullus*, alii dixerunt Cardinales fungi vice Archi-episcoporum, si sint cardinales episcopi, & cæteros non episcopos fungi vice episcoporum. præterea Hostiensis *in cap. cum ex eo, num. 21. de pœnit & remiss.* [illegible] Pontifice vita functo, [illegible] potestatis residere penes Romanam Ecclesiam, quæ mori non potest, *c. liberti cauf. 12. quæst. 2.* nec unquam potest esse nulla, *can. pudenda. cauf. 24. quæst. 1.*

Ante constitutionem igitur Gregorii X. cardinales habebant Romana Ecclesia vacante potestatem jurisdictionis Papalis in exercitio, non quidem indistincte, sed in iis tantum, quæ sunt necessaria, vel utilia Ecclesiæ seu Reipublicæ, quibus est omnino providendum. Secundo: ante concilium Lugdunense sive constitutionem Gregorii X. cardinales sede vacante habebant in Ecclesia universali jurisdictionem illam, quam habet in Provincia Legatus Apostolicæ sedis, quæ potestas tamen à quibusdam adhuc controvertitur.

Tertio: collegium cardinalium tempore vacationis nullam habebat jurisdictionis potestatem in his, quæ ratione excellentiæ, dignitatis & præeminentiæ ac prærogativæ Romano Pontifici sunt reservata.

Quarto: collegium cardinalium ante concilium Lugumense nec episcopos creare, nec electos confirmare, nec jam creatos deponere poterat. Glossa *in Can. nullus 2.* quam ibi sequuntur Archid. & alii *dist. 79.*

Quinto: collegium cardinalium nec illo tempore poterat creare cardinales nec habilitare cardinales per Papam privatos seu depositos, etiam ad vocem Hostiens. *in summa de pœnit. & remiss. §. qui confiscandum in verb. Cardinales.* Fagnanus *in*

in

in cap. cum olim. n. 35. de Major. & obed.

2 Secundum tempus mensurandæ Jurisdictionis, quam habebant cardinales sede vacante, fuit a tempore concilii Lugdunensis, usque ad concilium Viennense. Porro in concilio Lugdunensi emanavit constitutio Gregorii V. quæ refertur *in cap. ubi periculum. de Elect. in 6.* in qua constitutione prohibetur Cardinalibus ne te ingerant nisi in negotio electionis *d. cap. §. iidem quoque. ibi: Cardinales accelerandæ provisioni sic vacent attentius, quod se ne quaquam de alio negotio intromittant*; nisi cum limitatione ibidem addita: *nisi necessitas adeo urgens incideret, ut oporteret cardinales de terra Romanæ ecclesiæ defendenda, vel ejus parte aliqua providere, vel nisi aliquod tam grande, & tam eminens periculum immineret, quod omnibus & singulis cardinalibus præsentibus concorditer videretur illi celeriter occurrendum.* ex qua limitatione.

3 Infertur I. quod collegium cardinalium pro terra ecclesiæ defendenda, vel evidenti periculo, potuerit sede vacante mittere legatum cardinalem, ut advertit Paulus de Eleazaris *in Clement. ne Romani de Elect.* Cardinalis tamen sic missus non fuisset proprie cardinalis cum imperio & jurisdictione, hoc enim est de pertinentibus ad supremam authoritatem summi Pontifis, ut notat speculator *in tit. de Legatis §. ordinem n.* sed potius erit nuntius, nec habebit jurisdictionem, sed nudam defensionem, quo fit ut si cardinales crearent Pontificem absentem, tunc possent quidem ablegare ex Cardinalibus ad novum electum ad urbem reducendum, illique expensas necessarias constituere de reditibus Romanæ ecclesiæ. Fagnannus *loc. cit. n. 43.*

Infertur 2. Quod collegium cardinalium possit legatum missum 4
a Papa revocare ex magna & evidenti causa *argum. cap. ne pro dilatione. depœnit. & remiss.* alias secus.

Infertur 3. quod duobus de papatu contendentibus & generale concilium convocare renuentibus, convocatio posit fieri a collegio cardinalium. ut ex facto respondit cardinalis Zabarella *in Consil. 150. incipient in quæstione. n. 6. in 3. quæst.* quoniam cum sint in possessione eligendi Romanum Pontificem, *cap. licet de vitanda. de Elect.* per consequens ad eos spectant omnia quæ sunt electionem consequentia. *cap. Cupientes §. ad hæc §. si vero de Elect. in 6.* neque etiam in dicto *cap. ubi periculum.* interdicuntur ea, quæ concernunt electionis negotium, sed alia extrinseca. cum igitur convocatio concilii generalis hoc casu sit necessaria ad sedandum schisma, merito ad collegium cardinalium pertinet, tanquam aliquid annexum & accessorium provisioni; quod in casu electionis nulliter & simoniace celebratæ etiam est expressum in bulla Julii II. quæ incipit: *cum tam divino §. & insuper in Bullario tom. 1. fol. 401.*

6 Tertium tempus est post concilium Viennense, in quo est edita constitutio Clementis V. quæ refertur *in Clement. ne Romani de Elect.* qua irritum & inane decernitur, quidquid potestatis & jurisdictionis ad Romanum, dum vivit, Pontificem pertinentis, collegium cardinalium Romana Ecclesia vacante duxerit exercendum, atque ita gesta a cardinalibus contra hanc prohibitionem non sustinentur amplius ex vi authoritatis præexistentis, quia clausula decreti irritantis operatur, ut quidquid contra fit, nullum sit ipso jure, ut est textus *cap. penult. de præbend. in 6.* atque ita juxta *d. clement.* a tempore concilii Viennensis nulla jurisdictio & potestas Papæ transiit in collegium cardinalium sede vacante, & in hoc ipsorum collegium est deterioris conditionis, quam inferiora collegia, in quæ transit. Joan. de Imola *in dict. clement. ne Romani. in 7. notab. n. 14.* Ratio autem disparitatis inter cardinales & reliqua collegia hæc assignatur, quia ob acceleranda provisionem ecclesiæ, in cujus tardatione imminet periculum, speciale quid statui debuit.

In hac *Clementina ne Romani* excipitur casus urgentis necessitatis & grandis periculi imminentis, prout etiam excipiebatur *in dict. cap. ubi periculum. de Elect. in 6.* Unde quæ poterat collegium cardinalium tunc temporis exercere, poterit etiam exercere post hanc Clementinam & concilium Viennense; quapropter cum officium camerarii & pœnitentiariorum papæ, eo mortuo non exspiret, iisdem deficientibus poterat collegium cardinalium in eorum locum alios subrogare pro tempore vacationis. ut disponitur *in dict. Clement. ne Romani §. eo tamen proviso.*

Quartum & ultimum tempus est post bullam Pii V. editam 7. Idus Octobris 1562. incipientem *in eligendis*, ubi ita statuitur: *Secus autem vacatione durante collegium cardinalium in iis, quæ ad Pontificem maximum dum viveret pertinebant, nullam omnino potestatem aut Jurisdictionem habeat, neque gratiam neque justitiam faciendi, aut factam per Pontificem mortuum executioni demandandi, sed ea omnia futuro Pontifici reservare teneatur.* ex qua constitutione rursus patet, quod omnis Jurisdictionis exercitium sede papali vacante cardinalibus ademptum, excepto rursus casu urgentis necessitatis, & magni imminentis periculi, ubi tamen advertendum: Quænam sit differentia inter constitutionem Gregorii X. in concilio Lugdunensi editam & hanc constitutionem Pii IV. cum utraq; à prohibitione exercendæ jurisdictionis excipiat casum urgentis necessitatis, nimirum constitutio Gregorii X. requirebat, ut collegium cardinalium unanimiter sive in concordia judicaret de casu necessitatis, & unanimiter, quæ statuenda essent, decerneret; ac proinde unius cardinalis contradictio vel dissensio poterat impedire. Fagnanus 7

loc.

loc. cit. n. 61. at vero juxta constitutionem Pii IV. *in §. 6.* sufficiunt duæ tertiæ cardinalium, per quos causa necessitatis judicanda & discernenda erit. 2. per constitutionem Gregorii X. sufficiebat, ut cardinales quoad causam necessitatis quomodocunque consentirent, at vero juxta constitutionem Pii IV. *d. §. 6.* requiritur, ut duæ tertiæ per occulta suffragia consentiant. ex quibus igitur liquet & formatur responsio ad quæstionem superiorem, scilicet, quod spiritualis jurisdictio papalis Romana Ecclesia vacante minime devolvatur ad collegium cardinalium, sive quod idem est, cardinales non succedant in Jurisdictione spirituali Pontifice defuncto.

Quemadmodum vero Romæ sunt diversæ cardinalium congregationes, quas supra *dissert. 4.* recensui, hinc ulterius.

Quæres 2. *An mortuo summo Pontifice jurisdictio congregationum S. R. E. cardinalium exspiret, vel sit suspensa?*

8 Resp. Jurisdictio congregationum per obitum Papæ non exspirat. ratio 1. est, quia jurisdictio ordinaria non exspirat per mortem Papæ. *cap. 2. de offic. legat. in 6.* ubi Clemens IV. declarat legatos Apostolicæ sedis habere jurisdictionem ordinariam, ac proinde illorum officia mortuo Papa non exspirare; atqui etiam jurisdictio congregationum cardinalium est ordinaria: tum quia data est congregationibus per constitutionem Sixti V. *edita 3. Calend. Febr. 1587.* Jurisdictio autem quæ defertur a lege vel statuto, est ordinaria *l. & quia ff. de jurisdict. omn. judic. l. 1. ff. de offic. ejus cui demandata est jurisdict.* tum quia eadem jurisdictio est ad universitatem causarum seu negotiorum, ut patet ex eadem constitutione Sixti V. in qua instituuntur quindecim congregationes S. R. E. cardinalium, cum jurisdictionum & facultatum partita concessione ad faciliorem universæ reipublicæ christianæ, statusque ecclesiastici & Romanæ curiæ negotiorum & causarum expeditionem, ut legitur in præmio *§. 1. & §. 2.* & constat ex facultatibus cuique congregationi attributis; at vero jurisdictio ad universitatem causarum, vel ad unum negotium universale, est procul dubio ordinaria *l. 1. in princ. & §. cum urbem ff de offic. præfect. urb. l. fin. C. ubi & apud quem.* ibi *vel certæ administrationi, cui & jurisdictio adhæret in prima constitutione.* ergo

Ratio 2. Quia facultates congregationibus cardinalium attributæ in præcitatis litteris Sixti V. sunt perpetuæ, ut satis aperte cautum reperitur in declarationibus facultatum earundem congregationum postea editis ab eodem Sixto V. *in §. 3. in bullario tom. 2. pag. 616. ibi. graviora vero quæcunque ad nos vel successores nostros deferantur,* & clarius *in §. 8.* ibi: *ut autem hæ nostræ literæ quam primum ubique locorum & Gentium innotescant, quas inter alias Apostolicas & perpetuas constitutiones annumeramus &c.*

Ratio

Ratio 3. quia *in Clement. ne Romani §. irritum de Elect.* & in constitutione Pii IV. *in Eligendis §. 6.* abdicatur à cardinalibus sede vacante illa tantum jurisdictio, quæ ad Pontificem, dum viveret, pertinebat. Atqui jurisdictio congregationibus attributa in litteris Sixti V. non pertinet ad summum Pontificem dum vivebat, scilicet privative, sed ad ipsasmet congregationes, inter quas Sixtus V. Pontificiam jurisdictionem partitus est, ut patet ex iisdem litteris §. 2. ibi: *Pontificium hoc onus Angelicis plane humeris formidandum, inter Senatores orbis terræ fratres nostros Cardinales, apta quadam distributione pro temporum conditione, negotiorum multitudine, & varietate, ipsaque utilitatis ratione salubriter partiri decernimus.* ergo talis jurisdictio non censetur à cardinalibus avocata; & consequenter remanet apud illos ut prius; quod enim non mutatur, cur stare prohibeatur? *l. sancimus. C. de testam.*

Præterea licet *in d. §. irritum* & in Bulla Pii IV. *d. §. 6.* denegetur collegio cardinalium omnis jurisdictio, hæc tamen verba non comprehendunt particulares congregationes, quia illæ non constituunt unum corpus universale, nec dici potest collegium cardinalium, sed sunt corpora inter se distincta, nec ulla ex congregationibus facultates exercet nomine collegii, sed suo peculiari nomine, velut inquisitionis concilii, rituum, & aliarum, prout ex litteris erectionis constabit. Unde cum tali jurisdictioni non adaptentur verba constitutionum, consequenter nec earum constitutio adoptari debet. *c. tua. desponsal. l. 4. §. toties ff. de damno infecto.*

Confirmatur: in concessione jurisdictionis universalis non venit jurisdictio alteri specialiter demandata *c. studuisti de officio legat.* ita è contrario denegatione & avocatione jurisdictionis universalis à collegio cardinalium, non includitur jurisdictio particularibus congregationibus specialiter attributa; contrariorum enim contraria est ratio. *l. si ex toto ff. de legat. l. 3. §. fin. l. 4. de adim. leg* imo congregationibus censeri debet permissum, quod non reperitur expresse prohibitum. *c. illud. cauf. 30. quæst. 3. l. mutus §. 1. ff. de procurat.*

Ratio 4. quia in eadem constitutione Pii IV. *in §. 10. verf. pœnitentiarius vero.* limitatur jurisdictio majoris pœnitentiarii, ita ut extra forum pœnitentiæ penitus conquiescat & *in §. 12.* tolluntur facultates cardinalium & prælatorum signaturæ, gratiæ & decernitur, ut illius cardinales & prælati supplicationes & commissiones aliquas, etiamsi supplicantes parvas datas antea obtinuerint, signare non valeant, & officia eorum omnino cessare intelligantur. Hæc autem plane convincunt in generali dispositione prius facta *in §. 6.* quod collegium cardinalium nullam habeat

beat jurisdictionem in spectantibus ad Papam dum vivit, nullatenus fuisse comprehensas particulares congregationes cardinalium, alias enim opus non fuisset, illarum facultates limitare vel auferre, utpote quæ alias jam fuissent eis ex omni parte ademptæ.

Denique concordat responsioni datæ diuturna observantia sub secuta, nam creato novo Pontifice facultates congregationum non consueverunt renovari, sed fiunt congregationes, prout solebant vivente Pontifice; quod clare demonstrat eas facultates non exspirasse, alioquin opus esset nova concessione, quia Jurisdictio semel extincta, etiam causa extictionis cessante non reviviscit *l. qui res §. aream. ff. de solut. can quævis vers. non potest autem. de consecrat. dist. 4.*

Corollarium 1. Hæc quæstio exarsit anno 1644. Romana Ecclesia vacante per obitum sanctæ memoriæ Urbani VIII. & desuper consilium fuit petitum à sacro collegio cardinalium in conclavi existentium, ex ordine dato ad rotas R. P. D. Archi-episcopo Patracen. à secretis sacræ congregationis cardinalium negotiis & consultationibus episcoporum & regularium proposita.

9 Corollarium 2. Officium Vicarii Papæ ad vitam deputati, ut moris est, per Papæ obitum non extinguitur, quia habet jurisdictionem ordinariam. Gambar. *de authorit. legat. lib. 9. n. 48.* 2. Idem dicendum de officio camerarii & pœnitentiarii, ut probatur *ex d. clement. ne Romani §. eo tamen præciso. de Elect.* 3. Nec exspirat officium auditoris cameræ & mareschalli Pontifice vita functo, ut tenet glossa *in d. §. 10. eo tamen poviso. in verb. exspirare.* quia habent jurisdictionem ordinariam. secundum Hostiens. *in cap. quod de his. de sentent. excommunic.* & plures alios relatos à Petro Barbosa *in l. cum prætor. §. 1. num. 25. ff. de judic.* de auditore cameræ est expressum in Bulla Pii IV. quæ incipit: *ad Eximiæ §. 5.* ibi: *tua ordinaria authoritate. in Bullario tom. 2. pag. 48.* 3. Idem ex parte dici potest de auditoribus rotæ, quia illorum jurisdictio est ordinaria in procedendo, licet sit delegata in sententiando, ut notat glos. 1. *in clement. auditor. de de rescript.* Gambar. *dict. tractat. de offic. legat. lib. 6. n. 64.*

Quæres 3. *An jurisdictio Congregationum sede vacante Cardinalibus in Conclavi existentibus, debeat quiescere quoad causas & negotia, quæ in congregatione expediuntur per subscriptionem Cardinalis Præfecti, seu habentis sigillum.* 10

Resp. Affirmative. Ratio, quia *in cap. ubi periculum. §. idem quoque. de Elect. in 6.* præcipitur cardinalinalibus existentibus in conclavi, ut accelerandæ electioni summi Pontificis sic vacent attentius, ut se nequequam de alio negotio intromittant; & denuo excipiuntur tantum duo casus, id est urgentis necessitatis pro terra Ecclesiæ vel aliqua

ejus parte defendenda, & grandis periculi imminentis, quæ exceptio in aliis firmat regulam in contrarium, ita ut imminente electione Papæ, electores non debeant se ad alia convertere, nam pluribus intentus minor est ad singula sensus. *c. diversis. de Cleric. Conjug. l. nemo C. de Assess.* insuper *2. in d. c. ubi periculum.* prohibetur quicunque aditus seu accessus ad cardinales, missio nuntii vel litterarum etiam publicè, & vicissim non licet iisdem cardinalibus quemquam admittere, nisi vocatum de consensu omnium pro negotio electionis, ergo necessario sequitur, quod illis non liceat secretarios vel ministros audire, vel scripturas recipere, nec alia expedire negotia particularia congregationum, qua ad Papæ electionem non pertinent.

Corollarium. Negotia quæ in communi forma à solo secretario expediri solent vivente Pontifice, possunt similiter expediri ipso vita functo, quia ex his levibus & ordinariis, quæ à cardinalibus non per se ipsos sed per ministros expediri consueverunt, cessat omnino ratio prohibitionis, de qua *in d. cap. ubi periculum.* Videlicet ne electionis negotium protrahatur.

Corollarium 2. Ex his etiam deducitur, quod liceat cardinalibus tempore reclusionis in conclavi exercere jurisdictionem in suis titulis, non quidem per se ipsos, sed suos vicarios & ministros.

§. V.

QVIBUS MODIS EXSPIRET DIGNITAS CARDINALITIA?

SUMMARIA.

1. An Cardinales possint suæ dignitati renuntiare, & quinam? 2. Recenseutur Cardinales, qui cum consensu Pontificis abdicarunt Cardinalatum, & ad statum Laicalem sunt reversi. 3. An summus Pontifex sine consensu Cardinalium possit deponere Cardinalem? 4. Ponuntur objectiones.

Modi quibus desinit cardinalium dignitas, sunt mors, resignatio, depositio. quod morte extinguatur, dubitari nequit, quia mors omnia jura solvit. *c. 20. Novel. 22. de nupt.* Hinc

Quæres

1 Quæres 1. *An Cardinales possint suæ dignitati invito Pontifice renuntiare?*

Quæstio hæc dupliciter accipi potest, an nimirum cardinalis possit soli dignitati cardinalitiæ renuntiare, ita tamen, ut retineat statum ecclesiasticum; secundo an possit renunciare ita, ut ad statum laicalem rursus transire queat?

Quoad primam quæstionis partem affirmativa tenenda est, ex ea ratione, quod quilibet possit renuntiare favori, nisi alterius jus exinde lædatur aut versetur; at vero in renuntiatione tali alterius jus non læditur, cum cardinales præsertim presbyteri & diaconi nullum contrahant spirituale vinculum aut matrimonium. Ergo.

Quoad alteram partem quæstionis rursus distinctione opus est, an nimirum cardinalis, qui cupit suæ dignitati renuntiare, & statum laicalem amplecti, sit sacris ordinibus initiatus vel non? sacer ordo, si quem susceperit, omnino impedit, quin cardinalis sine summi Pontificis dispensatione possit ad laicatum reverti, ut habetur *per cap. 1. de Cleric. Conjug. clement. un. de consang. & affin.* quod si denique sacros ordines non habeat, quin ad laicatum reverti libere queat, nihil impedit *argum. c. 3. de cleric. conjugat.*

2 Interim Pontificem sæpius dispensasse cum Cardinalibus, quæ abdicato cælibatu ad statum Laicalem sunt reversi, abunde perhibent Historiæ; sic Henricus Lusitanus Emanuelis Regis Filius natu minor, natus ultimo Januarii anno 1552. Archi-episcopus Pragæ, Primas Hispaniæ, postea Archi-episcopus Lisbonensis, & denique primus Archi-episcopus Evorensis, a Paulo III. 1546. creatus cardinalis presbyter tituli quatuor coronatorum, postquam ex ejus fratre nepos Sebastianus Rex Portugalliæ, in Africa contra Æthiopes depugnans quarto Augusti eodem anno occubuisset, acceptavit sceptrum & regnum Portugalliæ, & tandem Pontifice consentiente creatus Rex; de quo tamen non reperitur, quod purpuram, pileum & dignitatem cardinalitiam a se abdicaverit, licet quidam meminerint eum intendisse matrimonium, dehortationibus tamen Caroli Porromæi acquiescentem destitisse a proposito, & regiminis sui mensibus 17. diebus, 5. annorum prope 78. obiisse anno 1580.

Postquam anno 1587. die nono Octob. Franciscus de Medices magnus Dux Florentinus sine hærede masculo obiisset, ejus frater Ferdinandus Mediceus natus anno 1550. & a Paulo IV. anno 1561. creatus cardinalis, cum consensu Sixti V. suscepit anno 1558. gubernaculum magni ducatus Florentini, abdicata purpura & cœlibatu ecclesiastico, in uxorem duxit die 30. Aprilis anno 1589. Christinam Ducis Lotharingi filiam, qui anno conjugii 21 & ætatis sexagesimo, die 7. Februarii anno 1609. obdormivit, post se relinquens quatuor filios & duas filias, secundus & quartus ejus filius Fran-

ciſcus & Laurentius obiverunt cœlibes, natu major magnus Dux Coſmus II. erat pater adhuc ſuperſtitis magni Ducis Ferdinandi II. tertius frater Carolus Mediceus creatus erat cardinalis a Paulo V. anno 1615. tandemque aſſumptus collegii cardinalitii Decanus, obiit ante annos 40.

Archidux Albertus Imperatoris Maximiliani filius quarto genitus, Rudolphi II. & Matthiæ frater, natus die 11. Octobris anno 1550; creatus a Pontifice cardinalis Diaconus titulo ſanctæ crucis in Hieruſalem, anno ætatis ſuæ decimo octavo a Philippo II. Hiſpaniarum rege anno 1534. denominatus Prorex Portugalliæ, & anno 1595. factus Archiepiſcopus Toletanus, nondum tamen conſecratus, fratri ſuo Archiduci Erneſto, Pro Regi in Belgiis mortuo anno 1595. ſucceſſit in adminiſtratione, & demum conſenſu Clementis VIII. anno 1595. pileum cardinalitium in æde B. Virginis Hallenſi depoſuit, ac Hiſpaniarum infantem Iſabellam Claram Eugeniam matrimonio ſibi junxit.

Ejusdem rei noviſſimum nobis præbet exemplum cardinalis Franciſcus Maria Medices, qui ſimiliter purpuram exuit, & in thori ſociam duxit Ludovicam ex principibus de Guaſtalla, à qua tamen eum mors brevi avulſit die 3. Febr. anno 1711.

5 Quæres 2. *An S. Pontifex poſſit inconſulto collegio cardinalium aliquem Cardinalem a dignitate deponere?*

Diſputat hanc quæſtionem in utramque partem Andreas Barbatia *tract. de præſtant. Cardinal. quæſt. 8. per tot.* & tandem concludit pro opinione negativa & *n 6.* pro ſe allegat Hoſtienſem *in cap. ex geſtis n. 1. de cleric. non reſid.* & alios authores quam plures, ex ea ratione, quia in dicto *cap. ex geſtis* legitur Anaſtaſius presbyter cardinalis tituli beati *Marcelli* ab omnibus canonice depoſitus, adeoque non a ſolo Papa. Interim

Reſp. Papam de honeſtate non debere cardinalem deponere ſine fratrum conſilio, quemadmodum nec alia ardua ſine horum conſilio expedire debet. *c. unic. de Schiſm. in 6.* ibi *de fratrum noſtrorum conſilio depoſuimus a cardinalatu &c.* adde *cap. ad Apoſtolicæ, de jurejur. in 6.* Dixi: de honeſtate, equidem de plenitudine poteſtatis Papa poteſt abſolute ardua expedire, cardinales deponere, ſine ulla requiſitione fratrum. Alexand. de Nævo *in c. ex geſtis. de cleric. non reſid. n. 11.* Decius *in rubric. de Conſtit. in 2. lect. n. 10.* Fagnanus *in dict. cap. ex geſtis, de cleric. non reſid. n. 3.*

Objicies *dict. cap. ex geſtis. de cleric. non reſid.* cardinalis Anaſtaſius fuit depoſitus ab omnibus in ſynodo, ergo ſolus Papa nequit deponere. Explico antec. fuit depoſitus ab omnibus: de neceſſitate N. de honeſtate C. vel fuit depoſitus ab omnibus approbantibus C. quaſi omnes depoſuiſſent, & non ſolus Pontifex id feciſſet. N. 4

quia

quia in ſummo pontifice, non autem in concilio reſidet plenitudo poteſtatis.

Objicies 2. *cap. per venerabilem §. rationibus, qui filii ſint legitimi.* Ubi Pontifex ait, plenam in temporalibus gerimus poteſtatem, nimirum quoad temporalia eccleſiæ. Ergo ſi pontifex plenam gerat poteſtatem, poterit ſine collegio cardinalium conſulto deponere cardinalem Diſt. Conſeq. ut ante, de plenitudine poteſtatis C. de congruentia & honeſtate N.

SECTIO II.

DE PATRIARCHIS, ARCHI-EPISCOPIS, ET EPISCOPIS IN GENERE.

§. I.

QVINAM DICANTUR PATRIARCHÆ, ET QVOTNAM SINT?

SUMMARIA.

1. An Patriarchæ ſint in dignitate præferendi Cardinalibus? 2. Patriarcha quis dicatur? 3. Patriarchæ alii ſunt principales, alii minus principales. 4. An ſit differentia inter Patriarchas & Primates? 5. Quinam hodiedum gaudeant titulo Primatum?

1 CArdinales velut ſummos in dignitate eccleſiaſtica poſt ſummum Pontificem Romanum excipiunt Patriarchæ, quamvis Petrus a monte *in ſua Monarchia concil. quæſt. 5. n. 2.* putaverit, quatuor ſedes Patriarchales de jure præferendas eſſe presbyteris cardinalibus; quia Alexander III. *in cap. conſtitutis. de appellat.* in ſupraſcriptione præponit Patriarchatum Grandenſem presbytero cardinali S. Vitalis, arguendo ab ordine literæ. Patriarchas tamen cardinalibus eſſe poſtponendos colligitur *ex cap. 14. de Elect.* olim tam patriar-

triarchas cardinalibus fuisse prælatos affirmat P. Engel §. 4. *in princ. de Major. & obed.* Imo patriarcha Hierosolymitanus, qui simul est canonicus in Basilica S. Petri Romæ sedet post canonicos ante illum receptos; teste Fagnano *in cap. postulastis. de Conceff. præbend. n. 28.*

2 Patriarcha græce *Summus* seu Princeps patrum appellatur, teste Isidoro *in can. cleros 1. verf. patriarcha dist. 21.*

3 Patriarchæ autem alii sunt Principales, alii minus principales. Principales olim fuerunt quatuor in ecclesia: Constantinopolitanus, Alexandrinus, Antiochenus, Hierosolymitanus; quorum tres posteriores quidem tempore sunt priores sunt, sed Constantinopolitanus primus nominatur, propter residentiam Imperatorum Græcorum in urbe Constantinopolitana. Minus Principales Patriarchæ dicuntur, qui inter latinos Romani Pontificis indulgentia, vel ex inveterata consuetudine patriarchale nomen sibi vindicant, tales sunt Patriarcha Aquileiensis, Venetus, Æthiopiæ,
4 & Indiarum.

Inter Patriarchas & Primates nullam esse diversitatem, licet diversa sint nomina probant *can. provinciæ 1. can. nulli. 2. dist. 99. cap. duo 9. de offic. jud. ordin.* id tamen intelligit Barbosa *de offic. & potestat. Episcop. cap. 6. n. 7. & seq.* de patriarchis minoribus & minus principalibus; eosque a primatibus non differre censet, agnoscit autem differentiam inter primates & patriarchas majores; equidem potestas patriarcharum majorum hæc erat, quod ordinarii haberentur omnium Archiepiscoporum & episcoporum sui districtus, atque ab his appellationes jure receperint, & crucem non tantum in suo patriarchatu, sicut Archi episcopi in sua provincia, sed ubique extra præsentiam summi Pontificis vel legati ejusdem a latere, præ se ferre potuerint. *cap. 23. clement. 2. de privilegiis.* sed postquam *venerunt gentes in hæreditatem Domini & polluerunt templum sanctum ejus psal. 78.* hi ipsi quatuor patriarchatus Christianorum manibus sunt ab infidelibus erepti. Vide P. Engel §. 4. *n. 24. de major. & obed.*

Primates, quos patriarchas minores textus *in can. 1. can. 2. dist. 99. cap. 9. de offic. jud.* vocant, sunt quidam Arhiepiscopi potentiores & majores Metropoles regentes, sed quod aliquis patriarha minor vel primas appelletur, nihil in effectu tribuit, sed tantum auget titulum, qualem tamen jurisdictionem patriarchæ latini defacto habeant, ex specialibus eorum privilegiis & consuetudine singulorum locorum petendum erit.

Titulum primatis sibi in Germa-5 nia olim vindicavit Archi-episcopus Magdeburgensis, titulo hoc in Archi-episcopatum Salisburgensem hodiedum translato. Primas audit in Hispania Archi-episcopus Toletanus, & in Lusitania Bracharensis; in Gallia hoc titulo sunt decorati

rati Archi episcopus Bituricensis, Lugdunensis, Arelatensis, Viennensis; in Italia Pisanus; in Polonia Gnesensis; in Hungaria Strigomensis. Wiestner *ad tit. de offic. judic. ordinarii n. 45.*

§. II.

DE JURE ARCHI-EPISCOPORUM.

SUMMARIA.

1. *Archi-Episcopi quinam dicantur?* 2. *Recensentur Episcopi Itali.* 3. *Episcopatus Sclavoniæ.* 4. *Poloniæ.* 5. *Scotiæ.* 6. *Angliæ.* 7. *Irrlandiæ.* 8. *Hungariæ.* 9. *Germaniæ.* 10. *Sueciæ & Daniæ.* 11. *In Belgio.* 12. *In Gallia.* 13. *In Portugallia.* 14. *In Indiis Orientalibus & Occidentalibus.* 15. *Archi-Episcopus in quo differat ab Episcopo?* 16. *An & quando habeat jurisdictionem in Episcopos non exemptos?* 17. *An Vicarius Archi-Episcopi possit exercere aliquam jurisdictionem contra Episcopos suffraganeos?* 18. *An Metropolitanus possit condere statuta pro tota Provincia?* 19. *An Metropolitanus habeat jus confirmandi Episcopos suffraganeos?* 20. *An habeat etiam jus consecrandi?* 21. *An Archi-Episcopus habeat jurisdictionem in subditos suorum suffraganeorum?* 22. *Ad Archi-Episcopum potest appellari.* 23. *An possit visitare provinciam.* 24. *Potest exercere jurisdictionem in subditos suffraganeorum, quando bonum totius provinciæ id exigit.* 25. *An & quando ut delegatus Papæ hanc jurisdictionem exercere possit?* 26. *An Jurisdictionem exercere possit, quando agitur causa criminalis inter Clericum & Episcopum?* 27. *Quando Episcopus est negligens in exercenda jurisdictione, an exercitium jurisdictionis devolvatur ad Archi-Episcopum?* 28. *Ponuntur objectiones.* 29. *An Archi-Episcopus possit in Diœcesi suffraganeorum conferre S. ordines, dedicare Ecclesias: &c.* 30. *An possit absolvere excommunicatum ab Episcopo suffraganeo?* 31. *In quo loco possit exercere jurisdictionem in subditos suffraganei?* 32. *Quid sit pallium Archi-Episcopale?* 33. *Pallii figura quæ sit?* 34. *A quo possit conferri?* 35. *Quibus pallium concedatur?* 36. *Intra quod tempus sit petendum, & qua forma tradendum?* 37. *In quo loco & quando licitum sit uti pallio?* 38. *Archi-Episcopus nequit uti pallio in Ecclesiis alienæ provinciæ:* 39. *Neque in sua Provincia extra Ecclesiam.* 40. *Neque extra missarum solennia* 41. *Non nisi certis diebus & quibus?* 42. *Archi-Episcopus quid juris consequatur per traditionem palli?* 43. *An pallium transeat ad alios?* 44. *Quid juris quoad pallium, si Archi-Episcopus transferatur ad aliam Ecclesiam?*

Archi-

1 *Archi episcopi* ex ipso nomine Principes seu Primi episcoporum, archos enim græce primum vel principem sonat, dicuntur etiam alio vocabulo *Metropolitani* a multitudine civitatum seu diœcesium, quas sub se habent. *can. Cleros 1. §. ordo episcoporum. dist. 21,* & ibi *gloss. vers. in mensura.* & quamvis *in dicto can. cleros* videatur aliqua esse differentia inter Archi - episcopum & Metropolitanum, communis tamen est opinio nullam esse differentiam, nisi forte alicubi reperiatur Archi-episcopus, qui nullum sub se Archi-episcopum suffraganeum habeat, hic enim Archi-episcopus, non vero Metropolitanus, & Archi-episcopus potius titularis quam verus dicendus esset. P. Engel. *loc. cit. n. 25.*

Porro dum describo Archi-episcopos in genere, lubet hic opponere Archi-episcopatus & episcopatus, quos Romana ecclesia vel tenuit, vel adhuc obtinet; equidem de Archi-episcopatibus & episcopatibus vel extinctis vel adhuc residuis in Germania, eorumque insignibus ac excellentibus prærogativis & præeminentiis, infra in particulari dicetur. Seriem accipe sequentem.

2 *In statu ecclesiæ Romanæ & campania, Pontifici immediate subsunt episcopatus.*

1. Tivoli, Tiburtinus, 2. Anagni, Anagninus, 3. Segni, Segninus 4. Ferentino, Ferentinus, 5. Alatro, Alatrinus, 6. Nepi, Nepesinus, & Sutri, Sutrinus sunt uniti, 7. Viterbo, Viterbinus, 8. Toscanella, Toscanensis. 9. Veruli, Verulanus. 10. Orti, Hortanus, 11 Civita Castellana, Civitatis Castellanæ, 12. Volaterra, Volaterranus, & Luca, Lucanus, sunt uniti, 13. Lune & Sarzana, Lunensis & Sarzanensis, 14. Montepoliano, Politianensis, 15. Sora, Soranus, 16. Fondi, Fondanus, 17. Caeta, Cajetanus, 18. Terracina, Terracinensis.

In Umbria & Marchia Anconitana.

1. Bagnarea, Balneo Regiensis, 2. Orvieto, Urbevetanus, 3. Perugia, Perusinus, 4. Citta di Castello, Civitatis Castelli, 5. Spoleto, Spoletanus, 6. Assisii, Assisiensis, 7 Fulgano, Fulginatensis, 8. Nocera, Nocerinus, 9. Rieti, Reatinus, 10. Todi, Todertinus, 11. Ameria, Amerinus, 12. Narni, Narniensis, 13. Terni, Interramnensis, 14. Loreto, Lauretanus, 15. Recanati, Recanatensis, 16. Ancona, Aconitanus, 17. Jesi, Esinus, 18. Camerino, Camerinus, 19. Osmo, Auximanensis, 20. Fano, Fanensis, 21. Ascoli, Asculanus.

Episcopatus sex seniorum Cardinalium.

1. Ostia, Ostiensis, & Veletri, Veltriensis, sunt uniti, 2. Porto, Portuensis, 3. Frescati, Tusculanus, 4. Sabina, Sabinensis. 5. Palestrina, Prænestinus, 6. Albano Albanensis.

Archiepiscopatus in Toscano, Corsica & Territorio Genuensi.

Archi-episcopatus *Pisanus*, hujus suffraganei episcopatus sunt

1, Ajazza

1. Ajazza, Adjacensis. 2. Alteria Alterienſis. 3. Sagona, Sagonienſis, hi tres epiſcopatus ſunt in Inſula Corſica.

Archi-epiſcopatus *Florentinus*, ejus epiſcopatus ſuffraganei ſunt: Fieſola, Feſulanus. 2. Piſtoria, Piſtorienſis. 3. Arezzo, Aretinus. 4 Colle, Collenſis. 5. Burgo S. ſepulchro, Burgi ſancti ſepulchri.

Archi-epiſcopatus *Siena*, huic ſubſunt: 1. Suana, Suanenſis, 2. Chiuſi, Cluſinus. 3. Groſſeto, Groſſetanus. 4. Maſſa, Maſſanus. 5. Montalino, Ilcinenſis. 6. Pienza, Pientinus.

Archi-epiſcopatus *Genuenſis*, huic ſubſunt epiſcopatus ſuffraganei: 1. Bobio, Bobienſis. 2. Alberiga, Albiganenſis. 3. Noli, Naulenſis. 4. Nebia, Nebienſis. 5. Mariano, Marianenſis. 6. Accia, Accienſis. qui tres poſteriores ſunt in Inſula Corſica.

Archi-epiſcopatus *Taurinus*, cui ſubſunt Epiſcopatus ſuffraganei: 1. Mondovi, Montis Regalis. 2. Caſale, Caſalenſis. 3. Saluzzo, Salutiatumenſis.

Archi-epiſcopatus *Milanus*, ſive Mediolanenſis, cujus Epiſcopatus ſuffraganei ſunt: 1. Bergamo, Bergamenſis. 2. Alba, Albanenſis. 3. Vercelli, Vercellenſis. 4 Cremona, Cremonenſis. 5. Savona, Savonenſis. 6. Vintimiglia, Vintimiglienſis. 7. Aichqui, Aquenſis. 8 Breſcia, Brixienſis. 9. Aſte, Novarienſis. 10. Lodi, Ludenſis. 11. Alexandria, Alexandrinus. 12. Tortona, Tortonenſis. 13. Ivrea, Ippo Regienſis. 14. Pavia, Papienſis, exemptus.

In Marchia Anconitana.

Archi-Epiſcopatus *Fermo*, Firmianus, ſubſunt ei Epiſcopatus ſuffraganei: 1. Macerata, Maceratenſis. 2. Tolentino, Tolentinenſis. 3. Ripa Tranſona, Ripanenſis. 4. Montalto, Montis alti. 5. S. Severino, Sancti Severini.

In Romandiola & Lombardia, &c.

Archi-epiſcopatus *Urbino* ſive Urbinus, cujus ſuffraganeatus ſunt: 1. Piſaro, Piſaurienſis. 2. Agubbio, Eugubinus. 3. Foſſambrano, Foroſempronienſis. 4. Senigaglia, Senogallenſis. 5. Cagli, Callienſis. 6. Montefeltro, Fereltanus.

Archi-epiſcopatus *Ravenna*, ſive Ravennatenſis, cujus ſuffraganeatus ſunt: 1. Adria, Adrienſis. 2. Commachio, Comaclenſis. 3 Forli, Forolivienſis. 4. Forimpopolo, Foropompilienſis. 5. Ceſena, Cæſenatenſis. 6. Sarſina, Sarſinatenſis. 7 Faenza, Faventinus. 8. Bartinoro, Britonorienſis. 9. Ferrara, Ferrarienſis. 10. Rimini, Ariminenſis. 11. Imola, Imolenſis. 12. Cervia, Cervienſis.

Archi-epiſcopatus, *Bologna* ſive Bononienſis, olim ſubjectus erat Ravennatenſi Archi-epiſcopatui, ſed anno 1586. erectus erat in Archi-epiſcopatum, cujus ſuffraganeatus ſunt: 1. Piacenza, Placentinus. 2. Parma, Parmenſis. 3. Reggio, Rhegienſis. 4. Modena, Mutinenſis.

5. Crema, Cremensis. 6 Burgo S. Domino, Burgi S. Domini.

In Dalmatia.

Patriarchatus *Aquileia*, sive Aquilegiensis, cujus episcopatus suffraganei sunt: 1. Mantua, Mantuanus. 2. Como, Comensis. 3. Trento, Tridentinus. 4. Verona, Veronensis. 5. Padua, Patavinus. 6. Vicenza, Vicentinus. 7. Trevisi, Tarvisinus. 8. Concordia, Concordiensis. 9. Ceneta, Cenetensis. 10. Feltro, Feltriensis. 11. Cividal de Belluno, Bellunensis. 12. Polla, Polensis. 13. Parenzo, Parentinus. 14. Trieste, Tergestinus. 15. Capo d' Istria, Justinapolitanus.

In Istria Patriarchatus, Grado sive Gradensis.

Hic Patriarchatus erectus erat aano 1456. hujus episcopatus suffraganei sunt: 1. Chiozza, Clodiensis. 2. Citta Nova, Civitatis Novæ. 3. Torcello, Torcellanus. 4. Caurli, Caprulienſis.

In regno Neapolitano, & quidem in terra laboris.

Archi-episcopatus *Neapolitanus*, cujus suffraganeatus sunt: 1. Pozzuolo, Puteolanus. 2. Nola, Nolanus. 3. la Cerra, Acerranus. 4. Ischia, Iselanus. 5. Aversa, Aversanus.

Archi-episcopatus *Capuanus* sive Capua, cujus suffraganei sunt: 1. Episcopatus Theano, Theanensis. 2. Calvi, Calvensis. 3. Caserta, Casertanus. 4. Cajazzo, Cajacensis. 5. Carinola, Carinolensis. 6. Isernia, Isernienſis. 7. Sessa, Suesanus. 8. Aquina, Aquinatensis. 3. Monte Cassino, Cassinensis.

Archi-episcopatus *Salerno*, sive Salernitanus, hujus suffraganei sunt: 1. Campagna, Campanienſis. 2. Capaccio, Caputaquensis. 3. Policastro. Policastrensis. 4. Nusco, Nuscanus. 5. Acerno, Acernensis. 6. Sarno, Sarnensis. 7. Marsico, Marsicensis. 8. La Cava, Cavensis. 9. Nocera de Pagani, Nucerinus.

Archi-episcopatus *Amalfi*, sive Amalfitanus, huic subsunt suffraganeatus: 1. Episcopatus Lettere, Literensis. 2 Scala, Scalacensis. 3. Capri, Capritanus. 4 Minori, Minorensis. 5. Ravello, Ravellensis.

Archi-episcopatus *Surrento* sive Surrentanus, complectitur suffraganeatus 1. Vico Equense, Vicanum episcopatum. 2. Massa, Massalubrensem. 3. Castella mare, Castri maris.

Archi-episcopatus *Benevento* sive Beneventanus, sub se habet episcopatus suffraganeos: 1. Ascoli, Ascolanum. 2. Theleſe, Thelesinum. 3. S. Agatha, S. Agathæ. 4. Monte Verde, Monte-Viridem. 5. Alife, Aliphanum. 6. Monte Marano Montis Marini. 7. Avelino, Avellinum. 8. Frigento, Frequentinum. 9. Trivico, Trivicanum. 10. Ariano, Arianensem. 11. Bojano, Bojanensem. 12. Bovino, Bovienſem. 13. Lesina, Lesinensem. 14. Voltorara, Vulturarienſem. 15. Larino, Larinensem. 16. Termuli, Termulanum. 17. S. Severo, S. Severi. 18. la Guardia Arferia, Guardienſem. 19. Lucera, Lucerinum. 20. Troja,

Troja, Trojanum. Præterea venit: Archi-episcopatus *Lanciano*, sive Lancianus, qui tamen nullum habet sub se suffraganeum.

Archi episcopatus *Civita de Chieti* sive Theatinus, ad hanc dignitatem evectus est anno 1506. cujus suffraganeatus sunt: Ortonati, Ortonensis. 2. Campli, Camplensis. 3. Civita di Penna, Civitatis Pennæ. 4. Atri, Adrienſis. 5. Aquila, Aquilanus. 6. Valva, Valvensis. 8. Sulmona, Sulmonensis. 9. Teramo, Aprutinus 10. Civita Ducale, Civitatis Ducalis. 11. Marsi, Marsicensis.

In Apulia.

Archi-episcopatus *Conza*, sive Compzanus, huic subsunt suffraganei episcopatus: 1. Muro, Muranus. 2. Satriano, Sarianensis. 3. Campagna, Campanienſis. 4. Lacodognia, Laquedonensis. 5. S. Angelo di Lombardi, S. Angeli Lombardorũ. 6 Bisacia, Basacienſis.

Archi episcopatus *Acerenza* & Matera sive Acherontinus & Materanensis, habet sub se episcopatus suffraganeos: 1. Venosa, Venusinum. 2. Anglona sive Anglonensem, translatus est hic Tursinum, unde hodiedum vocatur Tursinus. 3. Potenza, Potentinum. 4. Gravina, Gravinensem. 5. Tricarico, Tricaricensem.

Archi-episcopatus *Taranto*, Tarantinus, cui subsunt: 1 Episcopatus Motula, Motulensis. 2. Castellaneta, Castellanatensis. 3. Oria, Oritanus.

Archi-episcopatus *Brunduſi*, Brunduſinus, cujus suffraganeatus sunt: 1. Ostuni, Ostunensis. 2. Nardo, Neritonensis. 3. Monopoli, Monopolitanus.

Archi-episcopatus *Otranto*, cujus suffraganei episcopatus sunt: 1. Castro, Castrensis. 2. Gallipoli, Galipolitanus. 3. Ugento, Ugentinus. 4. Lecce, Lycienſis. 5. Alessano, Alessanensis.

Archi-episcopatus *Bari*, Barensis, cui subsunt: 1. episcopatus Bitonto, Bituntinus. 2. Molfetta, Melphitensis. 3. Giovenazzo, Juvenacensis. 4. Ruvo, Rubensis. 5. Polignano, Polignanensis. 6. Mondorvino, Minerbienensis. 7. Conversano, Conversanus. 8. Bitetto, Bitettenus. 9. Andri, Andrienſis. 10. Bisceglia, Vigilienſis.

Archi-episcopatus *Trani* sive Tranensis, hujus suffragenatus sunt: 1. Episcopatus Montepeloso, Montis Pelusi. 2. Alessano, Alessenensis. 3. Rapollo, Rappallensis.

Archi-episcopatus *Monfredonia* vel Sypontinus, hujus suffraganeatus sunt: 1. Vieste, Vestanus. 2. Melphi, Melphienſis.

Archi-episcopatus *Nazareth*, Nazarenus, est solum titularis, ejus ecclesia est in Castro Bartoli, Diœceseos Tranensis.

In Calabria.

Archi-episcopatus *Reggio*, cujus suffraganeatus sunt: 1 episcopatus Catenzaro, Cathacensis. 2. Cotroni, Cotronensis. 3. Tropia, Tropienſis. 4. Oppido, Oppidensis 5. Bova, Bovienſis. 6. Geraci, Hieracensis. 7. Squillace, Squillacensis. 8. Ni-

castro, NeoCastrensis. 9. Nicoterra, Nicoterensis.

Archi-episcopatus *Cosenza*, cui subsunt: 1. episcopatus Martarono, Maturanensis. 2. Cassano, Cassanensis. 3. Melito, Melitensis. 4. S. Marco, S. Marci.

Archi-episcopatus *Rossano*, Rossanensis, nullum sub se habet suffraganeum, sed Episcopatus Bisignano, Bisagnensis est exemptus.

Archi-episcopatus *S. Severino* habet suffraganeatus: 1. Episcopatum Umbriatico, Umbriaticensem. 2. Strangoli, Strangulensem. 3. Isola, Insulanum. 4. Carcati, Cariatensem. 5. Bel Castro, Bellicastrensem.

In Sicilia.

Archi-episcopatus *Palermo* Panormitanus, cujus suffraganei sunt: 1. Gergente, Agrigentinus. 2. Mazara, Macariensis. 3. Malta, Melevitanus.

Archi-episcopatus *Monreale*, Montis Realis suffraganeatus habet: 1. Episcopatum Siracusa, Siracusanum. 2. Cathania, Cathaniensem.

Archi-episcopatus *Messina*, Messanensis habet suffraganeatus: 1. Episcopatum Cefalu, Cephaludensem. 2. Patti, Pactensem. 3. Lipari, Liparensem.

In Sardinia.

Archi-episcopatus *Torre*, Turritanus, cujus suffraganei sunt: 1. Episcopatus Alguer, Algarensis. 2. Bossa, Bossanensis. 3. Amphuria, Ampuriensis.

Archi-episcopatus *Arborem*, Arborensis, unicum habet episcopatum suffraganeum, scilict Ales, Usselensem.

Archi-episcopatus *Calari*, Calaritanus, nullum habet suffraganeum.

In Sclavonia.

Archi-episcopatus *Antivari*, Antibarensis, sub quo sunt suffraganei episcopatus: 1. Stephani, Stephanensis. 2. Benda, Bodonensis. 3. Albano, Aulanensis. 4. Alessio, Alexiensis. 5. Scutari, Scordensis. 6. Brisina, Prozrinensis. 7. Soffia, Sardicensis. 8. Buda, Buduanensis. 9. Dulcingo, Dulcinensis. 10. Drivaste, Drivastensis. 11. Suacino, Suacinensis. 12. Bollastro, Bollastrensis. 13. Sierbo, Sierbiensis.

Archi-episcopatus Ragusi, sub quo sunt episcopatus suffraganei: 1. Stagno, Stagnensis. 2. Marcana, Mercanensis. 3. Trebina, Trebinensis. 4. Risano, Rosonensis. 5. Corzola, Corzolensis. 6. Cattaro, Cartarensis. 7. Gazzala, Garzalensis.

Archi-episcopatus *Spalatro*, cujus suffraganei episcopatus sunt: 1. Lesina, Pharensis. 2. Trau, Tragurensis. 3. Sibenico, Sibenicensis. 4 Segna, Segnensis. 5. Scardona, Scardonensis. 6. Bosna, Bosnensis. 7 Semederevo, Samadiensis. 8. Modrussa, Modrisiensis. 9. Corbavia, Corbavensis. 10. Dmunoet, Damnensis. 11. Macarsa, Macorensis.

Archi.

Archi-episcopatus *Zara*, Jadrensis, episcopatus suffraganeos sub se habet: 1. Arbe, Arbensem. 2. Veglia, Veglianensem. 3. Ossara, Auxatensem. 4. None, Nonensem.

Archi-episcopatus *Durazzo*, Dinclicensis, suos suffraganeatus amisit, sitos & subjectos Turcicæ servituti.

In Polonia.

4 Archi-episcopatus *Gnesensis*, sub quo suffraganei episcopatus sunt: 1. Cracau, Cracoviensis. 2. Uladislau, Uladislaviensis. 3. Posen, Posnanienſis. 4. Culm, Culmensis. 5. Vilna, Vilnensis. 6. Plotzco, Plocensis. 7. Varmien, Varmiensis. 8. Samogitien, Mednicensis, in Samogitia.

Archi-episcopatus *Lemberg*, Leopolienſis, sub quo sunt episcopatus: 1. Chelm, Chelmiensis. 2. Camminiek, Camenecensis. 3. Premislau, Præmisiensis. 4. Lucorien, Lucorienſis. 5. Kiov, Kiovienſis. 6. Pinsko, Pinscensis.

In Scotia.

5 Archi-episcopatus *S. Andrews*, S. Andreæ, cujus suffraganeatus sunt: 1. Dunkeld, Dunkeldensis. 2. Aberton, Abertonensis. 3. Moray, Moravienſis. 4. Dumblanc, Dumblanensis. 5. Brechin, Brechinensis. 6. Rosse, Rossensis. 7. Cathens, Cathanensis. 8 Orcknay, Orcadensis.

Archiepiscopatus *Glascow*, Glascovensis, cujus suffraganei episcopatus sunt: 1. Gallovay, Gallovidiæ. 2. Argyle, Argadiæ. 3. Of the Iles, Sodorensis.

In Anglia antequam a fide Catholica 6 *defecerat.*

Archi-episcopatus *Canterbury*, Cantuarienſis, cujus præsul semper debet esse Benedictinus, ejusque episcopatus suffraganei sunt: 1. London, Londinensis. 2. Ely, Elienſis. 3. Lichfeld, Lichfeldiensis. 4. Wincheſter, Vindonienſis. 5. Lincolne, Linconienſis. 6. Conventry, Conventrienſis. 7. Salisbury, Salisburgenſis. 8. Uvelles, Uvellensis. 9. Norvvich, Nordovicensis. 10. Hereford, Herefordiensis. 11. Rocheſter, Roffensis. 12. Gloceſtre, Gloceſtrenſis. 13. Briſtol, Briſtolienſis. 14. Landaff. Landaffensis. 15. S. Asſaph, Asſaphensis. 16. Bathe, Bathonienſis. 17. Exceter Exonienſis. 18. Uvorceter, Vigornienſis. 19 Chicheſter, Chiceſtrenſis. 20. Oxford, Oxonienſis. 21 Peterborough, Petriburgenſis. 22. S. David, S. Davidis. 23. Bamgor, Bamgorienſis.

Archi-episcopatus *Yorck*, sive Eboracensis habuit sub se episcopatus suffraganeos: 1. Durham, Durnelmenſem. 2. Cheſter, Ceſtrenſem. 3. Carlile, Carleolenſem.

In Irrlandia.

Archi-episcopatus Armagh sive 7 Ardmaghcensis, sub quo fuerunt episcopatus suffraganei: 1. Midhe, Medensis. 2. Cluaines, Cluanensis. 3. Clochar, Clocharienſis. 4. Doire, Derensis, 5. Cilmhorr,

Cilmorenſis. 6. Ardach, Ardachenſis. 7. Rathbogh, Rapotenſis.

In Hungaria.

8 Archi-epiſcopatus Gran Strigonienſis, cujus ſuffraganei ſunt: 1. Epiſcopatus Erla, Agrienſis. 2. Waitzen, Varienſis. 3. Neutra, Nitrienſis. 4. Raab, Jaurinus.

Archi-epiſcopatus Colotza cujus ſuffraganeatus ſunt: 1. Agra, Zagrabienſis. 2. Grosvaradein, Varadinenſis. 3. Bozno, Boſnenſis. 4. Chianad, Chianadienſis. 5. Szeren, Sirmienſis. Et

In Transſylvania.

1. Weiſſenburg, Albæ Juliæ. 2. Hermannſtatt, Cibinienſis. 3. Tinnini, Tinnienſis.

In Germania.

9 Archi-epiſcopatus *Mayntz*, Moguntinus, cujus ſuffraganei ſunt 1. Epiſcopatus Aichſtett, Aichſtadienſis. 2. Würtzburg, Herbipolenſis. 3. Hildesheim, Hildeſienſis. 4. Coſtnitz, Conſtantienſis. 5. Cur, Curcenſis. 6. Paderborn, Paderbornenſis. 7. Strasburg, Argentoratenſis. 8. Worms, Wormatienſis. 9. Speyr, Spirenſis. 10. Augſpurg, Auguſtanus. Porro 11. Bamberg, Bambergenſis, epiſcopatus eſt exemptus. 12. Halberſtatt, Halberſtadienſis, antequam ſæcularizatus.

Archi-epiſcopatus *Trier*, Trevirenſis, cujus ſuffraganeatus ſunt: 1. Metz, Metenſis. 2. Tull, Tullenſis. 3. Verdun, Verdunenſis.

Archi-epiſcopatus Cölln, Colonienſis, cujus ſuffraganei ſunt: 1. Epiſcopatus Lüttig, Leodienſis. 2. Münſter, Monaſterienſis. 3. Osnabrug, Osnabrugenſis. 4. Minden, Mindenſis, antequam fuerit ſæcularizatus.

Archi-epiſcopatus *Magdeburgenſis*, antequam fuerit ſæcularizatus, cujus ſuffraganei erant: 1. Epiſcopatus Havelburg, Halverburgenſis. 2. Brandenburg, Brandenburgenſis. 3. Merſeburg, Martisburgenſis. 4. Naumburgenſis.

Archi-epiſcopatus *Salisburgenſis*, cujus ſuffraganeatus ſunt: 1. Epiſcopatus Regenſpurg, Ratisbonenſis. 2. Paſſau, Paſſavienſis. 3. Neuſtatt, Neoſtadienſis. 4. Freiſingen, Friſingenſis. 5. Brixen, Brixienſis. 6. Wien, Viennenſis. 7. Gurck, Gurcenſis. 8. Lavant, Lavantinus. 9. Secau, Secovienſis. 10. Chiemſee, Chiemenſis.

Archiepiſcopatus *Bremen*, Bremenſis, antequam ad manus ſeculares devolveretur, cujus ſuffraganeatus erant: 1. Epiſcopatus Schlesvvick, Schleſvvicenſis. 2. Ratzeburg, Ratzeburgenſis. 3. Lübeck, Lubecenſis. 4. Svverin, Schvverinenſis. 5. Lebus. 6. Camin.

Archi-epiſcopatus *Beſançon*, cujus ſuffraganei epiſcopatus ſunt: 1. Baſel, Baſileenſis. 2. Loſanne, Loſannenſis. 3. Bellay en Breſſe.

Archi-epiſcopatus *Tarantaiſe*, in Burgundia, cujus ſuffraganeatus ſunt: 1. Sedun, Sedunenſis. 2. Oſta, Auguſtanus.

Archi-

Archi-episcapatus Pragensis in Bohemia, cujus suffraganeatus sunt: 1. Olmütz, Ollmucensis. 2. Leutmeriz, Litomerienſis. 3. Königsgraz, Reginæ Gradecienſis. 4. Breslau, Vratislavienſis est exemptus.

In Suecia.

10 Antequam a fide Catholica recesserat Archi-episcopatus *Upsalensis*, cujus suffraganeatus erant: 1. Sara, 2. Lincöping. 3. Arosien. 4. Strengnes. 5. Abo. 6. Westeras. 7. Wexio. 8. Wiburg. 9. Reval.

In Dania

Erant Episcopatus: 1. Rotschilds, 2. Ottensee. 3. Ripen. 4. Wiburg. 5. Arrhusen. 6. Allburg.

In Norvvegia

Erant Archi-episcopatus *Drontheim* Nidrosienſis, cujus suffraganeatus erat 1. Episcopatus Bergen. 2. Staffanger. 3. Hamar. 4. Anslo. 5. Holand 6. Hoccad. 7. Gronland. 8. Scalholt in Islandia.

In Belgio.

11 Archi-episcopatus *Cambray*, Cameracensis, cujus suffraganei sunt: 1. Episcopatus Arras Atrebatensis. 2 Tournay, Tornacensis. 3. Namur, Namurcensis. 4. S. Omer.

Archiepiscopatus *Utrecht*, Ultrajectensis, cujus suffraganeatus sunt: 1. Harlem. 2. Deventer. 3. Leuvvarden. 4. Groningen. 5. Mittelburg, omnes tamen hodie possidentur a reformatis.

Archi-episcopatus *Mecheln*, Mechlinensis, cujus suffraganeatus sunt: 1. Antvverpen, Antvverpiensis, 2. Gent, Gandavensis, 3. Bruggensis. 4. Ipern, Iprensis. 5. Bolons. 6. Ruremond, Ruremundanus.

In Gallia.

Archiepiscopatus *Lion*, Lugdu- 12
nensis, cujus suffragineatus sunt: 1. Autun, Augustodinensis. 2. Langres, Lingonensis. 3. Macon, Matisconensis. 4. Chalonsaone, Cabillonensis.

Archi-episcopatus *Sens*, Senonensis, cujus suffraganei episcopatus sunt: 1. Troges, Trecensis. 2. Auxerre, Antiosiodorensis. 3. Orleans, Aurelianensis. 4 Nevers, Nivernensis. 5. Chartres, Charnotensis. 6. Meaux, Meldensis.

Archi episcopatus *Bordeaux*, Burdegalensis, cui subsunt episcopatus suffraganei: 1. Agen, Agensis. 2. Sainctes, Sanctonensis. 3. Perigueux, Petracorienſis. 4. Mallezes, Maleacensis. 5. Sarlat, Sarlatensis. 6. Poitiers, Pictavienſis. 7. Angoulesme, Engolismensis. 8. Condom, Condomensis. 9. Lucon, Lucionensis. 10. Rochelle, Ruppellanus.

Archi-episcopatus *Arles*, Arelatensis, cujus suffraganei episcopatus sunt: 1 Marseilles, Massilienſis. 2. Tricastin, Tricastienſis. 3. Orange, Arausionensis. 4. Toulon, Tolonienſis.

Archi-episcopatus *Aix*, Aquensis, cui subsunt: 1. Episcopatus Apt, Aptensis. 2. Ries, Regensis. 3. Frejuls, Forojulicensis. 4. Cisteron, Sistaricensis. 5. Gap, Vapincensis.

Archi-episcopatus *Vienne*, Viennensis, sub se habet episcopatus:

1. Va-

1. Valence, Valentinum. 2. Geneve, Genevenſem. 3. Grenoble, Gratianopolitanum. 4. Vivarai, Vivarienſem. 5. Die, Dieſenenſem. 6. Mauremie, Maurianenſem.

Archi-epiſcopatus *Ambrun*, Ebredunenſis ſuffraganeatus habet: 1. Epiſcopatum Digne, Dignenſem. 2. Graſſe, Gaſſenſem. 3. Senez, Senetenſem. 4. Nice, Nicienſem. 5. Glandeſve, Glandevenſem. 6. S. Paul de Vence, Vencienſem.

Archi epiſcopatus *Avignon*, Avenionenſis, ſub quo ſunt ſuffraganei epiſcopatus: 1. Carpentras, Carpentoractenſis. 2. Cavillon du Contat, Cabellionenſis. 3. Vaiſon, Vaſionenſis.

Archi-epiſcopatus *Remenſis*, cujus ſuffraganeatus ſunt: 1. Epiſcopatus Soiſon, Sueſſionenſis. 2. Chalon ſur Maine, Catalonenſis. 3. Senlis, Silvanetenſis. 4. Tournay, Tornacenſis. 5. Amiens, Ambianenſis. 6. Novion, Novionenſis. 6. Laon, Landunenſis. 8. Boulogne, Bononienſis. 9. Teroane, Morinenſis. 10. Beauvais Belluacenſis. 11. Artois, Atrebatenſis.

Archi-epiſcopatus *Rouen*, Rhotomagenſis, ſub quo ſunt: 1. Epiſcopatus Bajeux, Bajocenſis. 2. Auranches, Abricenſis. 3. Liſieux, Lexovienſis. 4. Eureux, Ebriacenſis. 5. Sais, Sagienſis. 6. Contanees, Conſtantienſis.

Archi-epiſcopatus *Tours*, Turonenſis, cujus ſuffraganeatus ſunt: 1. Mans, Cenomanenſis. 2. Rennes, Redonenſis. 3. Cornovaille, Curiſopitenſis. 4. S. Malo Maclovienſis. 5. Triguier, Trecorenſis. 6. Dol, Dolenſis. 7. Angers, Andeguavenſis. 8 Nantes, Nannetenſis. 9. Vennes, Vennetenſis. 10. Brieu, Briocenſis. 11. S. Paul de Leon, Leonenſis.

Archi epiſcopatus *Bourgues*, Bituricenſis, cui ſubſunt: Epiſcopatus Clairmont en Auvergne, Claromontanus. 2. Rodez, Rutenſis. 3. Limoges, Lamovicenſis. 4. Alby, Altenſis. 5. Vaures, Vavrenſis. 6. S. Flor, S. Flori. 7. Cahors, Cafurcenſis. 8. Mende de Guivauldan, Mimatenſis. 9. Caſtre, Caſtrenſis. 10. Tulles, Tutellenſis. 11. Le Pye en Auvergne eſt exemptus.

Archi-epiſcopatus *Aux*, Auxitanus, qui ſub ſe habet ſuffraganeos epiſcopatus: 1. Letoure, Lectoratenſem. 2. S. Leger de Conferans, Conferanum. 3. Oltron en Bearn, Olorenſem. 4. Bajonne, Bajonnenſem. 5. S. Bertrand de Cominges, Convenienſem. 6. Tarbe, Tarbenſem. 7. Baſſas, Vaſatenſem. 8. Arien, Adurenſem.

Archi-epiſcopatus *Narbonne*, Narbonenſis, cui ſubordinati ſunt: 1. Epiſcopatus Carcaſſone, Carcaſſonenſis. 2. Beſiers, Britercenſis. 3 Agde, Agathenſis. 4. S. Pont, S. Pontis. 5. Alet, Alectenſis. 6. Lodeve, Ledovenſis. 7. Niſme, Nemauſenſis. 8. Uſez, Utizenſis. 9. Montpellier, Montis Peſſullani.

Archi-

Archi episcopatus *Toulouse*, Tolosanus, ad quem pertinent suffraganei episcopatus: Mirepoix, Mirapicensis. 2. Montalbano, Montalbanensis. 3. Vaure, Vaurenensis. 4. Lombes, Lombariensis. 5. S. Paul, S. Pauli. 6. Appanes, Appaniarum.

Archi-episcopatus *Paris*, Parisiensis, cui subjiciuntur: 1. Episcopatus Blois, Blesensis. 2. Chartres, Carnutensis. 3. Meaux, Meldensis. 4. Orleans, Aurelianenensis, qui suffraganei episcopatus ab aliis Archi-episcopatibus, quibus suberant, sunt avulsi.

In Hispania.

Archi-episcopatus *Toledo*, Toletanus, cujus suffraganeatus sunt: 1. Episcopatus Cordua, Cordubensis. 2. Avila, Avilensis. 3. Cuenca, Conchensis. 4. Murcia, Carthaginensis. 5. Osma, Osomensis. 6. Seguenca, Seguntinensis. 7. Jaen, Jaensis. 8. Segobia, Segobiensis. 9. Valladolid, Vallisoletanus.

Archi-episcopatus *Tarracona*, Tarraconensis, sub quo sunt episcopatus: 1. Barcellona, Barcinonensis. 2. Girona, Gironensis. 3. Elna, Elnensis. 4. Vick, Vicensis. 5. Solsona, Celsonensis. 6. Urgel, Urgellensis. 7. Lerida, Ilerdensis. 8. Tortosa, Dertusensis.

Archi-episcopatus *Sevilla*, Hispalensis, cui subsunt: 1. Episcopatus Malaga, Malacitanensis. 2. Cadix, Gaditanus. 3. Canaria.

Archi-episcopatus *Sant Jago*, Compostellanus, in Gallicia, cujus suffraganeatus sunt: 1. Episcopatus Tuis. 2. Salamanca. 3. Coria. 4. Zamora. 5. Orense. 6. Badajoz. 7. Cividad Rodrigo. 8. Leon & 9. Oviedo sunt Episcopatus exempti. 10. Placencia. 11. Asterga. 12. Mondonedo. 13. Lugo.

Archi-episcopatus *Valencia*, Valentiæ, cujus episcopatus suffraganei sunt: 1. Orvela. 2. Segoroe. 3. Majorque.

Archi-episcopatus *Granada*, Granatensis, cujus suffraganeatus sunt: 1. Almeria. 2. Malaga. 3. Guadix.

Archi-episcopatus *Burgos*, Burgiensis, suffraganei ejus episcopatus sunt: 1. Calahorre. 2. La Calzada. 3. Palenza 4. Pampelona.

Archi-episcopatus *Saragossa*, Cæsar Augustanus, sub quo suffraganeatus sunt: 1. Huesca. 2. Jacea. 3. Tarrazone. 4. Balbastro. 5. Tervel. 6. Albarazin.

In Portugallia sive Lusitania.

Archi-episcopatus *Braga*, Bracarensis, cui subsunt: 1. Episcopatus Porto. 2. Coimbra. 3. Viseo. 4. La Guarda. 5. Lamego. 6. Miranda. 13

Archi-episcopatus *Lissabon*, Lisbonensis, cujus suffraganei episcopatus sunt: 1. Lamego. 2. Leira. 3. Ceuta. 4. Funchal, in Insula Madera. 5. Ribera Grande. 6. Angra in Insula Tercera. 7. S. Salvador, Fanum Salvatoris in regno Congo.

Archi-episcopatus *Evora*, Eborensis, suffraganeatus ejus sunt: 1. Algarbe. 2. Portalegre. 3. Elvas.

In Indiis Orientalibus.

Archi episcopatus *Goa*, huic subsunt suffraganei episcopatus: 1. 14

Cochin. 2. Malaca. 3. Ahina. 4. Meliapor. 5. Aangranor. 6. Sirene. 7. Mozambique. 8. Japan.

In Indiis Occidentalibus.

Archi-episcopatus *S. Domingo*, Dominicopolitanus, cujus suffraganeatus sunt: 1. Cabasco. 2. Panama. 3. Borico. 4. Cartagena. 5. Nondura. 6. S. Martini.

Archi-episcopatus *Lima*, sive Cividal de los Reges, huic subsunt episcopatus: 1. Cusco. 2. Quito. 3. Gamangno. 4. Garchas. 5. Crequippa. 6. Paz. 7. Plata. 8. Piura. 9. Trugillo. 10. Canuco. 11. Calapaia. 12. S. Francisco. 13. Portovicio. 14. Guarachil. 15. Popa-Jan. 16. Merida.

Archi-episcopatus *Mexico*, Mexicananus, sub quo sunt episcopatus: 1. Xile. 2. Mothoacono. 3. Guiacanan. 4. Tascala 5. Guattimala. 6. Grasencia. 7. Nicarogoa. 8. Ciapa.

Postquam igitur universi orbis Christiani Crchi- episcopatus & episcopatus huc retulerim, adeo, ut Archi - episcopatus universim sint: 97. etiam numeratis iis, qui hodiedum sunt sæcularizati, episcopatus verò sint universim 656. nisi calculus me fallat.

Nunc supereſt, ut Archi-episcoporum jura, & prærogativas ipsis competentes recensеam in genere, etenim Archi-episcopatus in specie, & præsertim Germanos, infra particulariter examinabo.

15 Nota. Archi-episcopus differt ab episcopo, non ex potestate ordinis, sed jurisdictionis, nam major & amplior est jurisdictio Archi-episcopi, quippe qui non uni solum civitati, cum oppidis ei subjectis, sed civitati Metropolitanæ præest, quæ est mater & caput aliarum civitatum episcopos habentium, cui sunt subjecti in spiritualibus. Azor. *p. 2. l. 3. c. 33. quæst. 5.* Episcopi verò Metropolitano subjecti, in jure canonico suffraganei vocantur. *cap. 1. de for. compet. in 6. c. suffraganeis 11. de Elect.*

Quæres 1. *Quam Jurisdictionem habeat Archi-Episcopus in Episcopos non exemptos, sive suffraganeos suæ provinciæ?*

Resp. 1. Archi-episcopus seu Me- 16
tropolitanus habet ordinariam jurisdictionem in omnes episcopos suæ provinciæ cui præest, adeoque tanquam ordinarius & immediatus eorum superior, iis præcipere potest, quæ ad officium eorum spectant, atque negligentes ad executionem, & officium præstandum compellere, etiam per censuras ecclesiasticas. *can. 1. can. 2. can. 3. caus. 9. quæst. 3. c. 11. in fin. princ. de offic. judic. ordin.*

Quæres 2. *An Archi-Episcopus habeat jurisdictionem in causis criminalibus suorum suffraganeorum, quæ privationem seu depositionem merentur?*

Resp. 1. In causis criminalibus majoribus Archi - episcopus non potest procedere contra suffraganeum ad sententiam definitivam. ut colligitur *ex can. quamvis 7. caus. 3. quæst. 7. can. 52. caus. 16. quæst. 1.*

Pyrrhing.

Pyrrhing. *sect. 2. §. 1. n. 14. de offic. judic. ordin.*

Resp. 2. De Jure novo non tantum sententia definitiva, sed insuper ipsa etiam cognitio in causis criminalibus majoribus est Archiepiscopis prohibita, & soli Papæ reservata. prob. ex concilio Tridentino *Sess. 24. cap. 5. de reformat.* adeoque hodierno jure episcopus in causa criminali, quæ privationem meretur, citatus à quocunque judice præter Papam, comparere ac respondere non tenetur, nisi exhibita ipsi speciali commissione facta. Barbosa *de offic. & potest. Episcop. allegat. 112. n. 5.* Pirrhing. *loc. cit.* prout etiam totius Germaniæ praxis concordat.

Dixi: *In causis criminalibus majoribus*: Equidem juxta *cit.* concil. Trid. *loc. cit. in fin.* causæ criminales minores episcoporum in concilio tantum provinciali, cognosci ac terminari debent, vel à deputandis per concilium provinciale. Practicè tamen omnes causæ episcoporum criminales immediatè ad summum Pontificem devolvuntur.

17 Corollarium. Etsi ipsemet Archiepiscopus per censuras procedere possit contra episcopos suffraganeos, tanquam judex ordinarius eorum, generalis tamen Vicarius seu officialis Archi episcopi, dum ipsemet Archi episcopus est in provincia, aut non longe distans, non potest in aliquem suffraganeorum sententiam interdicti, suspensionis, aut excommunicationis proferre, idque ob reverentiam officii ac dignitatis episcopalis. prout habetur *in cap. 1. §. officiales. de offic. jud. ordin. in 6.* ubi decernitur de officialibus Archi-episcopi Rhemensis, & præcipitur idem ab officialibus aliorum Archi episcoporum circa ipsorum suffraganeos observandum esse.

Porro sententia seu censura à vicario seu officiali episcopi lata in episcopum suffraganeum, non solum illicita est & injusta, sed etiam invalida; secundum probabiliorem sententiam, quam tenet Pirrhing. *loc. cit. num. 15.* & Laymann ab eo relatus; ex ea ratione: quia vicarius seu officialis Archi-episcopi, non habet potestatem quidpiam agendi, nisi quod jure communi vel ex speciali voluntate Archiepiscopi, eum constituentis est ei concessum. Cum ergo jure communi expresse denegata sit vicario generali Archi-episcopi potestas ferendi censuras in episcopos suffraganeos, *d. c. 1. §. officiales.* ideo neque Archi-episcopus talem potestatem vicario suo generali concedere potest contra expressam prohibitionem Ss canonum. *argum. l 5. C. de LL.* adeoque vicarius Archi-episcopi nec validè nec licitè censuras ferre poterit, ob defectum potestatis legitimæ.

Quæres 3. *An Metropolitanus sive Archi-Episcopus possit condere statuta pro suâ Provincia?*

Resp. Archi-episcopus non potest statuta condere, nisi cum con- 18

silio & consensu coepiscoporum provincialium. Colligitur responsio *ex can. nullus. 7. caus. 9. quæst. 3.* adeoque in ordine ad condendum aliquod statutum totam provinciam obligans, debet synodum seu concilium provinciale convocare, in quo ipse Archi-episcopus præsidet, velut caput concilii, ad eum effectum, ut potestas convocandi synodum provincialem ad eum spectet, & primam in illâ sedem habeat; non tamen ei præsidet, tanquam sit superior concilio congregato, & caput exercens jurisdictionem in illud, neque quod habeat parem jurisdictionem, quam habet ipsum concilium, sed est tantum conjudex & collega aliorum coepiscoporum, ac proin Archi-episcopus non præest concilio provinciali, quemadmodum episcopus in diœcesana synodo, & Papa in concilio generali sive œcumenico *c. significasti. 4. de Elect.* sed præsidet illi sicut Decanus ecclesiæ cathedralis capitulo canonicorum; quare sicut capitulum sede vacante vel etiam non vacante habens jurisdictionem ex consuetudine, in singulos ē capitulo eam exercere potest, etiam in Decanum, ita concilium provinciale, cum habeat jurisdictionem in singula concilii membra, quorum unum, etsi præcipuum, est Archi episcopus, eandem quoque in ipsum exercere potest; nam licet singulis de concilio non sit subjectus, sed potius major & dignior, est tamen subjectus toti concilio provinciali, ita ut ab eodem judicari, excommunicari & puniri possint: exceptis causis majoribus & sedi Apostolicæ reservatis. Navarr. *de Major. & obed. Consil. 6.* Sanchez. *lib. 8. de Matrim. disp. 17. num. 36.* imo Archi-episcopus ea, quæ in concilio provinciali sunt decreta, revocare non potest, nec immutare, nec in iis dispensare, Sanchez. *loc. cit. n. 4.*

Objicies. *per cap. grave. 29. de Præbend.* ibi: *Metropolitani verò delictum superioris judi io relinquatur ex parte Concilii nunciandum.* Ergo Archi-episcopus non est subjectus toti concilio provinciali.

Resp. Explico antec & dico, quod *cit. cap.* loquatur de delicto tali, quod inter causas graviores censebatur.

Corollarium. Concilium provinciale olim singulis annis celebrari debebat ab Archi-episcopo cum suis suffraganeis. *can. 7. dist. 18. cap. 25. de accusat.* Imo antiquioribus temporibus bini conventus episcoporum quot annis cogi debebant. *can. de Conciliis. 2. can. propter. 4 d. dist. 18.* quod postea correctum fuit. Jure verò novo concilii Tridentini, *sess. 24. cap. 2. de Reform.* statutum est, ut Metropolitanus, eoque impedito, episcopus antiquior, quolibet triennio synodum in provincia sua cogere non intermittat. Et ad tale concilium episcopi omnes, & aliqui de jure vel consuetudine interesse debent; imo etiam episcopi exempti, sive nulli

nulli Archi-episcopo subjecti, venire debent ad concilium provinciale alicujus vicini Metropolitani, quem ipsi semel elegerint, ejusque concilii decretis obligantur. *Trid. loc. cit.* Præter episcopos autem de jure vocari & venire debent etiam ii prælati, qui quasi episcopalem jurisdictionem intra aliquam provinciam obtinent, qualis est Abbas & Princeps Fuldensis. Azor. *p. 2. l. 3. c. 47. quæst. 2.* Alii vero prælati episcopo inferiores spectato jure communi non debent vocari ad concilium provinciale, nec vocem decisivam in eo habent, quamvis per consuetudinem possint etiam tales prælati interesse concilio provinciali, & jus definiendi in illo habere; nam vocem decisivam habere in conciliis provincialibus est quidem proprium episcoporum, ita tamen ut etiam aliis per consuetudinem competere possit, quia definire non est actus ordinis episcopalis sed jurisdictionis. Azor. *loc. cit.* Pirrhing. *sect. 2. §. 1. n. 17. de offic. judic. ordin.* Denique etiam capitula ecclesiarum cathedralium ab Archi episcopo invitari debent ad concilium provinciale. *cap. fin. de his quæ fiunt à Prælat. sine consens. cap.* non tamen cogi possunt ad veniendum, sicut episcopi. Abbas *in cit. cap. fin. n. 2.* possunt tamen in concilio provinciali comparere per suos procuratores, quia non ita facile singuli canonici per se venire possunt, nec sine desertione cultus divini. Abbas *loc. cit. n. 3.*

Quæres 4. *An Metropolitanis competat jus confirmandi Episcopos suffraganeos electos?* 19

Resp. 1. Quod jus confirmandi electos episcopos inferiores olim competierit Metropolitanis, non est dubium de jure antiquo, ut colligitur ex *can. 1. dist. 64. cap. cum dilectus §. 2. de Elect. cap. qua fronte 25. de appellat.*

Resp. 2. De jure communi, mutatis & posterioribus temporibus confirmatio electi episcopi suffraganei debuit peti a sede Apostolica, ut rursus probatur *ex can. quanto can. Salonitanæ 34. dist. 63. can. Pastoralis 42. caus. 7. quæst. 1.*

Resp. 3. De jure novissimo per concordata Germaniæ §. *item placet*, omnes episcopi suffraganei non ab Archi-episcopo, sed immediate a sede Apostolica confirmationem electionis de se factæ obtinere debent.

Quæres 5. *An Archi-episcopis competat jus consecrandi episcopos suffraganeos?* 20

Resp. 1. *De jure communi* Archi-episcopis hoc jus competere, adeo ut episcopus suffraganeus teneatur ab Archi-episcopo sive Metropolitano recipere consecrationem. ut aperte desumitur *ex can. 4. & seqq. dist. 64. can. 2. & 3. dist. 65. can. 2. dist. 75. cap. suffraganeis 11. de Elect. cap. 2. de translat. episc. cap. 6. & seq. de tempor. ordin.* & ita quidem ut ipse sit principalis consecrans, assistentibus sibi duobus episcopis.

Quodsi Archi-episcopus infirmitate vel alia justa causa impeditus

esset, quo minus suffraganeum seu episcopum suæ provinciæ consecrare posset, alteri episcopo, cui voluerit, vices suas committere potest, a quo consecrandus debet recipere consecrationem, dummodo episcopus ille sit Catholicus & gratiam communionis cum fide Apostolica habeat, prout habetur *in cap. quod sedem 10. de offic. judic. ordin.*

Potest præterea Archi-episcopus, non solum si juste impeditus fuerit, sed etiam alias cessante impedimento, cuilibet episcopo etiam non suffraganeo committere munus consecrandi episcopum provincialem, quia jure communi potest pro arbitrio suo delegare seu committere alteri, tum ea quæ sunt jurisdictionis, quam quæ sunt ordinis, cum quilibet ordinarius id possit. Si

Dicas: Archi-episcopus impeditus potest alteri committere ea quæ sunt ordinis *cap. 10. de offic. Judic. ordin.* ergo si non sit impeditus, non poterit. Dist. Conseq. non poterit quoad decentiam T. absolute & de necessitate N. prout sentiunt. Hostiensis *in cit. cap. 15. vers. in tali articulo.* & ibidem Abbas *n. 3.*

Dixi superius: *de jure communi*: Equidem in Germania nostra de recepta consuetudine, consecratio episcopi non fit necessario ab Archi-episcopo, seu Metropolitano, sed a vicino aliquo episcopo fieri potest, cui duo alii episcopi saltem titulares assistunt. Layman *in cit. cap. 15. de offic. Judic. ordin. n. 2.* Sic de facto episcopi Germaniæ consecrantur a suis suffraganeis, seu episcopis titularibus, quos alias etiam vocant Vicarios in Pontificalibus, assistentibus duobus abbatibus infulatis, prout praxis docet.

Quæres 6. *Quam jurisdictionem sive potestatem habeat Archi-episcopus in subditos episcoporum suffraganeorum?*

Resp. Licet Archi-episcopus jurisdictionem habeat in episcopos suffraganeos, sitque ordinarius superior eorum, tamen in subditos eorundem jurisdictionem exercere non potest, nisi in casibus jure expressis. Quod prob. *ex can. nullus 7. can. conquestus. 8. cauf. 9. quæst. 3. cap. pastoralis 11. princ. de offic. judic. ordin. c. 1. princ. eod. in 6. cap. 1. de suppl. neglig. Prælat. in 6.*

Porro casus in jure expressi sunt 1. Si ab episcopi sententia vel gravamine ad Archi-episcopum seu Metropolitanum appelletur. *cit. can. conquestus 8. cauf. 9. quæst. 3. cap. 1. de offic. legat.* sive in causis spiritualibus, sive temporalibus, civilibus vel criminalibus, *cap. Romani. 3. §. debet autem. de appellat. in 6.* & non solum cum proceditur per viam accusationis, sed etiam per viam inquisitionis. Abbas *in cap. licet 12. n. 3. in fin. de offic. judic. ordin.*

Circa appellationem tamen ab episcopo suffraganeo ad Archi-episcopum notandum est, quod Archi-episcopus in Diœcesibus suffraganeorum non possit officiales foraneos seu Vicarios judices, constituere super futuris causis appellationum, quæ ad ipsos deferri debeant,

beant; cum enim ipsemet Archi-episcopus non possit diœceses suffraganeorum ingredi, & in iis authoritate propria judicare, exceptis casibus jure expressis, neque etiam extra judicium quidquam disponere vel ordinare, sequitur quod in illis neque per alios talia exercere possit; quod enim quis per se non potest, neque per alium poterit. *can. ult. dist. 46. l. 2. §. 5. ff. de administr. rer. ad civit. pertin.* & quamvis Archi-episcopus in causis ad se devolutis in suffraganeorum diœcesibus delegare possit, & tales officiales sive Vicarios judices in eisdem constituere, qui ejus vice, cum ad ipsum appellatur, partes citent, vel inhibeant judici (scilicet a quo appellatum est, ne in causa ulterius procedat) aut rebelles compescant, quia in causis ad ipsum devolutis per appellationem, jam acquisivit jurisdictionem, ideoque licite potest super illis delegare seu committere vices suas, quia quod per se potest facere, potest etiam per alium; verum tamen in aliis causis, in quibus nondum est ad Archi-episcopum appellatum, non potest aliquos constituere, qui in causis futuris citationes vel inhibitiones faciant, cum Archi episcopus ante factam appellationem nullam actualem jurisdictionem habeat, aut exercere possit in subditos suffraganeorum, nisi aliud legitima præscriptione esset introductum, ut tales officiales seu Vicarii in Diœcesibus suffraganeorum constituantur ab Archi-episcopo; hoc casu tamen se causis Diœcesanorum non poterunt immiscere, priusquam ad Archiepiscopum sit appellatum; prout statuit Innocentius IV. in Concilio Lugdunensi relato in *cap. Romana 1. in princ. de offic. Judic. ordin. in 6.* Si

Dicas: Archi-episcopus etiam ante appellationem ad ipsum factam habet jurisdictionem in subditos suffraganeorum, nisi enim eam haberet, appellantes eam tribuere non possent, imo appellatio præsupponit jurisdictionem in judice ad quem. ergo etiam ante appellationem factam potuit in diœcesibus suffraganeorum constituere Vicarios, sicque suam jurisdictionem communicare.

Resp. Dist. antec. habet jurisdictionem in habitu & ligatam C. in actu & non ligatam, nec limitatam ad certos casus. N. Si

Dicas 1. Archi episcopus seu Metropolitanus est judex ordinarius totius Provinciæ, cujus curam & sollicitudinem suscepit. *can. 2. cauf. 9. quæst. 3.* ergo habet jurisdictionem in singulos, qui sunt de provincia; adeoque etiam in subditos suffraganeorum, qui sunt de provincia. Explico antec. est judex ordinarius in casibus a jure expressis, vel sicut etiam episcopus est ordinarius totius diocœseos, non tamen omnium, qui sunt in Diœcesi, quia non est ordinarius exemptorum, nisi in specialibus casibus C. est judex ordinarius in casibus etiam ju-

re

re non expresſis N. Vel eſt judex ordinarius quoad jurisdictionem Archi-epiſcopalem C. quoad jurisdictionem epiſcopalem N. ad jurisdictionem Archi-epiſcopalem ſpectat viſitare Provinciam, judicare in cauſis & caſibus jure expreſſis. Ad epiſcopalem jurisdictionem ſpectat de omnibus cauſis diœceſanorum, & quidem in prima inſtantia cognoſcendi.

23 Alter caſus in quo Archi-epiſcopus jurisdictionem ordinariam habet in ſubditos ſuffraganeorum, eſt, cum viſitat provinciam, id quod jure communi libere facere poteſt, & procurationes ratione viſitationis debitas a ſubditis Coepiſcoporum exigere, *cap. 6. in princ. cap. 14. cap. 22. cap. 25. de cenſib. cap. 16. de præſcript.* licet ſuffraganei ejus non ſint negligentes *cap. fin. de cenſib. in 6.* ita ut tunc etiam excommunicare, vel aliter punire poſſit procurationem debitam denegantes, quia per hoc impeditur, viſitatio, & conſequenter etiam jurisdictio. Abbas *in cit. cap. 16. de Præſcript. n. 11.* quo caſu poteſt Metropolitanus animadvertere in ſubditos ſuffraganeorum, *cap. 1. de pœn. in 6.* Sicut etiam ob delicta notoria eorundem in Provincia. *c. 1. §. Notoria vero. de cenſib. in 6.* etiam extra viſitationem, ſaltem ſi epiſcopus ſit negligens in iis puniendis. Abbas *in cap. ex frequentibus. n. 10. de inſtitut.* Verum:

Jure novo concilii Tridentini *ſeſſ. 24. cap. 3. de reformat.* a Metropolitanis, etiam poſt plene viſitatam propriam diœceſin, non poſſunt viſitari eccleſiæ cathedrales, neque diœceſes ſuorum comprovincialium, niſi cauſa cognita & probata in concilio provinciali.

Tertius caſus exceptus eſt, quod 24
poſſit Archi-epiſcopus ſeu Metropolitanus exercere jurisdictionem in ſubditos ſuffraganeorum, ſi nimirum eveniat caſus, qui totius provinciæ ſtatum concernat, tollendo, v. gr. pravam conſuetudinem, quæ per totam provinciam viget, & a populo frequentatur, & excommunicando eos, qui illam obſervant, præſertim ſi epiſcopi ſuffraganei in tali conſvetudine tollenda ſint negligentes, prout ſumitur *ex capite 3. de inſtitut.* & ibid. Abbas *n. 3.* Gloſſa *in ſumm. cauſ. 9. quæſt. 3. V. quod autem.* Nam univerſalis ſeu generalis ſollicitudo totius provinciæ commiſſa eſt Metropolitano, *can. 1. diſt. 21. can. 2. cauſ. 9. quæſt. 3.*

Quartus caſus, in quo Metropo- 25
litanus exercere poteſt jurisdictionem in ſubditos ſuffraganeorum ſuorum, ſaltem ut delegatus ſedis Apoſtolicæ, eſt, ſi canonici cathedrales, absque manifeſta & rationabili cauſa ceſſent a divinis, ſi id agant in contemptum epiſcopi, tunc enim epiſcopus nihilominus, ſi voluerit, in eccleſia cathedrali officia divina celebrare poteſt, & Metropolitanus ad querelam epiſcopi tanquam delegatus Papæ, per cenſuram eccleſiaſticam, cognita veritate, canonicos punire & compeſcere poteſt, ne metu pœnæ dein-

deinceps talia præsumant. ita habetur *in cap. irrefragabili. 13. §. caterum. de offic. jud. ordin.*

Ratio est, quia licet canonici sive capitulum cathedrale, si ex speciali jure seu privilegio vel præscriptione, jurisdictio in ecclesiasticis ipsi competat, possit indicere seu cessationem imponere à divinis ad tempus, non tamen sine manifestâ seu notoria & rationabili causa, quia alioquin talis cessatio cederet in diminutionem cultûs divini, & gravamen inferret Ecclesiis. *cap. 2. de offic. judic. ordin. in 6.* ideoque episcopus non tenetur illam servare, sed apud Metropolitanum conqueri potest. Quo casu Archi episcopus cognoscit ut delegatus Papæ, quæ delegatio cum sit facta à lege seu canone, non exspirat, etiam re integra, morte mandantis, seu delegantis, sicut exspirat illa, quæ fit ab homine, quia lex non moritur, sed semper durat, donec revocetur.

26 Quintus casus exceptus est, si causa criminalis agitetur inter episcopum & clericum ejus subditum, tunc enim ea deferri debet ad concilium provinciale, in quo Archi-episcopus præsidet, ut colligitur *ex can. 2. caus. 9. quæst. 3. can. 1. caus. 6. quæst. 2. cap. sicut. 25. de accusat.* & tradit glossa *in cap. Pastoralis. 11. vers. exceptis. de offic. Judic. ordin.* Hostiensis *in summ. vers crimen. eod.* Sylvester *vers. Archi-Episcopus. quæst. 1. caus. 6.* Nam concilium provinciale habet in omnes provinciales, sicut concilium generale in omnes Christianos jurisdictionem. Aliùd verò dicendum est, si causa civilis inter clericum & episcopum orta sit, tum enim arbitri partium consensu eligendi sunt. *can. 46. caus. 11. quæst. 1.* & ratio est, quia Metropolitanus non est judex clerici, qui subjectus est suffraganeo, nec coram episcopo potest conveniri, cum hic non possit esse simul actor & judex, potest tamen ab episcopo clericus subditus, cum quo ipso controversiam habet, compelli ad eligendos arbitros. Pirrhing. *Sect. 2. §. 2. n. 18. de offic. Judic. ordin.*

Verum si concilium provinciale longo tempore non celebretur (sicut apud nos in Germania ab hominum memoria nulla synodus provincialis habita fuit) neque in provincia ab urbe remota sit legatus Apostolicus, tunc si clericus criminaliter accuset suum episcopum, vel contra episcopus clericum non exemptum, à quo injuria vel damno injustè affectus est, certè alius judex in tali causa adiri non potest, nisi Archi-episcopus, quippe cum ipse episcopus in causa propria non possit esse judex, neque ad arbitros in causa criminali consuetum sit confugere, cum ea majores judices exigat, neque etiam Papa ob quamvis causam inter episcopum & clericum subditum, adiri possit vel debeat, ita tamen ob allatam & probabilem causam probatam Archi-episcopus recusari

& ab eo ad Papam appellari possit. Imola *ad cap. Pastoralis. 11. num. 10. de offic. judic. ordin.* & ibid. Layman, *n. 1. & 1. de jurisdict. ordin. conclus. 81.* Pirrhing. *loc. cit.*

27 Dubitari potest: *An si Episcopus sit negligens in exercenda Jurisdictione & officio suo, tunc ejus potestas devolvatur ad Archi-Episcopum seu Metropolitanum?*

Affirmativam tenet glossa *in cit. cap. Pastoralis. vers. exceptis. de offic. judic. ordin.* Hostiensis *in summ. §. sunt autem. V. Deses Præsul. eod.* & alii communiter. Verum:

Negativa est probabilior & probatur tum *argum. cit. cap. Pastoralis*, ubi dicitur: quod Archi-episcopus in subditos coepiscopi nullam jurisdictionem habet exceptis quibusdam articulis. Tum quia versamur in materia prohibitoria, eoipso quod jurisdictio Archi-episcopo in aliquo casu erga subditos episcopi suffraganei concessa non reperitur, prohibita censeri debet. *cap. 1. de supplend. neglig. Prælat. in 6.* Nullibi autem reperitur expressum, quod Archi-epifcopus, si episcopus suffraganeus sit negligens in suo officio, *jurisdictionem exercere* possit. Abbas *in cap. Pastoralis. num. 10. & 12.*

Dixi: *Jurisdictionem exercere* Poterit tamen Archi-episcopus in casu negligentiæ, si episcopus jurisdictionem exercere negligat, eundem mandatis ac censuris compellere ad justitiam administrandam & officium præstandum. Layman. *de Jurisdict. ordin. conclus. 80.*

Objicies 1. Textum. *in can. cum simus. 3. caus. 9. quæst. 3.* sed Resp. *cit.* textum loqui in casu speciali, quando nempe episcopus est negligens in constituendo generalem œconomum in sua Ecclesia, quod non debet extendi ad omnem alium casum negligentiæ commissæ ab episcopo, contra regulam traditam *in d. cap pastoralis in princ.* ubi dicitur: quod solum in certis quibusdam casibus specialiter exceptis Archi-episcopus jurisdictionem habeat in subditos episcopi suffraganei. 28

Objicies 2. Textum *in cap quanto. 7. de offic. judic. ordin.* sed resp. textum loqui de Archi-episcopo tanquam ordinario episcopo illius loci. Vel 2. dici potest, quod *in cit. cap.* factum seu delictum fuerit notorium, quia regulares existentes in provincia Archi-episcopi, extra propriam ejus Diœcesin discurrebant per curias Principum, quod non poterat non esse notorium; Archi episcopus autem notoria delicta totius provinciæ punire potest. *cap. 1. §. notoria de censib. in 6.* Abbas *in cap. quanto cit. n. 6.*

Quæres 7. *An Archi-Episcopus in Diœcesi suffraganeorum habeat potestatem conferendi sacros ordines, consecrandi Altaria, celebrandi divina officia,* &c. 29

Resp. Eum non posse, si talia velit facere authoritate propria, secus si authoritate Papæ, vel cum licentia

licentia episcopi diœcesani, tunc enim licitè ea facere posset Pirrhing. *sect. 2. §. 2. n. 22. Coroll. 2. de offic. judic. ordin.* aliique ab eo relati. Et ratio prioris est, quia Archiepiscopus nec extrajudicialem potestatem exercere potest in diœcesi sui suffraganei; collatio autem ordinum, consecratio altarium, sine dubio dicunt potestatem extrajudicialem.

30 Quæres 8. *An Archi Episcopus possit absolvere excommunicatum ab Episcopo suffraganeo?*

Resp. 1. Archi-episcopus potest absolvere excommunicatum à suffraganeo, si ab eo ad ipsum fuerit appellatum. Suarez. *Disp. 7. de Censur. Sect. 2. n. 32.* & probatur *ex cap per tuas. 40. de sentent. excommunic. cap. venerabilibus. 7. § porro eod. in 6.* & ratio est, quia per appellationem acquisivit jurisdictionem, cum causa in eum translata sit; accessorium autem sequitur suum principale.

Porro ut licitè id fiat, servari debet modus à jure præscriptus, qui colligitur *ex cap. 8. de offic. jndic. ordin.* ubi decernitur: Si episcopus diœcesanum sibi subditum excommunicavit, etiam alii episcopi ipseque Metropolitanus ipsum pro excommunicato habere debet, sicut enim ipsi sententias à se latas in subditos inviolabiliter observari volunt, ita etiam canonicè latas ab aliis sententias ac censuras & ipsi debent observare, & facere à subditis suis observari. Si verò excommucatus ab episcopo de injusta excommucatione apud Archi-episcopum conquera tur, is non debet ordinariè eum absolvere, sed Coepiscopo deferens, remittere excommunicatum ad excommunicatorem, ut ab eo secundum ecclesiæ formam, absolvatur, quia sententia excommunicationis (vel alterius censuræ) per appellationem non suspenditur. Si vero episcopus excommunicatum absolvere recusat, Archi-episcopus eundem absolvat, recipiendo prius ab eo juratoriam cautionem, quod episcopo in eo, propter quod excommunicatus fuit, competentem satisfactionem præstare velit, nisi legitimè constiterit, eum injustè excommunicatum fuisse. Poterit igitur Archi-episcopus absolvere excommunicatum. 1. Servatis iis, quæ modo recensui. 2. si constet appellantem fuisse injustè excommunicatum *d. cap 8. de offic. judic. ordin.* 3. si episcopus qui excommunicavit, absolvere nolit. *cit. cap. 8* 4. si periculum sit in mora. *cap. 48. de sentent. excomunic.*

Quæres 9. *In quo loco Archi Episcopus possit exercere jurisdictionem suam erga subditos suffraganei?* 31

Resp. Bonifacius VIII *in cap. ut litigantes. 5. de offic. jud ordin. in 6.* jubet ne Archi-episcopus causas subditorum Coepiscopi vel suffraganei, quæ per appellationem vel alias jure metropolitano ad ipsum delatæ sunt, alibi cognoscere aut cognoscendas committere seu delegare possit, quam in propria sua

civitate seu diœcesi, vel in eadem illa diœcesi, ex qua causæ sunt profectæ ac devolutæ, nisi aliud per consuetudinem hac in re sit introductum.

Hactenus de jurisdictione quam habet Archi-episcopus in episcopos suffraganeos sibi in provincia sua subordinatos, tum etiam de jurisdictione quam habet in subditos suffraganeorum; sicut autem Metripolitanus est verus episcopus respectu suæ Archi-diœcesseos, respectu cujus omnia obtinet jura episcopalia, quæ recensebo §. seq. Sunt autem jura episcopalia duplicia, illa nimirum referri possunt, vel ad potestatem ordinis, vel ad potestatem jurisdictionis. Quoniam verò pontificialis officii plenitudo cum Archi-episcopalis nominis appellatione confertur per pallium, neque Archi episcopus in sua provincia plenum jus habet, ante susceptionem pallii Archi-episcopalis *cap. 3. de authoritate & usu Pall.* neque etiam exercere potest actus ordinis illos, qui ab Archi-episcopo, nonnisi inter missarum solennia, vel cum episcopalibus insignibus & ornamentis, peragi solent. *cap. 28. §. præterea de Elect.* Hinc.

32 Quæres 10. *Quid sit Pallium Archi-Episcopale?*

Resp. Per pallium hoc loco intelligitur præcipuum Archi-episcoporum insigne seu ornamentum, de corpore S. Petri sumptum, in quo Pontificalis officii plenitudo cum Archi-episcopalis nominis appellatione confertur. Prout patet *ex cap. significasti 4. de Elect.* ibi: *Cum igitur à sede Apostolica vestræ insignia dignitatis exigitis, quæ à Beati Petri corpore tantum assumuntur. &c.* adde *cap. 3. de auth. & us. Pall.* & habetur apud Hostiensem *in summa num. 1. eod.* Dicitur autem pallium de corpore B. Petri acceptum, vel quia benedicitur ac consecratur à Papa super altari B. Petri, & ille cui competit jus Pallii, recipit illud de altari, si est præsens, vel alius loco ipsius, si est absens, & sic assumitur de corpore B. Petri. ut tradit Glossa *in cit. cap. significasti. v. corpore assumuntur.* quamvis id non sit necessarium, sed etiam ex alio loco, v. g. ex altari capellæ Pontificiæ, pallium recipi possit, ut notavit Hostiensis *in loc. cit. num. 3.* vel potius dicitur assumptum ex corpore B. Petri, quia à solo Romano Pontifice pallium confertur primariò, ab aliis verò nonnisi ex privilegio ejusdem. ut notat Abbas *in cit. cap. significasti. num. 9.* Est autem pallii usus antiquissimus, & originem habet ab ipsis Petri discipulis, teste Azor. *p. 2. Institut. moral. l. 3. c. 34 quæst. 1.*

Porro figuram Palli describit Ab-33 bas *in rubric. de auth. & usu Pall.* Sylvester *in summa v. Pallium.* Azor. *loc. cit.* quod sit vestis candida ex lana alba contexta, in coronæ seu circuli modum, pectus & humeros circumdans ac quatuor nigris vel purpureis crucibus distincta, anteriore

teriore parte nonnihil dependens. De mystica vero ejus significatione videri potest Abbas in rubrica *de author. & usu Pall.*

Quæres 11. *à quo conferri possit & à quo peti debeat Pallium Archi-Episcopale?*

34 Resp. Pallium petitur & confertur propria authoritate tantum à summo Pontifice, habetur in textu *d. cap. significasti.* & ibid Abbas *n. 9.* tametsi quatuor Patriarchæ Principales, Constantinopolitanus, Antiochenus, Alexandrinus, Hierosolymitanus, postquam à Romano Pontifice receperunt Pallium, præstito eidem fidelitatis & obedientiæ juramento, licitè & ipsi suis suffraganeis Pallium fuerint largiti recipientes pro se professionem canonicam (sive obedientiam & reverentiam) & pro Romana Ecclesia sponsionem obedientiæ. *cap. 23.* & ibi glossa *v. Professionem. de Privileg.* illud tamen contulerunt non nisi authoritate Papæ, sive ex ejus concessione, & privilegio ipsis à Romana sede concesso; hodierno tamen jure solus Pontifex confert Pallium Archi-episcopis. Azor. *cit. cap. 34. quæst. 4.*

Quæres 12. *Quibus concedatur sive conferatur pallium?*

35 Resp. Hoc jus pallii Archi-episcopalis competit imprimis S. Pontifici, veluti Archi-episcopo Romano *cap. 4. de auth. & us. Pall.* Competit 2. Archi-episcopis omnibus superioribus, patriarchis & primatibus. Hostiens. *in Summa n. 3. de auth. & us. pall.* quibus Papa pallium mittit, si instanter petierint *can. 1. & 2. Dist. 100.* præmissa prius fidei Catholicæ professione & præstito juramento fidelitatis & obedientiæ sedi Apostolicæ. *can. optatum 4. cit. dist.* & *cap. significasti de Elect.* Denique 3. etiam quibusdam episcopis ex speciali privilegio vel longa consuetudine pallium a sede Apostolica mittitur & traditur: Veluti quinque ecclesiensi in Hungaria, ut patet ex *cap. 15. in princ. de præsumpt.* Ostiensi in Ostiis Tiberinis, decano collegii cardinalium, qui Papam consecrat. Papiensi in Longobardia, Lucensi in Tuscia, Bambergensi in Germania. Hostiens. *loc. cit. n. 3.* Azor *loc. citat. quæst. 3.*

Quæres 13. *Intra quod tempus pe-* 36
tendum sit pallium, & qua forma tradendum?

Resp. Is cui pallii usus competit, debet intra tres menses a die consecrationis, si ante non fuit consecratus, vel a die confirmationis, si jam ante fuit consecratus, cessante justo impedimento, per se vel per alium ad hoc speciale mandatum habentem, petere pallium, alias commissa sibi careat potestate. *can. 1. caus. 4 in fin. dist. 100.* Abbas *in cap. 4. n. 8 de auth. & us. pall.* & datur Metropolitanis aliis licentia post secundam & tertiam commonitionem viduatis ecclesiis cum consilio Romani Pontificis, ordinando & consecrando episcopo subvenire, *cit. can. 1.* quod tamen

ultimum hodiedum est immutatum, cum provisio ecclesiæ viduatæ nullo modo amplius spectet ad ullum Archi-episcum.

Resp. 2. Forma autem verborum qua pallii traditio fieri solet, est talis, ut refert Glossa *in cap. 4. de auth. & us. pall. Ad honorem Dei omnipotentis & B. Mariæ Virginis, & BB. Petri & Pauli Apostolorum & Domini Papæ N. & Ecclesiæ Romanæ & Ecclesiæ tali tibi commissæ, tradimus tibi pallium de corpore B. Petri sumptum, in plenitudinem Pontificalis dignitatis, ut utaris eo intra Ecclesiam tuam, certis diebus qui exprimuntur in privilegiis Ecclesiæ tuæ concessis a Romana Ecclesia.* est autem moris ut una cum pallio transmisso nova quædam privilegia dentur, vel saltem antiqua confirmentur *can. 9. & duobus seqq. dist. 10.*

Quæres 14. *in quo loco & quando*
37 *licitum sit uti pallio.*

Resp. Solus Romanus Pontifex in omnibus missarum solenniis semper & ubique locorum pallio utitur, quia assumptus est ad plenitudinem ecclesiasticæ potestatis, quæ per pallium significatur, & quam gerit in totam Ecclesiam Christianam. *can. 17. can. 21. caus. 9. quæst. 3.* alii autem quibus pallium concessum est, eo nec semper nec ubique, sed in ecclesia tantum, in qua jurisdictionem ecclesiasticam obtinent, & certis diebus uti debent, quoniam in partem sollicitudinis, non in plenitudinem potestatis sunt vocati *cap. 4. de auth. & us. Pall.*

Resp. 2. Non tantum in ecclesiis cathedralibus, sed etiam omnibus aliis provinciæ suæ ecclesiis, Archiepiscopus inter missarum solennia, permissis diebus uti potest pallio, ut constat *ex cap. 1. de auth. & usu pall.* Nam cum quæsitum fuisset ex Papa Clemente III. quomodo intelligendum sit, quod in forma traditionis pallii habetur, videlicet: *Tradimus tibi pallium ut eo intra ecclesiam tuam utaris.* Respondit Papa ita intelligi debere, ut liceat Archiepiscopo intra quamlibet ecclesiam provinciæ sibi commissæ, pallio uti. Si vero extra ecclesiam sit, quamvis aliis sacris vestibus indutus, v.g. in solenni processione, pallio uti nullo modo debet. Ratio est, quia quamvis ecclesiæ episcopalis no alias plerumque stricte accipiatur pro cathedrali tantum attamen in materia hac favorabili & quæ nemini præjudicat, videlicet in privilegio concesso Archi episcopo, ut utatur pallio in sua ecclesia, nomen ecclesiæ late accipitur, ita ut comprehendat quamlibet ecclesiam intra totam ejus non solum Diœcesin sed etiam Provinciam. Glossa *in cit. c. 1. V. quamlibet. & in cit. c. ad honorem 4. V. in ecclesia sua.* imo etiam ecclesias exemptas Abbas *in cit. c. 1. n. 7.* & colligitur ex *Clement. 2. de Privileg.*

Corollarium 1. ex his infertur 1.38
quod Archi-episcopus non possit uti pallio in ecclesiis alienæ Provinciæ, *cit. cap. 1.* ubi nonnisi limitatè conceditur usus Palli, cum restrictio-

ctione scilicet ad Provinciam; quare cum in *cap. 6. de auth. & usu pall.* dicatur: quod Archiepiscopus *ubicunque* fuerit in missarum celebrationibus constitutus usum pallii libere possit diebus solennibus exercere, illud verbum restringendum erit ad provinciam, ut sensus sit: *ubicunque in provincia.* Jura enim juribus sunt concordanda *cap. 29. de Elect.* ergo etiam *d. cap. 6.* obscurum explicandum erit juxta *cit. cap. 1. de auth. & usu Pall.* & ratio est, quia pallium Archi episcopale denotat jurisdictionem vel præeminentiam sicut cætera insignia, adeoque portari non poterit extra limites jurisdictionis etiam voluntarie, ne alterius jurisdictionem usurpare quis videatur:

39 Corollarium 2. Infertur ulterius quod Archi-episcopus nequidem in sua provincia possit uti pallio extra ecclesiam *cit. cap. 1. in fine de auth. & usu pall.* quare si sub tentorio in castris aut domo privata Archi-episcopus celebret, pallium gestare non poterit.

40 Corollarium 3. deducitur etiam quod Archi-episcopus non possit uti pallio extra missarum solennia. *cap. 4.* ibi: *in missarum solenniis de auth & us. pall. can. 6. dist. 100.* ubi dicitur transmitti Archi-episcopo pallium, ut intra ecclesiam ad sola missarum solennia eo utatur. Adde *can. 8. ead. dist.*

41 Corollarium 4. Deducitur ultimo, quod Archi-episcopus usum pallii non habeat, nisi certis quibusdam diebus, *citat. cap. ad honorem.* ibi: *certis debeat uti diebus.* Videlicet solennibus. *cap. cum Sis.* ibi *diebus solennibus de auth. & usu pall.* tales autem dies certi & solennes enumerantur a Glossa *in cit. cap. ad honorem.* & Hostiens. *in summa n. 5. eod. tit.* 1. Navitas Domini. 2. Festum S. Joannis. 3. Festum S. Stephani. 4. Circumcisio Domini. 5. Epiphania. 6. In Ramis palmarum. 7. In Cœna Domini. 8. In Sabbatho S. 9. Tribus diebus Resurrectionis. 10. In festo Ascensionis. 11. In festo Pentecostes. 12. In festo S. Johannis & omnium Apostolorum. 13. In quatuor festivitatibus B V. Mariæ. 14. S. Michaelis. 15. Omnium Sanctorum. 16. In dedicatione ecclesiæ. 17. In festis principalibus Ecclesiæ Archiepiscopalis. 18. In ordinationibus Clericorum. 19. In consecratione Episcoporum. 20. In Anniversario consecrationis Archi-episcopi. & quodsi etiam in festis hisce enumeratis privatim celebraret, neque tunc etiam in his diebus uti posset pallio. *cit. cap. in honorem.* Attenda tamen est primario recepta cujusque ecclesiæ Metropolitanæ consuetudo. Layman. *in cit. cap. ad honorem n. 3.* ubi præterea advertendum est, quod Archi-episcopus nequeat gestare pallium in missis defunctorum, nisi aliud in privilegiis ecclesiæ concessis expressum esset *cap. ult. in fin. de auth. & us. pall.* ibi: *Sicque soluta est quæstio, an sit licitum pro defunctis cum pallio orare,* Abbas *ibid. n. 3. & 6.*

Quæres

Quæres 15. *Quid juris aut potestatis per pallii traditionem consequatur Archi-episcopus?*

42 Resp. Confertur illi plenitudo pontificalis seu Archi-episcopalis officii, una cum nomine Archi-episcopali, ita ut se Archi-episcopum appellare possit. *cap. 3. de auth. & us. pall.* Equidem plenitudo Archi-episcopalis officii in eo consistit, quod Archi-episcopus post acceptum pallium, omnes actus, qui sunt Archi-episcopalis dignitatis, tam ordinis quam jurisdictionis, exercere possit, cum ante pallii receptionem, etiamsi confirmatus sit, imo & consecratus, non possit exercere eos actus, qui ab Archi-episcopo non nisi inter missarum solennia vel saltem cum Archi-episcopalibus insignibus & ornamentis peragi solent.

2. Ante receptum pallium nequit exercere actus jurisdictionis majoris, quos non ut simplex episcopus, sed tanquam Archi-episcopus facere videtur: cujusmodi est convocare concilium provinciale, visitare provinciam, &c. *c. 8. §. præterea. de elect.*

Corollarium: Si Archi-episcopus ab alio Archi-episcopo vel Episcopo rogetur, ut extra provinciam suam ordines conferat, vel ecclesiam consecret, non potest id facere indutus pallio, nequidem cum licentia Archi-episcopi illius provinciæ, cum enim hic pallium dare non possit, neque usum illius concedere potest alteri in sua provincia. Hostiens. *in summa. n. 6. in fin. de author. & usu Pall.*

Quæres 16. *An pallium Archi-episcopale ad alios transeat?* 43

Resp. Archi-episcopus non potest suum pallium alteri commodare, quia pallium est veluti privilegium personale, quod personæ conceditur cum restrictione ad locum, sive in ordine ad Ecclesias propriæ Provinciæ; ideoque cum persona extinguitur. ut constat *ex cap. 2. d. t.* ubi Cœlestinus III. respondit: Pallium non egredi personam, sed cum ea sepeliri debere. Quamvis igiturjus petendi Pallium à sede Apostolica debeat censeri privilegium reale, cum debeatur dignitati Archi-episcopali, eique adhæreat, & ad quemlibet successorem transeat, ipsa tamen concessio Pallii sit personæ, ita ut hæc usum ejus alteri concedere nequeat, sed illud personam inseparabiliter sequatur. Layman. *in cit. cap. 2. n. 2. de auth. & us. Pall.*

Quæres 17. *Si Archi-Episcopus authoritate Pontificia ad aliam sedem transferatur, an possit uti eodem pallio, quo in priore Ecclesia usus est, vel aliud petere & expectare debeat?* 44

Resp. Quod priori nequeat uti, sed aliud petere debet. prob. ex *cap. 4. in fin. de postulat. prælat.* Et ratio est. quia prius Pallium datum est personæ cum restrictione ad certum locum, sive in ordine ad Ecclesias certæ Provinciæ, ut patet in Archi-episcopo, qui renuntiat loco seu Ecclesiæ Archi-episcopali,

is

is enim perdit usum pallii. *cap. 9. de renuntiat.* Ergo etiam Archi-episcopus translatus ad aliam Ecclesiam Metropolitanam, non potest priori pallio uti, extra provinciam illam. Quare prius pallium non remanet quidem in Ecclesia à qua Archi-episcopus est translatus, cum non transeat in successorem, sed personæ sit concessum & illam non egrediatur. *cit. cap. 2. d. t.* & translatus debet illud secum sumere, licet illo non debeat amplius uti, sed novo concesso pro alia Ecclesia, ad quam est translatus; atque talis Archi-episcopus cum utroque pallio sepeliri debet, ita ut posterius acceptum priori supponatur, vel quod magis congruum videtur, mortuus Archi-episcopus pallio posterius accepto induatur, alterum verò corpori & capiti ejus subjiciatur. Abbas *in cit. cap. 2. n. 7.*

§. III.

DE JURE EPISCOPORUM.

SUMMARIA.

1. *Episcopi quinam dicantur?* 2. *A quo Episcopi immediate acceperint suam Jurisdictionem.* 3. *Enuntur objectiones.* 4. *An sub nomine Episcoporum veniant Episcopi titulares.* 5. *Chor-Episcopi quinam dicantur?* 6. *Lex Jurisdictionis & Diœcesana quænam dicantur?* 7. *Episcopus est ordinarius Judex totius Diœceseos.* 8. *Concurrit in Jurisdictione cum Prælatis inferioribus sæcularibus.* 9. *An Prælati sæculares vel Capitulum possit jurisdictionem Ecclesiasticam fori externi privativè acquirere per Præscriptionem?* 10. *Omnia crimina Clericorum non exemptorum sunt privativè ab Episcopo cognoscenda.* 11. *Possunt in suis Diœcesibus liberè punire crimina merè Ecclesiastica vel mixta.* 12. *An valeat præscriptio contra Episcopum, qua adimatur Episcopo facultas puniendi & corrigendi, casu quo Prælati inferiores essent negligentes?* 13. *An Capitulum Cathedrale possit supplere negligentiam Episcopi?* 14. *Quando Prælatus exemptus est negligens, ad quem devolvatur jus corrigendi & puniendi?* 15. *Episcopus vel Prælatus habens Jurisdictionem quasi Episcopalem, an per ministros suos possit capere reos sive Clericos sive Laicos?* 16. *Annotatur Corollarium, quoad violationem juris territorialis.* 17. *Regulares non exempti potius tenentur parere suo Prælato quam Episcopo, Et quo sensu id verum sit?* 18. *Institutio in beneficiis Ecclesiasticis quid*

sit? 19. *Cuinam competat jus instituendi & destituendi.* 20. *Si Patronus Laicus indignum præsentet ad vacans beneficium, quid juris competat Episcopo?* 21. *Item quid juris circa Patronum Ecclesiasticum?* 22. *An Episcopus habeat jus inferendi censuras?* 23. *An & quando Episcopi possint absolvere à censuris Ecclesiasticis?* 24. *An Episcopus possit dispensare in pœnis latæ sententiæ, seu ab ipso jure inflictis?* 25. *Episcopi Germaniæ possunt absolvere à casibus papalibus sive Papæ reservatis.* 26. *An & quando Episcopus possit absolvere ab excommunicatione lata per Prælatos ordinum non exemptorum.* 27. *An mortuo delegato Papæ, Episcopus possit absolvere ab excommunicatione lata per deligatum Papæ?* 28. *Et quid observandum sit Episcopo, quoad alios actus judiciales à delegato Papæ inchoatos?* 29. *Num potestas absolvendi à censuris ab Episcopo alteri committi possit?* 30. *An Episcopi possint dispensare in sacris canonibus?* 31. *Solvuntur objectiones.* 32. *Recensentur casus in quibus possit Episcopus dispensare in jure communi.* 33. *An & quando ad Episcopum pertineat jus conferendi sacramenta & alia sacra?* 34. *An & quando Episcopus possit concedere indulgentias?* 35. *Episcopo competit jus visitandi diœcesin.* 36. *Quinam adhibendi sint ad visitationes peragendas?* 38. *In quibus casibus Episcopus loci jurisdictionem habeat in regulares exemptos?* 39 *Moniales etiam exemptæ quoad clausuram subjacent Episcopo.* 40. *Moniales quæ clausuram non sunt professæ, ad eam amplectendam compelli nequeunt, nisi ob delicta earum.* 41. *Confessarii & administratores bonorum Monialium etiam exemptarum, qualiter subjiciantur Episcopo?* 42. *In quo loco Episcopus possit suam jurisdictionem exercere?* 43. *An possit eam exercere in loco exempto intra Diœcesin sito?* 44. *In quibus casibus jurisdictio Episcopi in Protestantes sit suspensa?* 45. *Si Episcopus per 60. aut 70. annos non sit usus sua jurisdictione in Acatholicos, an possint Acatholici beneficioum præscriptionis obtendere?* 46. *Quid intelligatur per publicum vel privatum sacrorum exercitium?* 47. *Quænam spectent ad legem diœcesanam?* 48. *Quid præstandum sit Episcopo tempore visitationis?* 49. *Quid sit, à quo & quando peti possit subsidium charitativum?* 50. *Quando Episcopus incipiat posse exercere suam jurisdictionem?* 51. *Intra quod tempus Episcopus debeat consecrari?* 52. *Quot sint modi dignitates ecclesiasticas obtinendi?* 53. *Jus nominandi an olim habuerint Imperatores, & quo tempore hoc ab eis sit ablatum?* 54. *Annatæ ab Episcopo neoelecto solvendæ, unde dicantur & quotuplices sint;* 55. *à quibus annatæ solvi debeant?* 56. *Quis fuerit author annatarum?* 57. *An licite potuerint introduci.*

Jura

Jura Episcoporum sunt duplicia, vel enim pertinent ad legem jurisdictionis, vel ad legem diœcesanam. Quænam verò dicatur lex diœcesana vel jurisdictionis, ac quænam ad ea sint referenda, mox infra dicetur.

1 Quæres 1. *Episcopi quinam dicantur & sint, sive quis veniat sub nomine episcopi?*

Resp. Antiquissimum esse episcopi nomen, & non solum in veteri Testamento, juxta illud *Psal. 108. Episcopatum ejus accipiet alter*, sed etiam apud Jurisconsultos Ethnicos usitatum. *l. 18. §. 7. ff. de muneribus & honoribus.* Hodie tamen nomen hoc in sola Religione Christiana reperitur, ac officium denotat. Veteri nihilominus sensu servato adhuc significat præcedentiam & præfecturam, qua episcopus clero ac populo præest; Unde episcopi alio nomine etiam speculatores *in can. 1. dist. 21.* & superintendentes *in can. 1. c. qui Episcopatum. 11. cauf. 8. quæst. 1.* appellantur; & apud Augustanæ Confessioni addictos retentum est; *Epi* enim græcè *super*, & *scopus* idem quod intentio significat.

Episcopos in Hierarchia ecclesiastica esse majores tum ordine tum jurisdictione presbypteris, colligitur ex Evangelio, ubi legitur: Christum alios Apostolos alios discipulos elegisse. *Luc. 6. & 10.* adeoque in locum Apostolorum Episcopi, & in locum discipulorum presbyteri aliique ecclesiæ ministri successerunt. *can. 2. dist. 21, can. 6, dist. 68.* Licet interim in primitiva ecclesia, ubi fides christiana necdum in multas orbis partes diffusa, episcopalis dignitas non ita enituerit, & epscopi tunc presbyterorum officio functi, presbyteris è contra potestas episcopalis communicata, & propterea frequenter presbyteri episcoporum nomine insigniti fuerint. Hinc

Quæres 2. *An Episcopi potestatem jurisdictionis immediate à Christo, an verò ab Ecclesia ejusque capite Romano Pontifice acceperint?* 2

Prima sententia tenet, quod immediatè acceperint à Christo, quam sententiam sequuntur Petrus Sotus & plures alii Doctores apud Azor. *p 2. Institut. moral. lib. 3. cap. 30. quæst. 13.* quorum fundamentum infra in objectionibus referam.

Altera & verior sententia docet, quam tenet Turrecremata *in can. 1. dist. 22.* Azor. *loc. cit.* Molina *Tr. 4. de Justit. Disp. 4. n. 1. & 2.* Barbosa *part. 1. de offic. & potest. Episc. tit. 1. cap. 1. n. 18. & seqq.* Fagnanus *in cap. 1. num. 30. & seqq. de offic. judic. ordin.* quod licet ipsum episcopale munus seu officium, ejusque jurisdictio sit à Christo instituta in genere, adeoque non sit temporalis gubernandi potestas à Republica vel Magistratu humano & civili instituta, sed spiritualis & divina à Christo instituta in genere, si tamen consideretur episcopalis jurisdictio & ipsum officium episcopale, prout in particulari huic vel illi subjecto Confertur, respectu

horum vel illorum ſubditorum; hoc modo & reſpectu ejus jurisdictio immediatè derivetur & conferatur à Romano Pontifice, tanquam Vicario Chriſti, & ſummo univerſalis Eccleſiæ Paſtore ac ſucceſſore Petri, cui à Chriſto dictum eſt: *Paſce oves meas. Joan. 21.* à quo tota jurisdictio tam in conſcientia, quam in externo foro, in reliquas Eccleſiæ poteſtates, ut in patriarchas, epiſcopos, omnes prælatos religionum, & in quoscunque alios judices eccleſiaſticos derivatur. Et

Prob. 1. ex plurimis antiquis canonibus, in quibus dicitur: quod eccleſia Romana ſit prima, quæ ita reliquis vices ſuas credidit largiendas, ut in partem ſint vocatæ ſollicitudinis, non in plenitudinem poteſtatis. *can. 12. cauſ. 2. quæſt. 6.* 2. Quod omnes Patriarchales, Metropolitanas, Epiſcopales Eccleſias inſtituit Romana Eccleſia, habetur *in can. 1. diſt. 22.* 3. Quod Apoſtolica ſedes eſt cardo & caput omnium Eccleſiarum à Domino conſtituta, à quo omnes Eccleſiæ reguntur, ſicut cardine oſtium regitur. *can. 2. diſt. 1.* quarto nullum inſtituiſſe Eccleſias, niſi eos: quos Apoſtolus Petrus, aut ejus ſucceſſores conſtituerunt ſacerdotes; & ab Eccleſia Romana eos principium accepiſſe. *can. 11. diſt. 11.* Quinto Eccleſiæ particulares comparantur ad Eccleſiam Romanam ſicut radii ad ſolem, rami ad radicem, rivuli ad fontem. *can. 18. cauſ. 24. quæſt. 1.* unde evidenter infertur, quod omnes Eccleſiæ particulares, ab Eccleſia Romana ejusque capite Romano Pontifice, proxime ſumant initium, originem & omnem poteſtatem jurisdictionis.

Prob. 2. Ratione S. Thomæ *2. 2. quæſt. 39. art. 3.* ſi poteſtas jurisdictionis epiſcopalis immediatè eſſet data à Chriſto, non poſſet epiſcopis auferri ab eccleſia vel ſummo Pontifice, ſicut poteſtas ſacramentalis ſeu ordinis non poteſt auferri, quia confertur per conſecrationem, per quam imprimitur animæ character indelebilis, ac proinde immediate confertur & accipitur à Chriſto. Atqui poteſtas jurisdictionis epiſcopis poteſt auferri ab eccleſia vel ſummo Pontifice, ut patet in epiſcopo excommunicato, ſuſpenſo, degradato, depoſito, hæretico vel ſchismatico. Ergo falſum eſt poteſtatem jurisdictionalem epiſcoporum immediatè conferri vel accipi à Chriſto. Azor. *cit. cap. 30. quæſt. 13.*

Objicies 1. Illud *act. 20. attendite vobis & univerſo gregi, in quo Spiritus S. vòs poſuit epiſcopos regere eccleſiam Dei.* Ergo.

Reſp. Epiſcopos eſſe a Spiritu S. conſtitutos in particularibus eccleſiis immediate. N. mediate: mediante jurisdictione, quæ proxime tribuitur ab eccleſia vel Papa. C. ſicut etiam illi epiſcopi de quibus loquitur Paulus, erant a Spiritu S. poſiti, non quidem proxime, ſed per ipſos Apoſtolos, qui illis jurisdictio-

dictionem dederant. Sic quod ecclesia facit vel præcipit, dicitur Spiritus S. facere, non proxime sed mediante ecclesia, quomodo etiam idem S. Paulus *ad Ephes. 4.* dicit: Deum posuisse quosdam Apostolos, alios Doctores, alios Pastores, usque ad consummationem sæculi, & tamen non omnes Doctores aut Pastores ponit Deus immediate per se ipsum, sed per Vicarium suum, scilicet Papam. *Azor. loc. cit.*

Objicies 2. Episcopi successerunt in locum Apostolorum *can. 2. dist. 21.* & tradit concilium Tridentinum *sess. 23. cap. 4.* Subsumo: atqui Apostoli immediate a Christo acceperunt potestatem jurisdictionis. Ergo etiam censeri debet Apostolorum successoribus ab eodem immediate esse concessam jurisdictionem.

Resp. 1. N. Subs. plures equidem dicunt Apostolos non immediate accepisse jurisdictionem a Christo, sed a Petro *can. 7. dist. 19.*

Resp. 2 N. conseq. ex eo enim quod Christus in primæ ecclesiæ fundatione immediate dederit potestatem jurisdictionis, non bene infertur: ergo etiam postea in propagatione ecclesiæ immediate eandem potestatem dat aliis episcopis, qui non sunt Apostoli, & non mediante Vicario suo generali; sicut non sequitur: in prima creatione mundi cœli & elementa ac partes principales mundi immediate a Deo facta fuerunt, ergo etiam in propagatione mundi omnia immediate fiunt a Deo, non mediantibus causis secundis. Turrecremata. *loc. cit. disp. 22. n. 3.*

Instas. Pontifex habet suam potestatem immediate a Christo, ex *dd. supra.* Ergo etiam episcopi; vel detur disparitas.

Resp. C. Antec. N. conseq. disparitas hæc est, quia Petrus constitutus fuit a Christo Vicarius, ipsique dedit Christus, ut, capiti potestatem per totum orbem instituendi & creandi episcopos omnium ecclesiarum, quæ cum data sit ratione officii vicariatus, velut ordinaria & perpetuo duratura, etiam ad successores Petri tansit. At vero cæteri Apostoli acceperunt quidem a Christo immediate etiam potestatem fundandi ecclesias, & constituendi episcopos per totum orbem, sed tanquam personale privilegium ea potestas data fuit Apostolis, ideoque ipsis decedentibus exspiravit, nec ad successores episcopos transiit, quia ipsi non successerunt Apostolis in dignitate apostolatus, cui illa potestas annexa fuit, sed solum in officio episcopatus; & quamvis etiam primi episcopi, qui Apostolis successerunt, & a quibus in certis ecclesiis sunt constituti, ab iisdem acceperint jurisdictionem ordinariam, tamen post mortem eorum Petro vel ejus successoribus subjectam. Barbosa *loc. cit. n. 31. & seqq.*

Corollarium. Sub nomine epi- 4
scoporum hic improprie & valde late

late comprehenduntur ac nuncupantur episcopi titulares, nominales, quorum tituli & diœceses sunt in partibus infidelium, nec jurisdictionem nec subditos habent, nisi in actu primo, ac potentia, tunc saltem in actum secundum exitura, quando erit *unus pastor & unum ovile*. Hi inquam episcopi nominales quoad characterem sacramentalem & potestatem ordinis sunt reliquis episcopis æquales, quæ ratio est, quod aliquatem adhuc obtineant prærogativam & præeminentiam episcopis competere solitam; quoad potestatem jurisdictionis autem, sicut dixi, nullam habent, sed in Germania agunt reliquorum Germanorum episcoporum in pontificalibus Vicarios, communiter dictos suffraganeos (Weyh-Bischöffe) quorum munus est, ut episcopis ægrotantibus, absentibus aut alias legitime impeditis, eorum vices suppleant, sacros ordines conferant, ecclesias dedicent, altaria consecrent &c. De his in præsenti nulla est quæstio, sed de iis duntaxat, qui actualem exercent jurisdictionem ecclesiasticam, & in actu secundo Diœcesin ac subditos habent.

5 Corollarium 2. Sub nomine episcoporum multo minus veniunt ac comprehenduntur Chor-episcopi: hi equidem nec quoad potestatem jurisdictionis vere episcopi sunt, nec quoad potestatem ordinis; equidem cum consecrati non sint, characterem episcopalem non habent; non quoad potestatem jurisdictionis: cum nec diœcesin nec subditos habeant. Olim vero Chori-episcopi erant Presbyteri, ut in villis aut pagis curam animarum gererent loco episcopi, licet non possent absque episcopi licentia vel consensu ea quæ sunt ordinis exercere. Ut in concilio Neocæsarienſi *cap. 3.* in Antiocheno *cap 20.* & Hispalensi *cap. 20.* quod etiam pluribus probant & decernunt Damasc. *Epist. 1.* Leo *Epist. 36.* Joannes III. *Epist. 1.* & concilium Antiochenum *cap. 4.* Statuit, ne ii qui in vicis Chor-episcopi appellantur, presbyterum & diaconum audeant ordinare præter civitatis episcopum, sed contenti sint propria sollicitudine & gubernatione, quam susceperunt. quorum tamen ordo postea fuit ab ecclesia penitus reprobatus. Ut *in can. Chorepiscopi Dist. 68.* quid de Chor-episcopis senserit Joannes III. constat ex ejus epistola ad episcopos Germaniæ & Galliæ, quæ habetur *tom. 2. Concil. part. 3. p. 205. Col. 2.* ibi: *ideoque illos quos Chor-episcopos vocatis &c.* Episcopos non esse, nec *aliquid de Pontificali privilegio agere debere, perspicuum est.* Hodie tamen in Germania ubi inveniuntur Chor-episcopi, hi non sunt tales, quales olim, sed mera gerunt nomina, ad significandam aliquam præeminentiam præ reliquis Canonicis ecclesiæ ejusdem, in qua sunt, de dignitate autem vel potestate episcopali nihil participant, adeoque

que nec sub reprobatis *in d. can. Chor-episcopi,* continentur.

6 Quæres 3. *Quænam dicatur Lex diœcesana & Lex jurisdictionis?*

Ad hanc quæstionem Glossa tradit regulam, quod ea, quæ consistunt in dando seu conferendo vel in actione, pertineant ad legem jurisdictionis, talia sunt causas audire, delicta punire, instituere vel destituere, visitare, excommunicare, suspendere, interdicere, conferre sacramenta, & alia similia. At verò quæ consistunt in recipiendo, sivè ut Hostiensis loquitur in passione, ea ad legem Diœcesanam spectant, cujusmodi sunt recipere Carhedraticum, quartam decimarum, & mortuariorum &c.

Verum hanc regulam improbat Pirrhing. *sect. 3. §. 2. num. 44. de offic. judic. ordin.* eo quod jure probari non possit, cum nullibi dicatur, quod ea, quæ consistunt in dando, sint de lege jurisdictionis, quæ verò in recipiendo, sint de lege diœcesana, quin potius id convinci possit falsitatis ex eo, quod procurationes constant in recipiendo, & tamen monasteria non sunt exempta à procurationibus debitis ratione visitationis. *cap. 14. de censur.* & ad quartam mortuariorum obligantur etiam monasteria *cap. 15. de testam.* & tamen in recipiendo consistit, monasteria verò regulariter non obligantur, ad ea quæ ad legem diœcesanam pertinent, ob favorem religionis *can. inter cætera. 8. caus. 10. quæst. 10.* è contra verò synodi celebratio non consistit in recipiendo, in quo præsidet episcopus & jurisdictionem exercet, & non venientes punit, & tamen secundum Glossam est de lege Diœcesana, Igitur

Melius sentit Gonzalez. *ad cap. 18. num. 9. de offic. judic. ordin.* qui dicit per *legem* ibidem intelligi rationem formalem, ita ut illa, quæ spectant ad episcopum ratione jurisdictionis episcopalis, dicantur pertinere ad *legem jurisdictionis*, quæ verò spectant ad episcopum ratione diœcesis, censeantur ad legem diœcesanam pertinere. Imo addit Pirrhing. *l. c. sect. 2. §. 2. num. 44. circa med.* illa à quibus monasteria non reperiuntur exempta de jure, illa pertinere ad legem jurisdictionis, illa verò à quibus exempta de jure reperiuntur, ad legem diœcesanam referri. Hic tamen advertendum etiam est, legem diœcesanam & legem jurisdictionis si strictè sumantur, eas distingui quidem, si tamen late sumantur, lex diœcesana etiam sub se comprehendit legem jurisdictionis. Abbas *in cap. 18. num. 2.* Imola *num 6. in fine de offic. judic. ordin.*

Quæres 4. *Quænam pertineant ad* 7 *legem jurisdictionis, sive quænam facere possit vi jurisdictionis Episcopalis?*

Resp. 1. Ad legem jurisdictionalem pertinet imprimis cognitio judicialis omnium causarum ad forum ecclesiasticum externum spectan-

ſpectantium, quas tanquam ordinarius judex totius diœceſis per ſe vel per alium audire poteſt & cognoſcere. *cap. conquerente de offic. judic. ordin.*

7 Reſp. 2. Epiſcopus ſpectato jure communi in jurisdictione cumulative concurrit cum Prælatis inferioribus ſæcularibus, qui eccleſiaſticam jurisdictionem fori externi ordinariam habent ſubordinatam Epiſcopo, cui ſunt ſubjecti, veluti Decanus vel Capitulum Cathedrale, Præpoſitus ſeu Rector Eccleſiæ Collegiatæ; item Abbas non exemptus, ita ut inter eos locus ſit præventioni, & in cauſis civilibus optio detur actori, an reum ſtatim convenire velit coram epiſcopo, an verò coram inferiore Prælato eccleſiaſtico. *argum. l. ult. C. de Jurisdict. omn. judic.* Nam Epiſcopus eſt ordinarius judex omnium clericorum totius diœceſis. *cap. 7. de offic. judic. ordin. in 6.* Abbas *in cap. 3. d. t. n. 9.*

8 Dixi: *ſpectato jure communi.* Poſſunt equidem Prælati inferiores contra Epiſcopum in certâ parte diœceſeos per privilegium vel legitimam præſcriptionem acquirere jurisdictionem fori externi privativè, ſeu excluſo epiſcopo, ut apertè colligitur *ex cap. 13.* juncta gloſſa *V. Capitulum. de offic. judic. ordin.* Abbas *ibid. n. 1. & in cap. 11. n. 7. eod.* quo caſu epiſcopus non poterit cognoſcere cauſas, nec ſe immiſcere, niſi ab inferiore Prælato ad ipſum appelletur. Abbas *loc. cit.* Sic de facto in pluribus Eccleſiis cathedralibus Germaniæ videmus obtinere, ut jurisdictio eccleſiaſtica fori externi in cauſis civilibus penes Decanum & Capitulum privativè reſideat, quod in ſpecie obtinet in Eccleſia Cathedrali Herbipolenſi. Imò de conſuetudine diœceſeos Herbipolenſis omnes inferiores Prælati non exempti obtinent privativè, id eſt excluſo epiſcopo primam inſtantiam.

Reſp. 3. Clerici ſive ſæculares, 10
ſive regulares in cauſis criminalibus coram epiſcopo privative ſive excluſis Prælatis inferioribus ſunt conveniendi. *can. 1. in fin. cauſ. 16. quæſt. 2. can. 38. cauſ. 11. quæſt. 1.* Abbas *loc. cit.* Pirrhing. *loc. cit. §. 3. n. 45.*

Reſp. 4. Epiſcopi habent juris- 11
dictionem ordinariam ac liberam poteſtatem in diœceſibus ſuis adulteria & alia ſcelera ſecundum canones inquirendi & puniendi absque alicujus impedimento, & ſi opus fuerit: poſſunt etiam auxilium ſæcularis magiſtratus invocare; non ut unus magiſtratus alteri præjudicet, ſed ut mutuo ſe adjuvantes, id quod Deo placitum eſt, exequantur. Prout ſtatuitur *in cap. 1. c. 12. in princ. de offic. jud. ordin.*

Poteſt igitur epiſcopus in criminibus procedere per viam inquiſitionis, dummodo præcedat infamia, (ſi inſtituitur inquiſitio ordinaria & ſpecialis contra certam perſonam) quæ vicem accuſatoris ſuſtinet, *cap. 24. de accuſat.* Si vero

inſti-

instituitur inquisitio extraordinaria & generaliter inquiritur, ut cum episcopus visitans diœcesin ex officio generaliter inquirit, an non aliqui criminosi reperiantur vel crimina committantur, vel si crimen quidem sit notorium, sed ignoratus quis fecerit, tum summarie & sine strepitu judicii procedi potest, etiamsi infamia non præcedat.

Imo possunt Episcopi inquirere & punire crimina non tantum clericorum sæcularium & regularium non exemptorum, *cap. 12. de offic. judic. ordin.* sed ipsorum etiam laicorum, quia *cap. 1. d. t.* generaliter loquitur de tota Diœcesi, adeoque non est restringendum ad clericos, de quibus nullum fuerat dubium, sed etiam laicos comprehendit, quoad crimina mere ecclesiastica, ut est hæresis, Simonia; vel quæ sunt mixti fori, de quibus uterque Judex ecclesiasticus & sæcularis cognoscere potest, & est inter eos præventioni locus, quale mixtum crimen est, v. g. adulterium, in quo episcopus procedere potest etiam contra laicos, si agatur de ejus prohibitione & punitione; secus est, si agatur ad separationem tori, tunc enim est crimen mere ecclesiasticum, de quo non potest judex secularis cognoscere; quoad alia vero crimina, quæ non sunt mere ecclesiastica, nec mixti fori, non possunt se regulariter immiscere episcopi, in quos temporalem jurisdictionem non habent, cum ecclesiastica & sæcularis sint potestates separatæ ac distinctæ. Glossa *in cap. 1. V. secundum quod canones.* Imola *ibid. n. 5.* Abbas *num. 6. de offic. judic. ordin.* & alii Doctores communiter.

Resp. 5. Quamvis Prælatus inferior episcopo vel capitulum possit per legitimam præscriptionem obtinere jurisdictionem seu potestatem corrigendi & puniendi suos clericos subditos, etiam excluso episcopo, prout colligitur *ex cap. irrefragabilis. de offic. jud. ordin.* & docet *ibid.* Abbas *n. 1.* non tamen valet præscriptio quantumvis diuturna, per quam episcopo omne jus corrigendi, etiam in habitu auferatur, ita ut tametsi inferior, ad quem ex privilegio vel præscriptione pertinet correctio, eam negligat, episcopus se immiscere eamque supplere non possit; ut patet *ex cit. cap. irrefragabilis, in princ.* Et ratio est, quia talis præscriptio esset perniciosa ecclesiæ, imo fini & institutioni officii episcopalis derogaret ac repugnaret, quod se ad omnes Diœcesanos extendit, qui specialiter exempti non sunt. *argum. cap. cum non liceat. 12. de præscript.* Layman, *in cit. cap. irrefragabilis n. 3.* 12

Resp. 6. Episcopus supplet negligentiam capituli cathedralis vel Decani, *juxta dd.* non tamen e contrario inferior supplet negligentiam episcopi, quia jurisdictio ad solum episcopum principaliter spectat. Abbas *loc. cit. n. 3.* Quodsi 13

Dicas: In collatione beneficiorum propter negligentiam episcopi potestas conferendi ad capitulum devolvitur. *cap. 2. de conceſſ. præbend.* ergo etiam in casu negligentiæ devolvitur exercitium jurisdictionis ad capitulum.

Resp. C. Antec. N. Conseq. Disparitas est, quia major comunio sive conjunctio est inter episcopum & capitulum in collatione beneficiorum, quam in exercenda jurisdictione, nam episcopus & capitulum spectato jure communi regulariter debent simul beneficia conferre; jurisdictio vero principaliter ad solum episcopum pertinet.

14 Resp. 7. Quando Prælatus Episcopo inferior sed *exemptus*, est negligens in corrigendis subditis, potestas corrrigendi non devolvitur ad episcopum, sed ad superiorem illius Prælati exempti. Ut si Prælatus sive Abbas exemptus negligens sit in corrigendo monachos suos, potestas corrigendi non ad episcopum diœcesanum, sed ad Papam devolvitur. Abbas *in cap. 19. n. 6. de offic. judic. ordin.* Pirrhing. *sect. 3. §. 3. n. 54. eod. tit.* idemque dicendum est, si Abbas seu Prælatus exemptus habeat Ecclesias aliquas monasterio suo pleno jure subjectas, seu incorporatas, & remissius sit in corrigendo, tunc enim potestas corrigendi non ad episcopum diœcesanum, sed ad Papam devolvitur., prout sumitur ex *cit. cap. 19.* Ratio est, quia licet Papa mandet Episcopo, ut Clericos suæ Diœceseos corrigat, non tamen censetur eum facere delegatum, sivè dare ei potestatem in exemptos, sed excitare officium ipsius seu potestatem ordinariam, ne in ea exercenda sit negligens; neque enim censeri debet per mandatum generale concessum derogari speciali, scilicet privilegio exemptionis, si de illo non fiat mentio in generali. *argum. cap. 12. de offic. judic. ordin.*

Resp 8. Episcopi & similes Prælati, qui quasi Episcopalem jurisdictionem obtinent, reos clericos in causis seu criminibus ad forum ecclesiasticum spectantibus, non solum per ministros suos capere, sed etiam pœna carceris, trirerium, verberum, afficere possunt. *cap. 7. de offic. judic. ordin. in 6.* cum merum & mixtum imperium habeant. Abbas *in cap. 10. n. 8. de offic. judic. ordin.* exceptis iis quæ ad primum gradum pertinent, & Papæ specialiter reservata sunt *cap. 4. de offic. de legat.* Non tamen pœnam mutilationis vel mortis infligere possunt, sed si crimen meretur, clericos degradare debent, & degradatos judici sæculari tradere. *cap. 4. de rapt.* Molina *Tract. 5. Disp. 7. n. 1.* Layman, *de jurisdict. ordin. concluſ. 66.* quin imo etiam laicos ab episcopo, non solum ob crimen hæresis, juxta *cap. 12. & cap. 18. de hæretic. in 6.* sed etiam ob alia crimina, quæ vel merè ecclesiastica sunt, vel mixta seu utriusque fori (in quibus etiam laici subjiciuntur jurisdictioni seu foro ecclesiastico episcopi) capi, in-

incarcerari ac puniri posse probabilius est, cum ad merum imperium, quod Episcopus in suo foro ecclesiastico exercet, pertineat jus facinorosos capiendi, incarcerandi, puniendi. Covarruv. *Pract. quæst. cap. 10. num. 2.* Cardinalis Tuschus *V. Episcopus. concl. 15.* Martha *Tract. de jurisdict. part. 1. cap. 50. n. 8. & seqq.* idque aperte sumitur ex can. 10. juncta Glossa *V. Verberibus. caus. 26. quæst. 5.* ubi de laicis est sermo, quod episcopus eos possit verberibus castigare, & in carcerem mittere reos. Si

Dicas: *in cap. 7. de offic. jud. ordin. in 6.* ait Pontifex: Episcopum ecclesiasticas personas posse capere, & incarcerare ob delicta. Ergo id ipsum videtur negare de laicis.

Resp. 1. N. Conseq. quia argumentum à sensu contrario non est efficax, si contrarium habeatur jure expressum, uti habetur *cit. can. 10. caus. 26. quæst. 5.*

Resp. 2. Dici posse, quod Bonifacius VIII. *in cit cap. 7.* non fecerit mentionem de laicis, sed de solis ecclesiasticis seu clericis, quia in hos generatim & indifferenter episcopus jurisdictionem exercet, in laicos verò solum in ordine ad certas causas seu crimina, quæ eo loco specifice exprimere Pontifex non intendit. Layman. *ibid. num. 3.* ex quo deducitur.

Corollarium bene advertendum, quod si episcopus laicum criminis ecclesiasti reum capi faciat in territorio licet alieno, in quo tamen 16 habeat jurisdictionem diœcesanam, fractæ publicæ pacis argui non possit, qui enim facit id quod jure potest, contra jus pacis publicæ non agit. Tum etiam, licet capiat in territorio alieno, in sua tamen capit diœcesi, adeoque non tam in alieno territorio, quam propria diœcesi capere censetur.

Resp. 9. Episcopus potest etiam pœnas seu mulctas pecuniarias imponere, tum clericis sibi subjectis, tum laicis ob delicta ad forum ecclesiasticum pertinentia, v. g. ob blasphemiam, percussionem clerici, aut immunitatis ecclesiasticæ violationem, *cap. 4. de rapt.* & sumitur etiam ex *can. 55. caus. 16. quæst. 1.* juncta Glossa *ibid. V. Bannum. cap. 18. de offic. judic. ordin.* Joan. Andr. *ibid. n. 7.* Abbas *num. 1.* Imola *n. 1.* Barbosa *de offic. Episc. alleg. 107. n. 18.* & potest episcopus talem pœnam pecuniariam sibi, vel fisco seu cameræ suæ applicare. *argum. cit. cap. 18. de offi. judic. ordin.* Verum juxta decretum concilii Trid. *sess. 25. cap. 3. de reform.* hæ mulctæ causis piis applicari debent.

Resp. 10. Etsi regulares non ex- 17 empti, quoad disciplinam regularem, subsint suo Abbati seu Prælato ordinis, ita ut in iis quæ ad regulares observationes spectant, magis obedire debeant Prælato quam episcopo, adeoque etiam in his potestas corrigendi primò & immediatè ad Prælatum ordinis

ſpectet, cui ratione voti obedientiæ ſunt ſubjecti, ita ut contumaces & incorrigibiles, etiam ejicere poſſit, ut docet Sanchez. *lib. 6. moral. cap. 1. n. 12.* attamen in iis quæ ad eccleſiaſticam diſciplinam pertinent, & quoad punitionem criminum graviorum, præſertim quæ depoſitionem merentur, directè & immediatè ſubjiciuntur religioſi non exempti epiſcopo ſeu ordinario loci, cui etiam in his ipſimet eorum Prælati. Sanchez. *loc. cit. n. 13* Pirrhing. *ſect. 3. §. 3. n. 58. de offic. judic. ordin.* aliique ab eo relati. Nam regulares non exempti, ſicut alii clerici, legi jurisdictionis epiſcopi ſubjecti, etſi ratione voti ei non ſubdantur.

Reſp. 11. Si Prælatus regularis non exemptus ſit negligens in regulari diſciplina obſervanda, & quotidianis erratis corrigendis, poſt monitionem factam, ad epiſcopum devolvitur poteſtas corrigendi, nam ob hanc cauſam monaſteria viſitantur ab epiſcopis, ut inquiratur, an regularis diſciplina in iis vigeat, nec ne; prout ſumitur *ex cap. 7. de offic. judic. ordin.* Correctio igitur regularium in iis, quæ diſciplinam regularem concernunt, primo loco ſpectat ad prælatos eorum, & ſi hi ſint negligentes in corrigendo, tunc epiſcopi eos corrigere debent. Suarez. *tom. 3. de relig. lib. 10. cap. 11. n. 15.*

Verum in cauſis civilibus, ſi religioſus extra monaſterium degens, v. g. ſtudiorum cauſâ in Academia, debitum contrahat, coram epiſcopo potius judicialiter conveniendus erit, quam coram Prælato ordinis, quia cum ſolutio ex bonis monaſterii fieri debeat, Abbas eſſet judex in cauſa propria, ſi verò monaſterium, ad quod religioſus debitor pertinet, & ex cujus bonis ſolvendum eſt debitum, Abbati alterius monaſterii ſit ſubjectum, tunc Epiſcopus & Abbas ille ſuperior in jurisdictione concurrunt, ita ut coram utroque, & pro arbitrio conveniri poſſit religioſus ille in cauſa debiti, & præventioni inter illos ſit locus; niſi actor ultra velit judicio Abbatis ſe ſubjicere, quia potius monaſterium tangit quam ejus Prælatum, tunc enim non prohibetur de ea judicare. Layman. *de jurisd. ordin. concluſ. 119.* quod verò attinet regulares exemptos, illi juxta privilegia apoſtolica extra monaſterium degentes, coram locorum ordinariis conveniri non poſſunt, non obſtante Concil. Trident. *ſeſſ. 7. cap. 14. de reform.*

Quæres 5. *Quam poteſtatem habeat Epiſcopus inſtituendi in beneficiis & deſtituendi ſeu deponendi?*

Conſiſtit lex jurisdictionalis epiſcopi etiam in inſtitutione in beneficiis & deſtitutione ſeu depoſitione *cap. conquerente de offic. judic. ordin.*

Sumitur autem hic inſtitutio latè, ut pro libera collatione, vel pro confirmatione electionis, aut nominationis ad beneficium aliquod

quod per alium, quam episcopum factæ, vel pro approbatione præsentati à Patrono ad beneficium patronatum, vel pro confirmatione collationis ab alio ex privilegio vel consuetudine factæ, quam ab Episcopo. Tholosanus *in explicat. ad d. cap. conquerente. c. 8.* quamvis interdum etiam institutio accipiatur pro investitura, sive inductione in actualem possessionem beneficii. Destitutio verò opponitur institutioni, & est depositio ac remotio, vel ab officio & beneficio ecclesiastico in perpetuum, vel à privilegiis clericalibus fori & canonis & omnibus aliis, quæ degradatio verbalis, vel ab ordine: quæ degradatio realis sive actualis vocatur, ut supra dixi. *differt. 2.*

19 Porro cui competit de jure communi jus instituendi, eidem etiam competit jus destituendi; unde Episcopus super utroque jure habet fundatam intentionem suam, in omnibus Ecclesiis suæ diœceseos. *can 20. caus. 16. quæst. 7. cap. cum ex-juncto. in fin. de hæretic.* secus si institutio alicui competat ex jure speciali, scilicet privilegio, vel ex præscriptione, tum enim acquisita institutione, non censetur etiam acquisita destitutio. Felinus *in cap. conquerente. in princ.* Fagnanus *ibid. n. 19. & 20.*

20 Resp. 1. Si vacantibus Ecclesiis Patronus laicus ad illas personam minus idoneam præsentet, vel de jure præsentandi inter ipsum & Episcopum sit controversia, vel si ob aliam causam; v. gr. ob magnum scandalum, non possit statim rector vel beneficiatus institui, tunc poterit Episcopus interim remota appellatione, oeconomos constituere, qui Ecclesiæ vel beneficii vacantis fructus percipiant, eosque in Ecclesiæ utilitatem expendant, seu convertant, vel futuro successori reservent. prout statuit Alexander III. *in cap. 4. de offic. judic. ordin.*

Resp. 2. Si Patronus laicus indignum præsentet ad Ecclesiam vel beneficium, non ideo est pro ea vice privatus, nec privandus jure ac potestate præsentandi, sed alium eumque idoneum præsentare debet ut colligitur ex *cit. cap.* quod si tamen Patronus laicus intra quatuor menses ipsi ad præsentandum præfixos de jure, *cap. 3. cap. 27. de Jure Patron.* alium præsentare omittat, tum libera provisio seu collatio ad ordinarium collatorem devolvitur, quia paria sunt nullum vel indignum seu inhabilem præsentari. Quodsi tamen lis esset inter Patronum & Episcopum vel alium superiorem ad quem pertinet jus instituendi, super ipsa præsentatione, an nimirum præsentatus sit dignus an non? tunc lite pendente, etiam si ea duret ultra 4. menses, non poterit Episcopus Ecclesiæ de rectore providere, sed interim œconomum constituere debet.

Resp. 3. Si Ecclesia vel beneficio 21
vacante jus præsentandi pertineat ad personam ecclesiasticam, & Ec-

cleſiæ ob juſtam cauſam ſtatim de rectore idoneo providere nequeat, tunc non epiſcopus ſed patronus eccleſiaſticus ibi œconomum ſeu adminiſtratorem redituum conſtituere poteſt. ut colligitur ex *cit. cap.* à ſenſu contrario, ibi: *in quibus Eccleſiaſtica perſona perſentationem non habet.* Quia Patronus eccleſiaſticus habet adminiſtrationem & cuſtodiam bonorum eccleſiaſticorum, non item patronus laicus, qui defenſionem tantum habet, niſi ex privilegio Papæ vel legitima conſuetudine jus cuſtodiæ ſeu adminiſtrationis ei competat. Quod hactenus verum eſt de jure antiquo; De jure autem noviſſimo concilii Trid. *ſeſſ. 25. cap. 9. de reform.* ſive Eccleſia ſit liberæ collationis, ſive juris patronatus, eccleſiaſtici aut laicalis, non poſſunt ſe patroni ingerere in perceptione redituum Eccleſiæ vel beneficii, ſed epiſcopus debet poſt habitam notitiam vacationis œconomum ſeu vicarium in ea conſtituere, qui illius curam ſeu adminiſtrationem habeat; ut patet etiam *ex cap. 18. ſeſſ. 24. ejusdem Concilii.*

22 Quæres 6. *Quam poteſtatem inferendi cenſuras habeat Epiſcopus?*

Lex jurisdictionalis epiſcopi conſiſtit etiam in poteſtate inferendi cenſuras eccleſiaſticas. *d. cap. conquerente. 16. de offic. judic. ordin.* quod eſt ordinarium remedium coercendi contumaces & inobedientes, atque jura epiſcopalia violare attentantes. *cap. 1. de offic. jud. deleg.* & ex *dd.* ſupra, ſub nomine cenſuræ venit excommunicatio, ſuſpenſio interdictum. Hinc:

Reſp. Epiſcopi & ſimiles Prælati quaſi epiſcopalem jurisdictionem habentes, poſſunt cenſuras prædictas & pœnas canonicas alias privationis aut depoſitionis in perpetuum clericis criminoſis infligere, ac debent pro criminis qualitate, ſecundum diſpoſitionem juris canonici, & conſuetudinem præſentis temporis, veluti ob adulterium & alia crimina ſive minora ſivè æqualia vel majora, ut perjurium inceptum, ſtuprum violentum, magiam, ob quæ clerici beneficiis privari, imò etiam deponi ab officio & ordine clericali merentur. ut ex communi tradit Abbas *in cap. 4. in princ. n. 33. & ſeqq. de judic.* Layman. *de jurisdict. ordin. concluſ. 69.*

Quæres 7. *Quam poteſtatem abſolvendi à cenſuris habeat Epiſcopus?*

Ad legem jurisdictionalem Epiſcopi rurſus pertinet abſolutio à cenſuris & pœnis. Layman. *in cit. cap. conquerente. 16. num. 2. d. t.* Hinc

Reſp. Epiſcopi poſſunt etiam 23
a cenſuris eccleſiaſticis aliisque pœnis canonicis quandoque abſolvere, vel easdem relaxare ex rationabili cauſa, ſaltem in caſibus jure expreſſis. *cap. 4. §. de adulteriis. de judic.* & *ibidem* Abbas *n. 4.* quare, licet, ſi lex canonica ſtatuat, vel etiam conſuetudo eccleſiæ imponat certam pœnam clerico, v. g. ob adul-

adulterium esse beneficio privandum, vel etiam ab ordine clericali perpetuo deponendum, talis pœna ordinarie sit ab episcopo imponenda, ita ut pro mero arbitrio suo, eam remittere non possit, ut docet S. Thomas *c. 2. q. 67. n. 4.* ubi ait: Judex inferior non habet potestatem eum absolvendi a pœna, contra leges a superiore sibi impositas. Menoch. *de arbitr. judic. quæst. 96. n. 10.* & sumitur *ex l. 8. C. ad legem Jul. de vi publ. l. 1. §. quorum. ff. ad S. C. Turpill.* ubi dicitur: quod pœnæ persecutio non judicis voluntati mandatur, sed legis authoritati reservatur. Farinac. in *Praxi Criminal. p. 1. l. 1. tit. 3. quæst. 19. n. 5.* Nihilominus tamen ex justa causa concessum est, etiam judici non supremo sed subordinato, rigorem juris temperare, pœnamque minuere. Glossa *in cit. l. 1. V. facti.* Farinacius *loc. cit. n. 7.* unde episcopus non tantum in adulterio & aliis criminibus minoribus *cit. cap. 4. de judic.* (ob quæ si absolute gravia & scandalosa sint, suspensio inferenda est ad certum tempus, vel donec se clericus emendaverit) Layman. *ibid. n. 6.* sed etiam in majoribus vel æqualibus adulterio criminibus, super pœnis canonicis non latis sed ferendis dispensare potest ex causa justa, easque minuere & commutare, nisi canon id prohibeat. Innocent. *in cap. 15. n. 2. de tempor. ordin.* Layman. *de jurisdict. ordin. concluf. 69.* Nam in criminalibus licet semper dispensare nisi prohibeatur. *Argum. l. 28.* juncta Glossa *V. prohibeant. ff. ex quibus caus. majores &c.* ubi ait: Omnia sunt permissa per legem, quæ non reperiuntur prohibita. Et ratio est, quia facultas dispensandi in criminibus, cum sit gratia principis, in tertii præjudicium non cedens, benigne & late interpretari debet. Abbas *in cit. cap. 4. §. de adulteriis n. 15.* Estque adulterium *in cit.* §. exempli causa positum. Layman. *ibid. num. 7.*

Resp. 1. Non tantum dispensare potest episcopus ex causa justa cum adultero v. g. vel incestuoso ut non privetur beneficio, vel non deponatur, sed etiam postquam ob adulterium vel furtum damnatus est, vel per sententiam latam depositus, adeoque infamiam contraxit, potest eum episcopus dispensative restituere post actam pœnitentiam & vitæ emendationem. Abbas *in cit. cap. 4. §. de adulteriis, n. 14.* Felinus *ibid. n. 12.* Layman, *de jurisdict. ordin. conclus. 70.* Et ratio est, quia data potestate episcopo dispensandi in pœna, censetur etiam ei data super accessorio, scilicet restituendi famæ depositum. Ex Concil. Trid. *Sess. 25. can. 14. de Reform.* Sed insuper probabile est, licet canon præcipiat ut ob crimen pœna suspensionis inferatur ad certum & determinatum tempus, v. g. triennium, posse episcopum ex gravi causa eam remittere & dispensare. Layman. *de jurisdict. ordin. concluf. 71.* Pirrhing.

Sect.

Sect. 3. §. 5. n. 70. circa fin. aliique ab eo relati. Quia licet clericus ob adulterium vel furtum damnatus & depositus infamiam incurrerit, tamen restitutus contra sententiam indirecte & consecutive etiam famæ restituitur, ut officio clericali fungi, & beneficium ecclesiasticum, consequi possit. Abbas *l. c. num. 15.* Layman. *cit. loc. concluf. 70.*

24 Resp. 3. In Pœnis latæ sententiæ seu ipso jure inflictis, episcopus dispensare aut easdem relaxare nequit. Felin. *in c. 4. §. de adulteriis. n. 4.* Layman. *loc. c. concluf. 71.* Pirrhing. *loc. cit. n. 71.* Ratio est: quia sicut inferior non potest tollere legem superioris, ita nec pœnam ei annexam, nisi ipsi sit commissum; ut si irregularitates vel suspensiones ex delicto occulto, & non deducto ad forum contentiosum, proveniant, in his enim episcopus dispensare potest ex commissione concilii Tridentini *Sess. 24. cap. 6. de reform.* Verum in pœnis legalibus seu canonicis, quæ sunt sententiæ ferendæ, quando scilicet judici a lege præcipitur, ut ob tale crimen pœnam inferat, v. g. depositionis, episcopus potest ex rationabili causa dispensare, seu spectatis circumstantiis eas minuere, ut colligitur per sensum contrarium ex supra *dd.* quia episcopus non potest dispensare in pœnis ipso jure latis, sive a canone impositis, quæ trahunt secum executionem & ipso facto incurruntur. Layman. *in cit. cap. 4. §. de adulteriis. n. 8.*

25 Corollarium 1. Licet episcopus in pœnis canonicis ipso jure latis, sive quæ sunt pœnæ latæ sententiæ, & puræ pœnæ propter delictum commissum ipso jure inflictæ, potest tamen episcopus a censuris Papalibus proprie dictis, v. g. excommunicatione aut suspensione, quæ propter contumaciam ipso jure incurruntur, absolvere in utroque foro, quia illæ non sunt reservatæ. *argum. cap. 29. & 32. de sent. excomm.* Glossa recepta *in Clement. 1. §. Verum quia V. excommunicationis de hæretic.* Layman. *de jurisdict. ordin. concluf. 71.*

26 Corollarium 2. Quoad episcopos Germaniæ advertendum est, quod respectu eorum casus, qui alias sunt papales, sive Papæ reservati, ob nimiam frequentiam & impedimentum adeundi Papam, vel propter longam loci distantiam, vel alias causas, fiant episcopales, ut tradunt communiter DD.

Resp. 4. Episcopus potest relaxare censuras ab inferiore Prælato sibi subjecto latas, & ab eodem excommunicatos, suspensos vel interdictos absolvere, dummodo non tantum in excommunicatorem, sed etiam in ipsos censura ligatos plenam jurisdictionem habeat, sicut ipse excommunicator. Covarruv. *in cap. alma p. 1. §. 12. n. 2.* Suarez *de Cens. Disp. 7. Sect. 2. n. 12.*

27 Corollarium 3. Ex his fluit quod episcopus non possit absolvere excom-

communicatos a Prælatis ordinum non exemptorum, nisi ad ipsum sit appellatum, ita ut absolutio seu relaxatio censuræ etiam irrita sit, quia episcopus non habet plenam jurisdictionem in regulares etiam non exemptos, cum correctio primo loco spectet ad Prælatum ordinis, ita ut episcopus se immiscere non debeat, nisi in defectum Prælati negligentis, vel si crimina gravia sint, præsertim quæ depositionem merentur.

28 Quæres 8. *Si judex à Papa delegatus reum citatum, propter contumaciam in comparendo excommunicavit, atque actorem in possessionem rei servandæ causa misit, seu induxit, an inquam mortuo delegato Episcopus possit excommunicatum absolvere, etsi satisfacere nolentem?*

Resp. Episcopum non posse sine speciali mandato sedis Apostolicæ taliter excommunicatum absolvere. Ratio est, quia delegatus est major episcopo, quantum ad causam delegatam. Poterit igitur absolvere solus Papa, præterquam in mortis articulo, vel nisi delegatus successorem habeat in munere & honore delegationis, tunc enim ejus successor absolvere poterit; neque etiam reus per alium quam summum Pontificem (vel ejus delegatum specialiter ad id deputatum) amissam possessionem recuperare poterit, verum ne actor ob contumaciam rei missus in possessionem custodiæ causa post annum elapsum verus possessor efficiatur, potest reus coram ordinario loci, vel si ejus copiam habere nequeat, coram publicis & honestis personis cautionem offerre, ac præstare, quod juri pariturus sit, sic enim veluti interrumpitur præscriptio annalis, ut etiam post annum possessionem per sedem Apostolicam recuperare mereatur. *c. pastoralis ii. §. præterea. de offic. judic. ordin.*

Quæres 9. *An episcopus possit alicui committere potestatem absolvendi a Censuris?*

Resp. 1. Affirmative scilicet epi- 29
scopus non tantum in particulari sed etiam generaliter ejusmodi potestatem absolvendi aliis committere potest; Ratio: quia ea, quæ jure ordinario sive ratione potestatis ordinariæ, alicui competunt, absolute & generaliter delegari possunt; Pirrhing *Sect. 3. §. 5. n. 80. notab. 2. de offic. jud. ord.* Imo non tantum nudum ministerium absolutionis, sed etiam cum causæ cognitione alteri committi potest; Pirrhing. *l. c.* aliique ab eo relati: nisi ex commissione seu privilegii concessione appareat, specialiter industriam & discretionem personæ ad absolvendum esse electam, ut in casu *c. 2. c. 32. de sentent. excommunic.*

Quæres 10. *An episcopi possint dispensare in universalibus constitutionibus sacrorum canonum & decretis conciliorum generalium?*

Ad legem jurisdictionalem episcopi rursus pertinet dispensatio.

Resp. Episcopus in lege Pontifi- 30
cia aut concilii dispensare nequit,

nisi in casibus ipsis à jure concessis. Rebuff. *in prax. tit. de dispens. ad plura benefic. n. 26. & 27.* Suarez. *l. 6. de LL. c. 4. n. 4.* Pirrhing. *d. l. sect. 3. §. 6. n. 85.*

Prob. ex *c. cum dilectus. 15. de tempor. ordin.* ubi reprobatur collatio sacrorum ordinum una die ab episcopo eidem facta, nisi ex mandato sive dispensatione Archi episcopi, eo quod hujusmodi dispensatio ipsi à canone non sit permissa, & per consequens ei censeatur esse prohibita, alioquin ratio textus nihil probaret.

Prob. 2. ex *c. penult. & ultim. de filiis presbyter.* ubi irritæ declarantur dispensationes factæ contra juris dispositionem ab inferiore Papa. Accedit ratio, quia judex inferior non potest tollere legem superioris quidquam ei detrahendo, vel dispensando quomodolibet, prout habetur *in clement. 2. in princ. de elect. can. 4. dist. 21. c. 16. de major. & obed.*

Confirmantur. Quia dispensatio est actus jurisdictionis, atqui inferior non habet jurisdictionem circa legem superioris, v. g. episcopus circa legem summi Pontificis, nec circa personas non subjectas. Ergo nec habet potestatem dispensandi in lege superioris, nisi ei concedatur, Suarez. *loc. cit.*

Multominus possunt episcopi dispensare in decretis concilii generalis. Abbas *in c. 4. §. de adulter. n. 5. de judic. n 5.* Rebuff. *loc. cit. num. 28.* & alii canonistæ communiter. Ratio desumitur *per Extravag. sancta §. quidem, de relig. dom.* tum etiam *in cap. ult. de filiis presbyt.* ubi declarantur irritæ promotiones factæ de illegitimis ad dignitates & beneficia curata sine dispensatione Papæ, quia sunt contra canonem concilii Pictav. *in c. 1. eod.* imo ipse etiam Papa difficilius dispensat in decretis concilii generalis, quam in aliis decretis simplicibus ob majorem authoritatem conciliorum. Fagnanus *in cap. ult. num. 18. de filiis presbyt.*

Objicies 1. Quando Pontifex in lege seu canone aliquo expresse non prohibet vel sibi reservat dispensationem, tunc censetur illam episcopis concessisse, nam juxta commune axioma multorum canonistarum, episcopus ex jure divino potest in sua diœcesi, quidquid Papa potest in universa Ecclesia, iis tantum exceptis, quæ summus Pontifex sibi expresse reservavit Ergo.

Resp. N. antec. falsum equidem est, quod episcopi habeant absolutam & universalem jurisdictionem in suis diœcesibus ex jure divino, cum illam habeant immediatè à summo Pontifice, qui illam variis modis restringere & limitare potest, neque episcopi majorem jurisdictionis partem habent, quam illis à summo Pontifice sit concessa. Sic etiam multa sunt, quæ potest Papa in universali ecclesia, non tamen possunt episcopi, ut dispensare in matrimonio, in voto solenni paupertatis, continentiæ, &c. quæ episcopi jure ordinario & communi non possunt, etiamsi à Papa non

non sint expresse reservata. Suarez. *loc. cit. c. 14. n. 6.* Fagnanus *in cap. 1. n. 54. & seqq. de offic. judic. ordin.* idque etiam satis clare constat *ex cit. cap. dilectus. 4. de tempor. ordin.* ubi episcopus dispensare non potest, eo quod potestas illa dispensandi non reperiatur in canone concessa, non autem ex eo, quasi semper requireretur, ut potestas dispensandi ex vi reservationis sit sublata, quoties episcopus dispensare non possit.

Objicies 2. Quando legislator sibi specialiter non reservavit absolutionem canonis, tunc eo ipso videtur concessisse aliis facultatem absolvendi. *c. 29. de sentent. excomm.* Ergo similiter eo ipso, quod non reservet sibi dispensationem censeri debet illam aliis concedere.

Resp. N. Conseq. quia *cit. cap. 29.* loquitur de absolutione ab excommunicatione, quæ facilius conceditur quam dispensatio, quia fit secundum jus, quod non vult ut aliquis in excommunicatione decedat. *c. 25. de Appell. cap. 32. de sentent. excommun.* Cum ergo sit favorabilis, & ordinetur ad bonum animæ, ideo censetur permissa, si non sit reservata seu prohibita; At verò dispensatio est contra jus sive legem superioris, eique derogat, adeoque merito intelligitur prohibita, si non reperiatur concessa.

32 Quæres II. *In quibus casibus Episcopus dispensare possit in lege Pontificia, vel Canone Concilii generalis?*

Resp. 1. Episcopo concessa est potestas dispensandi in lege canonica vel etiam in decreto concilii generalis, etiamsi expresse ei non concedatur, dummodo in lege seu canone simpliciter dicatur, posse dispensari, adeoque positive permittatur dispensatio, etsi Papa illam sibi non reservet, nec determinet personam, cui committatur dispensatio; tunc enim episcopus dispensare potest, quamvis expresse ei non fuerit concessum. Est communis canonistarum teste Pirrhing. *sect. 3. §. 6. n. 87. de offic jud. ord.* Ratio est, tum quia alias verba illa, quibus simpliciter conceditur dispensatio, superflua forent, & nihil operarentur, cum per se constet, Papam posse in tali lege dispensare, cujus auctoritas semper intelligitur excepta; tum quia potestas dispensandi respectu illam concedentis, non est stricti juris sed favorabilis, & ample interpretanda, cum sæpe sit necessaria & debita; tum denique quia ubi jus exprimit posse dispensari, jus servatur, si dispensetur, ergo dum ipse episcopus, qui est canonum custos & executor, potest dispensare, quia sic servat jus, & secundum illud operatur. Fagnanus *in cap. dilectus. num. 17. de tempor. ordinat.*

Resp. 2. Idem dicendum est, si in canone seu decreto Concilii generalis absolute & simpliciter permittatur dispensatio, poterit enim tunc etiam dispensare episcopus, ob rationem supra allatam, quia ipsa constitutio concilii videtur id

clare concedere, dum in ea dispensari posse permittit, sic enim episcopus dispensando nihil facit contra concilium, sed potius illud exequitur, cum concedat dispensationem. Aliud esset dicendum, si concilium non concederet dispensationem, sed generaliter disponeret nulla facta mentione de dispensatione. Sanchez. *lib. 8. de matrim. disp. 5. n. 4.*

Resp. 3. Episcopus potest dispensare in lege Pontificia vel etiam canone concilii generalis ex causa magnæ sive urgentis necessitatis, vel evidentis utilitatis de novo emergentis, vel prius verisimiliter incognitæ, quando periculum est in mora, nec sine notabili incommodo peti potest dispensatio à summo Pontifice, tunc enim ex rationabiliter præsumpta, seu interpretativa voluntate Papæ censetur Episcopus habere potestatem dispensandi. Rebuff. *loc. cit. num. 30. & 31.* Suarez. *loc. cit. n. 10.* Pirrhing. *loc. cit.* & alii DD. communiter. Similiter in casibus frequenter occurrentibus, ut in votis Papæ specialiter non reservatis, in juramentis, & similibus, dispensare potest episcopus, quia non est verisimile, Papam velle, ut in necessitatibus quotidianis, sive frequenter occurrentibus ad illum recurratur, cum in his sæpe sedes Apostolica consuli non possit, & in his casibus potestas dispensandi ad ordinarium regimen sit necessaria. Sanchez. *loc. cit. n. 9.* Navarrus *in Manuali cap. 21. n. 21.* Quare in his locum habet regula, Episcopum dispensare posse in omnibus sibi non prohibitis, vel Papæ specialiter reservatis, idque maxime procedit, si talis dispensatio ordinetur ad bonum animæ, ne conscientiæ scrupulis illaqueetur, & ad tollendum periculum peccandi.

Resp. 4. Episcopus potest dispensare contra canonem vel decretum concili generalis, vi consuetudinis legitime introductæ, quæ dare potest jurisdictionem, & dispensationem alias invalidam reddere validam. Suarez. *loc. cit. n. 10.*

Resp. 5. Episcopus potest leges sive constitutiones speciales facere in sua Ecclesia & Diœcesi, quæ tamen sacris canonibus non adversantur. *c. 8. dist. 11. cap. 2. de major. & obed. cap. 1. de constitut. in 6.* adeoque etiam poterit in istis dispensare, etiamsi sine justa causa. Ita tenent Sanchez. *loc. cit. disp. 17. num. 27.* Barbosa *lib. 1. Juris eccles. cap. 11. n. 113.* Ratio est, quia lex omnem vim suam habet à voluntate legislatoris.

Resp. 6. Episcopus potest dispensare in certis irregularitatibus, ut scilicet possit quis ordines suscipere, vel in susceptis ministrare, Barbosa *loc. cit. n. 134.* item in inhabilitate ad dignitates & beneficia ac officia ecclesiastica consequenda. Barbosa *loc. cit. n. 175.*

Resp. 7. Episcopus potest etiam dispensare in juramentis & votis, quam

quamvis in his non fit proprie dicta dispensatio, sed potius absolutio, vel commutatio, aut declaratio juramentum aut votum hic & nunc non obligare. Barbosa *loc. cit. n. 134.*

33 Quæres 12. *Quænam sit potestas Episcopi quoad collationem sacrorum?*

Ad legem jurisdictionalem Episcopi spectat quoque sacrorum omnium collatio, quæ ab Episcopo sunt recipienda. *c. 16. de offic. judic. ordin.*

Resp. Episcopo competit collatio sacramentorum præsertim ordinis & confirmationis, altarium, ecclesiarum, & virginum consecratio, quæ jure communi propria sunt ordinis episcopalis. Concurrit autem episcopus cum omnibus parochis aliisque curatis ecclesiarum non exemptarum cumulative, ita ut etiam ipse vel Vicarius ejus Diœcesanis Sacramenta ministrare possit, cum sit etiam ordinarius & principalis pastor, totius diœceseos. *c. 2. & ult. de offic. Archipresbyt.* Layman. *de jurisd. ordin. conclus. 65.* Et Glossa *in element. 1. V. presbyteri de privileg.* ait: Diœcesis est parochia episcopi.

34 Quæres 13. *An episcopus possit concedere indulgentias?*

Ad legem jurisdictionalem episcopi spectat indulgentiarum concessio, nam episcopus electus & confirmatus, etsi non sit consecratus, aut sacerdos, indulgentias concedere potest suis subditis, est enim actus voluntariæ jurisdictionis non ordinis. Barbosa *de offic. episc. alleg. 88. n. 7. & 8.* Quæritur tantum quando & quas indulgentias possit impertiri? hinc

Resp. Episcopus potest in dedicationibus: unius anni, in anniversario vero deducationis & alias 40. dierum indulgentias concedere. *cap. 14. §. ad hæc de pœnit. & remiss.* non autem plenarias nisi ex delegatione summi Pontificis. Barbosa *loc. cit. n. 5. & 9.* possunt tamen etiam exempti lucrari indulgentias episcopales, quia in favorabilibus eodem jure gaudent, quo non exempti, ne quod in eorum favorem inductum est, in eorundem præjudicium cedat. *L. 6. C. de ll. cap. 62. de R. J. in 6.* Barbosa *loc. cit. n. 27.*

Quæres 14. *An episcopo competat* 35 *jus visitandi Diœcesin?*

Resp. Ad legem jurisdictionalem & judicium episcopi etiam spectare vel maxime visitationem diœceseos. *c. conquerente. de offic. judic. ordin.* tenebatur autem olim episcopus singulis annis facere visitationem *d. c. conquerente.* & quidem vel per se ipsum, vel si legitime impeditus fuerit, per suum Vicarium generalem vel per alios idoneos presbyteros aut diaconos ad visitandum deputatos. *can. 11. caus. 10. q. 1.* ita quidem ut singulis annis semel totam diœcesin, vel saltem ejus partem majorem debuerit perlustrare; si autem id propter ejus latitudinem fieri non possit, saltem biennio totam visitationem absol-

vat. *Consil. Trident. Sess. 24. cap. 3. de reformat.* potest autem episcopus etiam sæpius, quam semel, & quoties necessitas postulaverit, quot annis visitare; Pirrhing. *d. l. Sect. 3. §. 8. n. 95.* hujus autem visitationis præcipuus scopus ac finis est sanam orthodoxamque doctrinam expulsis hæresibus inducere, bonos mores tueri, pravos corrigere &c. *Trid. l. c.* quare ab episcopo vel ejus visitatore inquirendum est, an missarum solennia & sacramenta rite celebrentur & administrentur, an ecclesiæ reparatione indigeant, ipsæque & earum reditus conserventur, & qualis sit vita, moresque ministrorum ecclesiasticorum? *can. 10. & seqq. caus. 10. quæst. 1.* Tholosanus *in cit. cap. conquerente 17. n. 5. & ult.*

Quæres 15. *Quinam debeant ab episcopo visitari?*

Resp. Visitari debere omnes ec-
36 clesias, etiam cathedrales, monasteria, beneficia curata, & non curata, sæcularia & regularia. *Concil. Trid. Sess. 6. cap. 4. & Sess. 7. c. 8. & Sess. 21. cap. 8. de reformat.* item hospitalia, collegia, confraternitates laicorum & scholæ, & omnia pia loca, etiam exempta; Concil. Trident. *Sess. 22. cap. 8. de reformat.* Sed insuper etiam ecclesiæ perpetuo unitæ monasteriis etiam exemptis, si populus earum subjectus sit in spiritualibus episcopo, ab eodem visitari possunt. Trid. *Sess 7. c. 7. de reformat. & sess. 25. cap. 11. de regul.* juncta declaratione cardinalium *ibid. in fin.* quia tales uniones fieri solent salvo jure episcopali. Layman. *Lib. 1. Theol. moral. tract. 4. cap. 7. §. 8. n. 30.* Ecclesiæ autem quæ propriæ ad regulares exemptos spectant, sicut & ipsi religiosi hujusmodi, ab eorum Prælatis videlicet generalibus, vel eorum delegatis visitari solent & debent. Concil. Trident. *Sess. 25. cap. 1. & c. 8. de regular.* cum enim hi prælati ejusmodi locorum & ecclesiarum ordinarii sint, & quasi episcopalem jurisdictionem habeant in suos subditos, ideo ab episcopo visitari non possunt; nam visitare est actus jurisdictionis, competens superiori, cui ecclesia vel monasterium est subjectum. *cap. 1. §. fin. de Censib. in 6.* Episcopus autem non habet jurisdictionem ordinariam in exemptos, neque in loca & ecclesias illorum, quæ personis sunt connexæ; nam accessorium sequitur suum principale. Layman. *loc. cit.* Si

Dicas quod ecclesia regularis sita sit in diœcesi episcopi, ergo subjaceat episcopo.

Resp. N. Conseq. Nam locus exemptus quoad jurisdictionem exercendam ab episcopo, æquiparatur loco existenti extra Diœcesin. Si

Dicas 2. Concilium Trident. *cit. sess. 7. cap. 8.* generatim præcipit, ut locorum ordinarii ecclesias quascunque, quomodolibet exemptas, singulis annis visitent; ergo episcopus potest visitare ecclesias regularium exemptas.

Resp. N. Conseq. Quia per hujusmodi ecclesiarum ordinarios non

non intelliguntur episcopi, sed Prælati ordinum exemptorum, quamvis dici possit, concilium ibi loqui de ecclesiis sæcularibus exemptis, quæ privilegium prætendunt quod visitari non debeant; hæ enim visitari debent ab episcopis, tanquam delegatis sedis Apostolicæ, non obstante tali privilegio, quod per Concil. Trid. est revocatum; regulares vero exempti privigium habent, ut non visitentur, ab episcopis, quod non est revocatum per Concil. Trident. ut patet *ex cap. 8. sess. 25. de regular.*

37 Porro ad visitationem monasteriorum regularium adhiberi debent pauci viri idonei, iique ecclesiastici non laici; est etiam conveniens, ut non solum sæculares clerici adhibeantur, sed iis unus aut plures religiosi adjungantur, quia hi magis idonei censentur, cum majorem regularis disciplinæ cognitionem & experientiam habeant, quam sæculares clerici. *arg. cap. 7. de statu monach.* Pirrhing. *loc. cit. n. 98. notab. 3.* quod etiam colligitur *per extravag. debent. de offic. jud. ordin. inter commun.* in qua Bonifacius VIII. statuit, quod quando episcopus visitat Capitulum ecclesiæ cathedralis, quæ regularis est, debeat duas vel tres honestas personas, in clericali ordine constitutas, quarum una saltem sit ejusdem religionis, & unum notarium etiam clericum, secum adducere & adhibere.

Quæres 16. *Quibus casibus episcopus loci jurisdictionem habeat in regulares exemptos?*

Nota: etsi olim spectato jure 38
communi omnes religiosi, sicut clerici sæculares, episcopis subjecti erant, in quorum diœcesibus monasteria sita erant. *can. 11. cauſ. 16. q. 1.* & ex communi docet Barbosa *de offic. episc. alleg. 105. n. 1.* postea tamen ex summorum Pontificum privilegiis, multi religiosi ordines sunt exempti ab episcoporum jurisdictione, excepto legato à latere; quare religiosi exempti in omnibus casibus subsunt jurisdictioni suorum prælatorum regularium, qui in eos jurisdictionem quasi episcopalem obtinent, & omnia exercere possunt in eosdem, quæ Episcopi in suos subditos. Sunt tamen plures casus excepti, quibus episcopi seu ordinarii locorum tanquam sedis Apostolicæ delegati in religiosos alioquin exemptos etiamnum jurisdictionem obtinent, illique eorundem potestati subjiciuntur. Hinc

Resp. 1. Regulares extra monasterium sive conventualem domum aut residentiam degentes, ab ordinario loci tanquam Apostolicæ sedis delegato, visitari, corrigi & puniri possunt, juxta Concil. Trident. *Sess. 6. c. 3. de reformat.* quod si regularis exemptus intra claustra monasterii degens, extra ea notorie deliquerit, ut populo scandalo sit, potest episcopus prælato ordinis tempus præfigere, intra quod reus ille severe puniatur, & de punitione

tione episcopus certior fiat, si vero id negligat prælatus, à superiore suo officio privetur, & regularis, qui deliquit, ab episcopo puniatur. Trident. *Sess. 25. cap. 14. de regular.*

Resp. 2. In causis civilibus mercedum, & personarum miserabilium, regulares etiam exempti, si extra monasterium seu conventum regularem degant, coram locorum ordinariis tanquam sedis Apostolicæ delegatis conveniri, & ad debitum solvendum compelli possunt, quamvis certum judicem à sede Apostolica deputatum in partibus habeant, & in aliis quoque, si ipsum judicem non habuerint. Trident. *Sess. 7. c. 14. de reformat.* quod fuse explicat Barbosa *loc. cit. n. 23.*

Resp. 3. Regulares præter licentiam superiorum suorum, absque examinatione & approbatione ordinarii libros imprimere, vel imprimi facere non possunt. Trident. *Sess. 4. in decreto de Edit. & usu sacrorum librorum.* quod demum ita intellige, si religiosus sive exemptus, sive non exemptus in diœcesi existat, extra territorium enim jus dicenti impunè non paretur.

Resp. 4. Episcopus compellere potest regulares suæ diœceseos, ut lectionem sacræ scripturæ in suis monasteriis, & in conventibus aliorum regularium, si commode fieri potest, habeant. Trident. *Sess. 5. cap. 1. §. in Monasteriis, de reformat.*

Resp. 5. Regulares non solum censuras & interdicta à sede Apostolica emanantia, sed etiam ab ordinariis promulgata, mandante episcopo in ecclesiis publicare, & servare debent. Trident. *Sess. 25. cap. 12. de regular.*

Resp. 6. Dies Festos, quos episcopus in diœcesi servandos præcipit, regulares etiam exempti servare coguntur. Trident. *loc. cit.*

Resp. 7. Regulares etiam exempti ad publicas processiones vocati, accedere debent, iis tantum exceptis, qui in strictiore clausura perpetuo vivunt; controversias quoque, quæ in processionibus aut defunctorum corporibus sepeliendis oriuntur subinde, episcopi remota appellatione componere debent. Trident. *cit. Sess. 25. cap. 13. de regular.*

Resp. 8. In causa hæresis aut similibus criminibus ad tribunal sacræ inquisitionis pertinentibus, regulares etiam exempti subsunt jurisdictioni ordinariorum, si in iis locis inquisitores non sint. *cap. 9. §. fin. de hæret.* Barbosa *loc. cit. n. 36.*

Resp. 9. Ordinarii locorum etiam exemptos regulares, si ecclesias curatas, quantumvis exemptas obtineant, compellere possunt, etiam per censuras, si ita necessarium videatur, ut diebus saltem dominicis & festis solennibus plebem sibi commissam salutari verba pascant, Trid. *Sess. 5. cap. 2. de reform.* & quod si prædicator erro-

res

res aut scandala seminet in populum, episcopus ei prædicationem interdicere debet, sin autem hæreses prædicet, episcopus contra eum procedat, & quidem si exemptus sit, tanquam sedis Apostolicæ delegatus; Trid. *cit. cap. 2. in fin.* & quodsi regularis quantumvis exemptus aut privilegiatus, qui alterius Parochiæ sponsos sine proprii illorum Parochi scientia, matrimonio conjungere aut benedicere ausus fuerit, ipso jure tamdiu suspensus manet, donec ab ordinario ejus parochi, qui matrimonio interesse debebat, absolvatur, Trid. *Sess. 24. cap. 1. de reform. matrim.*

39 Resp. 10. Episcopi tanquam sedis Apostolicæ delegati, etiam per censuras ecclesiasticas aliasque pœnas compellere possunt moniales in monasteriis exemptis, ad clausuram servandam, quacunque appellatione postposita, invocato etiam, si opus fuerit, ad hoc auxilio sæcularis brachii. Trident. *sess. 25. cap. 5. de regul.* ubi etiam statutum est, quod nemini monialium liceat post professionem exire e monasterio, etiam ad breve tempus, nisi ex causa legitima ab Ordinario approbanda. Imo monasteria monialium sedi Apostolicæ immediate subjecta subjiciuntur episcopo, tanquam ejusdem sedis delegato, ut ab eo gubernentur, scilicet in spiritualibus, Trident. *Sess. 25. cap. 9. de regular. juxta declarationem cardinalium ibidem.* Hic tamen advertendum velim, quoad clausuram esse attendendam legitimam & diuturnam consuetudinem Monasteriorum, adeo ut moniales quæ tempore suæ professionis non invenerunt clausuram, ad eam amplectendam compelli non possint, ad nihil enim cogi possunt, nisi ad quod se votis obstrinxerunt, quia actus non obligant ultra intentionem agentium & voventium; nisi tamen delicta earum aliud suaderent.

Resp. 11. Nullus regularis etiam 40
exemptus potest confessiones audire, nisi approbatus ab episcopo per examen, vel alias idoneus judicatus, approbationem obtineat. Trident, *Sess. 24. cap. 15. de reformat.*

Resp. 12. Regulares exempti subjiciuntur episcopo in iis omnibus, quæ sunt ordinis episcopalis, ut in petitione chrismatis, consecrationis ecclesiarum, susceptionis ordinum &c. Barbosa *loc. cit. n. 65.* & hinc regulares quamvis exempti nequeunt ordines suscipere, quam ab episcopo illius loci, in quo a superiore regulari sunt constituti, nisi speciale privilegium à sede Apostolica habeant, ut à quocunque episcopo catholico ordinari possint, Barbosa *loc. cit. n. 7.*

Resp. 13. Si regulares sine ordinarii licentia promulgent indulgentias, quoad hoc subjiciuntur episcopo. Barbosa *loc. cit. n. 69.* potest etiam episcopus regulares exemptos, si notorie excommunicati sunt à jure vel homine, denunciare, ut vitentur. Barbosa *loc. cit. num. 17.*

aut si ex defectu justitiæ officium suum negligant, potest ordinarius loci adiri, ut suppleat, si ad Papam vel superiorem exemptorum facile recurri nequeat; Barbosa *loc. cit. n. 62.*

Resp. 14. Potest Episcopus regulares exemptos, si fugæ periculum sit, capere & remittere ad judicem competentem. Pirrhing. *sect. 3. §. 10. n. 115.*

41 Resp. 15. In confessarios regulares & administratores bonorum monasteriorum monialium, episcopis concessa est potestas à Gregorio XI. in Bulla, quæ incipit, *inscrutabili*, anno 162?. edita, ut Episcopus una cum Prælatis seu superioribus regularibus electioni Abbatissæ seu præpositæ, per se vel per alium præsidere possit. Plures casus, quibus regulares exempti subduntur jurisdictioni & potestati Episcopi, enumerant Barbosa, *loc. cit.* & Fagnanus *in cap. penult. num. 37. & seqq. de offic. jud. ordin.*

42 Quæres 17. *Ubi, sive quo in loco Episcopus possit exercere suam jurisdictionem?*

Resp. Potest Episcopus in quovis loco suæ diœcesis ordinariam jurisdictionem ecclesiasticam non tantum voluntariam, sed etiam contentiosam exercere, ut ex communi docet Barbosa *de offic. Episcop. alleg. 80. n. 2. & 3.* & probatur ex *cap. 7. de offic. judic. ordin. in 6.* ubi Papa Bonifacius VIII. ita rescribit: Cum Episcopus in tota sua diœcesi jurisdictionem ordinariam habeat, dubium non est, quin in quolibet loco ipsius diœcesis non exempto per se vel per alium possit pro tribunali sedere, causas ad forum ecclesiasticum spectantes audire & cognoscere, personas ecclesiasticas, cum earum excessus seu delicta id exegerint, capere & incarcerare, atque reliqua, quæ ad ipsius officium spectant, liberè (id est, absque alicujus contradictione) exercere.

Corollarium. Episcopus ex communi jure habet fundatam intentionem erga loca & personas intra diœcesin existentes, ita, ut si exemptio aliqua prætendatur, ea probari debeat, prout colligitur ex *cap. 7. de privilegiis. in 6.*

Quæres 18. *An Episcopus exercere possit jurisdictionem in loco exempto intra Diœcesin sito?*

Resp. In loco exempto à jurisdictione Episcopi, non potest is exercere jurisdictionem saltem contentiosam, sive pro tribunali sedere aut judicia exercere. Prout colligitur ex *can. 6. caus. 18. quæst. 2.* Ratio est, quia Episcopus vel alius judex non potest tribunal extra suam diœcesin aut territorium ei non subjectum erigere. *can. 7. caus. 9. quæst. 2.* Locus autem intra diœcesin exemptus æquiparatur loco extra diœcesin, seu territorium sito, quod attinet ad excludendam jurisdictionem Episcopi, non autem alia. Prout tradit Glossa *in clement. frequens, un. V. primi. de excess. Prælat.* 43

Prælat. Cochier. *de Jurisdict. ordin. in exempt. part. 2. quæst. 1. n. 6.*

Excipi debet nisi Episcopus sit expulsus à sua diœcesi, ita ut nec per vicarium jurisdictionem ibi exercere possit; tunc enim in aliena ibi vicina diœcesi, jus dicere potest suis subditis, petita licet non obtenta licentia ab ordinario loci, dummodo ultra duas diætas extra propriam diœcesin, sive à fine diœcesis computandas, non evocentur. *clement. un. de foro compet.* Cochier *loc. cit. n. 11.*

Hic Quæri potest: *Quam jurisdictionem Episcopi habeant in Protestantes, qui in Diœcesi existunt, cum & hi quasi jure exemptorum gaudeant?*

44 Resp. 1. Ecclesiastica jurisdictio contra Status Augustanæ (hodie etiam Reformatæ) Religioni addictos, quoad eorum religionem, ritus, ministeria, & leges institutas instituendasve, usque ad plenam religionis conciliationem suspensa quiescere jubetur. *R. I. de anno 1555.* §. **Damit auch obberürte.** *Instrum. Pac. art. 5. §. 48.* adeoque cum jurisdictio suspensa esse jubeatur, sequitur eam nondum plane sublatam esse, aliud enim est, non habere jurisdictionem, aliud eam non exercere, sive suspensam esse. Dillingenses *cap. 6. quæst. 42. n. 131.* Ignatius Schuz. *in appendice manual. pac. de jurisd. Eccles.* Buckisch. *ad Instrum. pac. art. 5. obs. 138.* extra religionis materiam jurisdictio etiamnum hodie catholicis Episcopis contra Augustanæ & Reformatæ Religioni addictos plenarie competit, præcipue si anno 1624. in possessione vel quasi exercitii jurisdictionis illius fuerint. *Instrum. pac. art. 5. §. 48.*

Dubitari potest 1. *Ad quem pertineat jus cognoscendi de causis matrimonii, divortii, juris patronatus, decimarum, commissæ simoniæ, & similium causarum spiritualium in Catholicorum diœcesi occurentium?*

Ad Catholicorum tribunalia & consistoria ecclesiastica spectare, affirmant Dilligenses *cap 6. quæst 42. n. 132. & seqq.* Ignatius Schutz. *dict. loc. de jurisdict. eccles.* Hermes *in fascic. jur. publ. cap. 11. n. 13. in fin.* Buckisch. *ad Instrum. pac. art. 5. obs. 139.*

Probant ex eo, quia jurisdictio contra Acatholicos in iis duntaxat causis suspensa est, quæ fidei & religionis diversitatem concernunt, non etiam in cæteris; per textum expressum *in R. I. de anno 1555. §. 20.* ibi: Aber in andern Sachen und Fällen der Augspurgischen Confession, Religion, Glauben / Kirchen-Gebräuchen / Ordnungen / Ceremonien und Bestellung der Ministerien nicht anlangend / soll und mag die Jurisdiction durch die Ertz-Bischöff / Bischöff und andere Prælaten / wie deren Exercitium an einem jeden Ohrt hergebracht / und sie in deren Ubung / Gebrauch und Possession seynd / hinführo / wie bißhero ungehindert exercirt / geübt / und gebraucht werden; adde epistolam responsoriam Leopoldi ad Electo-

rem Saxoniæ *de dato Ebersdorff. die 16. 7bris anno 1669.* ubi ita habetur: Daß die Bischöffliche Jurisdiction in Dero Hertzogthumb Schlesien niemahls auffgehebt / sondern indistincte in omnes Diœcesanos, auch vermög des Friedens-Schluß fundirt seye / wann ihnen nuhr nichts zugemuhtet wird / Augustanæ confessioni vel conscientiæ repugnans; um so viel mehr / weil auch der Catholischen Stände im Römischen Reich Unterthanen Augspurgischer Confession, welche anno 1624. Jurisdictionem ecclesiasticam erkennet haben / solcher gestalt sie noch jetzt und fürhin erkennen müssen.

Sed prædictæ similesque causæ fidei religionisque diversitatem non concernunt, quandoquidem & acatholici matrimonium novercæ v. g. cum privigno, aut fratris cum sorore prohibent, divortium legitimi matrimonii fine causa non permittunt, simoniæ crimen damnant, jus patronatus & decimarum recipiunt & defendunt; adeoque merito Archi Episcopos & Episcopus similesque Prælatos ejusmodi causas ad sua Dicasteria avocare ibique deciderc. Sed

45 Dubitari potest 2. *Si Episcopus per 60. vel 70. annorum spatium nunquam talem potestatem in Acatholicos exercuit, an possint Acatholici beneficium præscriptionis obtendere?*

Negative respondent Dilligenses *dict. cap. 6. quæst. 42. n. 134.* Buckisch. *ad Instrum. Pac. art. 5. observ. 139.* tum propter malam fidem, cum qua nulla unquam currit præscriptio, *cap. ult. de præscript.* tum quia Magistratus sæcularis incapax est, possidendi jura spiritualia; Ergo & præscribendi.

Porro Dominus territorii vi susuperioritatis territorialis jus circa exercitium religionis disponendi habet, ita ut reformatio religionis sit sequela superioritatis indubitata. Prout manifestè constat ex *Instrum. Pac. art. 5. §. 1. & specialius §. 30.* quod tamen non adeo crude & absolutè accipiendum est, sed ita limitatum *per Instrum. Pac.* ut, qui aliqua anni 1624. parte, publico vel privato exercitio diversa à Domini sui religione sacra coluerunt, in eodem statu, imperturbati relinquantur; *Instrum. Pac. art. 5. §. 2.* Schutz. *in manual. pac. quæst. 10.* Seckendorff im Teutschen Fürsten-Staat *part 2. cap. 11. §. 1.* Buckisch. *ad Instrum. Pac. art. 5. observ. 10.*

Dixi: qui publico vel privato exercitio sacra sua à Domini sui religione diversa coluerunt. Hinc

Dubitari potest 3. *Quidnam per* 46 *publicum vel privatum sacrorum exercitium intelligi debeat?*

Respondent per publicum religionis exercitium id intelligi, si quis per ecclesiasticum ad hoc legitime ordinatum, in loco publico ad communem populi usum religionem exercere valet; per privatum verò, quando quis non nisi in ædibus aut residentia sua ad suum suorumque usum tantum,

per

per ejusmodi ecclesiasticum religionem suam exercere tenetur. Veniunt autem nomine domesticorum proprie talium, qui vel in ipsa arce vel Burgo, oder sonsten auff einen freyen Adlichen Hoff/ una cum Domino suo habitant, vel extra quidem, sed nullum separatum focum habent, sondern welche des Herrn gebrottete Dienere seynd/ auch ihr tägliches Essen und Trincken/ entweder in dem Schloß oder Burg haben/ oder doch solches von deme abhohlen müssen; cæteri officiales, servi, subditi, quicunque extra arcem vel residentiam Domini, licet in eodem pago vel oppido habitantes, & proprio lare muniti, in præsentiarum pro exteris habendi sunt. juxta Buckisch ad *Instrum. Pac. art. 5. observ. 85.* Schuz. *in manual pac. quæst. 18.*

47 Quæres 19. *Quænam spectent ad legem diœcesanam Episcopi?*

Resp. 1. Lex diœcesana Episcopi consistit 1. in vocatione ad synodum, *c. conquerente. de offic. jud. ordin. cap. 9. de major. & obed.* quamvis synodus sit quid mixtum; nam quoad convocationem pertinet ad legem diœcesanam, quatenus vero in ea judicatur, vel quid statuitur, ad legem jurisdictionis; Unde quamvis ipsa monasteria sint exempta à lege diœcesana, tamen Abbates eorum non sunt exempti quoad synodum, quominus ad illam venire teneantunr.

Resp. 2. Ad legem Diœcesanam pertinet exactio annua synodatici seu cathedratici, cujus nomine duos solidos Episcopus petere potest, à qualibet Ecclesia suæ Diœcesis. *cit. cap. conquerente de offic. jud. ordin.* juncta Glossa *V. duos solidos*, quæ ait solidum accipi pro aureo. *can. 8. cauf. 10. quæst. 3.* à qua tamen pensione solvenda exemptæ sunt Ecclesiæ monasteriorum, non item capellæ eorum ipsis incorporatæ. Dicitur autem Synodaticum, quia solvi debet à synodo episcopali, quot annis olim celebranda, & cathedraticum, quia ob honorem cathedræ seu dignitatis episcopalis datur. Porro cum valor duorum solidorum varius sit in diversis provinciis, attendenda semper est in ejus taxatione & solutione rationabilis consuetudo cujuscunque provinciæ aut diœcesis Barbosa *de offic. Episc. allegat. 86. n. 44.*

Resp. 3. Inter jura episcopalia spectantia ad legem diœcesanam numeratur etiam quarta decimationum, quæ spectato jure communi episcopo seu ordinario loci præstanda est. *cap. 4. de præscript.* idque propter universalem curam, quam habet Episcopus in Ecclesiis sibi subjectis. debetur autem hæc quarta decimarum de jure comuni à solis ecclesiis parochialibus, ad quas eodem jure duntaxat decimæ pertinent, ex quibus ista quarta detrahitur, à qua proinde monasteria, & aliæ ecclesiæ non parochiales sunt exemptæ. Barbosa *loc. cit. n. 38.* hodie tamen & moderno jure, cum jam pluribus locis Episcopi sufficientem

& abundantem sustentationem habeant ex propriis fundationibus, vel aliundè, ideo præstatio hujus quartæ in plurimis diœcesibus per desuetudinem abolita est. Layman. *lib. 4. Theol. moral. Tract. 6. cap. 4. num. 6.*

Resp. 4. Inter jura episcopalia numeratur etiam quarta mortuariorum, id est portio canonica debita episcopo ex legatis & funeralibus oblationibus, quæ factæ sunt ecclesiis vel aliis piis locis intra diœcesin ejus sitis; *dict. cap. conquerente.* & sumitur etiam *ex c. 15. de testam.* cum enim episcopus sit ordinarius Pastor ecclesiarum suæ diœceseos, ideo pars aliqua ad ipsum spectare debet ex iis, quæ ecclesiis relinquuntur, non solum cathedrali, sed etiam inferioribus sibi subjectis *cit. cap. 15. §. secus. de testam.*

Hæc autem canonica portio episcopalis secundum variam locorum consuetudinem varia est & diversa, nam alicubi quarta, alibi tertia, alibi media pars eorum, quæ legantur vel ecclesiis obveniunt. *dict. cap. 15. de testam.* pluribus autem locis per contrariam consuetudinem est omnino abolita. Juxta Azor. *part. 2. instit. lib. 9. c. 12. quæst. 3.* Barbosa *loc. cit. alleg. 66. n. 4.*

Ubi vero & quatenus ea in usu est, ad illam præstandam etiam obligantur monasteria non exempta *cit. cap. 15. de testament.* Abbas *in cap. dilectus 18. n. 4. de offic. jud. ordin.* imo etiam secundum aliquos Doctores monasteria & ecclesiæ exemptæ. Hostiens. *in summa de sepult. n. 12.* Layman. *lib. 3. theol. moral. tract. 5. cap. ult. n. 13.* & *de jurisdict. ordin. conclus. 120.* verum probabilius est oppositum, quia hæc quarta portio debetur ratione ecclesiarum, quibus bona legantur, idque in signum superioritatis, propter onus curæ pastoralis; atqui episcopus non est superior neque curam habet ecclesiæ vel loci exempti, & immediate Papæ subjecti; ideoque non potest exigere, vel percipere jura episcopalia in locis exemptis. Pirrhing. *sect. 3. §. 9. n. 106. d. l.* Ecclesiæ tamen exemptæ quæ habent capellas, vel populum non exemptum, tenentur ad hanc canonicam portionem episcopo præstandam, nisi populus pleno jure, id est: in spiritualibus & temporalibus subjectus esset ecclesiæ exemptæ. Juxta concilium tamen Trident. *Sess. 25. cap. 13. de reform.* hanc quartam mortuariorum seu funeralium etiam solvere debent regulares exempti, si jam ante annos quadraginta cathedrali aut parochiali ecclesiæ solita fuerat persolvi, non obstantibus privilegiis, monasteriis, hospitalibus, aliisque piis locis, quibuscunque postea concessis, verum hæc canonica portio, ut paulo ante memini, omnino in desuetudinem abiit, præsertim in Germania.

Resp. 5. Inter jura episcopalia 48
numerantur etiam procurationes, id est, victualia præstari solita ab ecclesiis, tempore visitationis, dum episcopus vel alius ejus jussu visi-

tat,

tat, quæ tamen ſecundum facultates cujusque eccleſiæ & ita moderate exigi debent, ut eccleſiæ non graventur, nec aliquæ præ aliis. *dict. cap. conquerente, de offic. jndic. ordin.* ad ejusmodi procurationes obligantur etiam monaſteria non exempta a jurisdictione epiſcopi *cap. 14. de cenſib.* quia procuratio annexa eſt viſitationi; *cap. 21. eod.* ideoque nonnulli procurationes has ad legem jurisdictionalem revocant. Imo etiam monaſteria exempta ratione capellarum ſeu Parochiarum, quæ ipſis incorporatæ & non exemptæ ſunt, has procurationes ſolvere coguntur, quia unio eccleſiarum præſumitur ſemper facta eſſe ſalvis juribus epiſcopalibus. Layman. *de jurisdict. ord. n. 120.* non tamen ab eccleſiis omnino pauperibus procurationes accipiendæ ſunt, ſed epiſcopus propriis ſumptibus eas viſitare tenetur, ſicuti etiam hoſpitalia & domos pauperum, vel infirmorum. Barboſa *de offic. Epiſcopi. alleg. 73. num. 50.*

Porro ſi epiſcopus non per ſe ſed per alium, quando id jure permittitur (ut quia legitime impeditus perſonaliter non poteſt,) diœceſin viſitat, tum ipſe epiſcopus illi, qui loco ipſius viſitat, neceſſaria providere debet (videlicet veſtes, famulos, ſalaria, equos, *inter cætera de officio judic. ordin.*) illi vero, qui viſitantur, ſolum tenentur expenſas victualium, id eſt neceſſaria ad victum ſive cibum & potum, miniſtrare viſitanti, prout ſtatutum eſt *in cap. 6. de offic. jud. ordin. in 6.* ubi etiam in fine additur, quod ſi epiſcopus perſonaliter non viſitet, non poteſt nec debet ab aliis, qui per alium a ſe deputatum viſitantur, quidquam exigere, ratio eſt, quia procurationes, ſeu victualia debentur ratione viſitationis *cap. 22. de cenſib.* ſi ergo ipſe epiſcopus perſonaliter non viſitet, nihil eo nomine exigere poteſt, ſed illi præberi debent, procurationes, per quem eccleſiæ viſitantur, neque etiam ex eo, quod viſitati plus expendiſſent, ſi epiſcopus perſonaliter eos viſitaſſet, illum exceſſum epiſcopus exigere poteſt, Pirrhing. *loc. cit. n. 108.*

Reſp. 6. Inter jura denique ad legem diœceſanam ſpectantia numerantur etiam petitio moderati auxilii ſive charitativi ſubſidii, quod epiſcopus ex cauſa manifeſta & rationali exigere poteſt, ſecundum facultates eccleſiæ vel beneficii, ita ut eccleſiæ vel clerici non nimium graventur, *cit. cap. conquerente. cap. 6. §. prohibemus de cenſib.* ideo autem charitativum ſubſidium ſic dictum eſt, quia ab initio cum charitate poſtulandum *cit. cap. conquirente,* quamvis ſi ex juſta cauſa petitum ſolvere id clerici renuant, compelli poſſint, etiam per cenſuram excommunicationis; ad id ſolvendum. Barboſa *de offic. epiſc. alleg. 87. n. 2.* ad hoc ſubſidium epiſcopo præſtandum non tenentur monaſteria vel eccleſiæ regularium ſive 49

exemptæ

exemptæ, sive etiam non exemptæ, spectato jure communi, nisi ratione ecclesiarum sæcularium vel capellarum habentium populum sive curam plebis, quæ antequam unirentur monasterio, solvere consueverunt hoc subsidium charitatis, & alia jura episcopalia; ideoque censentur cum hoc onere unitæ & incorporatæ monasterio, de quibus est sermo *in clement. 1. & 2. de censib.* alioquin per se non tenentur, quia exhibitio hujus subsidii est de lege diœcesana episcopi, a qua sunt exempta monasteria & ecclesiæ regularium, verum hodiernis moribus episcopi consueverunt etiam subsidium charitativum vel potius subsidium coactum exigere. Sed neque pauperes clerici qui vix sufficientem victum & vestitum habent ex beneficio, possunt cogi ad tale subsidium præstandum. Barbosa *loc. cit. allegat. 87. n. 45.* Pirrhing. *Sect. 3. §. 9. n. 109.* ubi tamen signanter est advertendum, quod hoc subsidium charitativum ex causa necessitatis sit petendum & præstandum, adeoque hac necessitate cessante exigi non debet, neque etiam conservatio majoris curiæ hanc causam supplet.

50 Porro hæc jurisdictio episcopi, sicut & quorumlibet Prælatorum, in actu secundo exerceri nequit, ante impetratam confirmationem; ante hanc enim potestatem jurisdictionis vel administrationis nec in rebus aut juribus spiritualibus, neque in temporalibus habet, prout constat ex *cap. 9. de Elect. & Elect. potest.* ubi rescribit Alexander III, quod electus in episcopum Linconiensem ante confirmationem acceptam conferendi beneficia & honores ecclesiasticos, vel alias de rebus ecclesiæ disponendi aut eas administrandi non habeat facultatem; Ratio autem, cur episcopus vel alius Prælatus electus res & jura ecclesiæ administrare non debeat, priusquam sit confirmatus, est, quia confirmatio vix aliquid operaretur, si ante illam electo potestas administrationis competeret, neque is multum sollicitus foret, de obtinenda confirmatione, ne se periculo cassationis exponeret; Etsi, quando electionem ex causa cassari contingeret, non ita facile electus a prælatura, quam jam administrare cœpit, removeri posset, Hostiensis *in cap. 17. post princip. de Elect. & Elect. potest.* Quod tamen quoad episcopos Germaniæ non obtinet, quibus in concordia electis etiam ante confirmationem competit facultas administrandi ecclesiam.

Corollarium 1. Archi episcopis 51
& episcopis commune est, quod obtenta confirmatione consecrari debeant, etenim prælati episcopis inferiores, non consecrari sed benedici dicuntur, a quo insuper episcopus consecrari debeat, dixi supra §. *præcedente*; hic notandum quod episcopus a die confirmationis acceptæ, cessante legitimo impedimento, consecrationem ultra tres menses differre non debeat, aliquin,

quin, qui ſtatuto tempore conſecrationem non ſuſceperit, eccleſiaſticæ condemnationi ſubjacet. Ita habetur ſtatutum in concilio Chalcedonenſi *cap. 25. quod refertur in can. 2. diſt. 75.* quod etiam confirmat Concilium Tridentinum *Seſſ. 23. cap. 2. de reformat.* Denique epiſcopus per conſecrationem conſequitur plenitudinem officii epiſcopalis, ita ut non ſolum ea, quæ jurisdictionis ſunt, ſed etiam functiones ordinis epiſcopalis, his veluti gradibus acquirantur: nam primo fit electio canonica, per quam acquiritur jus petendi epiſcopatum, cui æquiparatur poſtulatio. 2.)Huic ſuccedit confirmatio, per quam datur jus adminiſtrandi & poſſeſſionem capiendi. 3.) Acquiritur poſſeſſio pacifica, tam in ſpiritualibus quam temporalibus, ſaltem quoad majorem partem bonorum. *arg. cap. 1. §. illum autem. de reſtit. ſpoliat. n. 6.* 4. Fit conſecratio, per quam acquiritur exercitium etiam ordinis epiſcopalis, nam per conſecrationem matrimonium ſpirituale inter Epiſcopum & Eccleſiam fit conſumatum ſeu perfectum. Hoſtienſis *in ſumma. de translat. Epiſc. n. 4.* Epiſcopus, cum ante conſecrationem, etſi confirmatus ſit, non abſolutè ſed cum addito: Epiſcopus electus, vel confirmatus, appellari debeat. ut colligitur *ex cap. 8.* ibi: *vel electo. de his quæ fiunt à prælat.* &c.

25 Corollarium 2. Obtinendi dignitates eccleſiaſticas quinque ſunt modi, & quidem 1. Electio. 2. Poſtulatio. 3. Translatio. 4. Nominatio. 5. Collatio; quinam poſſint eligi, vel quinam poſſint eligere, qua forma peragi debeat electio, hauriendum eſt ex jure privato *tit. de Elect. & Elect. poteſtate.* poſtulatio rurſus deſcribitur *tit. de poſtulatione,* in Decretalibus, ex quibus etiam materia translationum eſt accipienda; nominatio ſive jus nominandi eſt aſſumptio perſonæ ad prælaturam Eccleſiæ viduatæ ad ſuperiorem non collegialiter directa, hoc jus nominandi acquiritur ex ſpeciali privilegio & indultu ſummi Pontificis; tale privilegium habent: 1. Reges Galliæ, ex concordatis anno 1516. inter Leonem X. Pontificem & Franciſcum I. Bononiæ concluſis, vi cujus nominant perſonas idoneas ad omnes Epiſcopatus, nec non Abbatias perpetuas (paucis exceptis) in regno Galliæ, Delphinatu & Comitatu Dienſi ac Valentinenſi, reſervata Pontifici facultate nominationes à regibus factas confirmandi. Van-Eſpen. *J. E. U. part. 1. tit. 13. cap. 3. num 11.*

Tale privilegium 2. habere reges Hiſpanæ, ex unanimi Hiſpanicorum ſcriptorum conſenſu teſtatur Van Eſpen. *cit. cap. 3. num. 15.* quod & ipſi plerosque regnorum ſuorum Antiſtites ad Eccleſias cathedrales nominare, & ſummo Pontifici confirmandos præſentare valeant, ſuffragantur huic teſtimonio Covarruvias *ad cap. poſſeſſor. part. 2. §. 10.*

n. 5. Barbosa *de offic. & potestate Episc. part 1. tit. 1. cap. 3. à n. 27.*

53 Tale privilegium habuisse tertio Romanorum Imperatores, constat ex *can. Hadrianus 22. & can. seq. dist. 63.* ut supra *dissert. 1.* aliqualiter memini, idque sæpius & diversimodè ab illis usurpatum fuisse, usque dum in Concilio Rhemensi & Lateranensi, atque etiam in Comitiis Wormatiensibus sub annum 1122. ab Henrico IV. cum statuum omnium Imperii consensu electiones Episcopales in pleniſſimam libertatem assertæ, & ab omni Cæsareo consensu exemptæ sunt, salva tamen feudorum & regalium investitura, per sceptrum faciendâ, ut tradit Eminentissimus Cardinalis Sfondrati *regal. sacerd. in prælud. §. 1. sub n. 13.* quod ipsum etiam affirmat Henricus Lynckius *in commentar. ad Decretales lib. 1. tit. 6. de Elect. §. 4.* quem reliqui publicistæ & scriptores Acatholici, non tamen sine aculeo in Pontificem, sequuntur.

Hactenus de jure & potestate Episcoporum, postquam legitime sunt instituti in sua dignitate; unum supereſt dicendum de annatis, quas electi Episcopi sedi Apostolicæ solvere tenentur.

54 Notandum 1. Annatas vel inde dictas esse, quod adnatæ quasi sint reditibus Episcopatuum aliorumque beneficiorum, ut sentit P. Wagnereck. *hic in exegesi ad §. 4. in Concordatis Germaniæ vers. de fruct. primi anni*, vel ut sentit Fagnanus *in cap. præterea 1. ne Prælati vices suas. n. 8.*

Notandum 2. à Fagnano *loc. cit. n. 9.* quatuor annatarum species assignari. Primam vocat annatam in specie, quæ est dimidia pars fructuum cameræ Apostolicæ persolvenda, de omnibus beneficiis, quæ à Papa extra consistorium conferuntur, si eorum valor sive reditus annuus 24. florenos auri de camera sive ducatos excedat, & quia canonicatus Germaniæ & Hispaniæ, etiamsi annui eorum reditus mille aureos superent, in camera nonnisi 24. aureis æstimantur, hinc est, quod de iis nullæ præstenter annatæ, ut testantur Chockier *ad Reg. Cancell. 61.* Wagnereck. *ad cit. §. 4. vers. quæ valorem. 24.* Wiestner. *ad tit. de Elect. num. 149.* Secundam speciem Fagnanus *servitia minuta* nuncupat, sive *quinque portiunculas*, quæ inter Papæ ministros, & officiales distribui solent.

Tertiam appellat *quindennium*, quæ est dimidia pars fructuum unius anni, cameræ Apostolicæ singulis quindecim annis de quibusdam beneficiis solvenda, vel propter exemptionem à communi reservatione, sicut quædam Præposituræ cathedrales, quia ex speciali indulto Papæ factæ sunt electivæ, suum quindennium seu quindenas solvere tenentur, teste P. Wiestner. *loc. cit. n. 149.*

Quartam *commune servitium* nominat, estque fructus primi anni, seu

seu certa pecuniæ summa, quæ cameræ Apostolicæ secundum ejus librorum taxam solvitur à Prælatis, quorum prælaturæ in consistorio cardinalium rogatis eorum sententiis, conferuntur, inter Pontificem & cardinales dividenda.

55 Notandum 3. ab Episcopis, Archi-Episcopis, & illis Germaniæ Prælatis, qui sacræ sedi immediate sunt subjecti, quales sunt Fuldensis, Campidonensis & Elvacensis &c noviter electis, ultimam annatarum speciem juxta verba & litteras concordatorum Germaniæ hoc modo solvendam esse. 1. ut summa & quantitas, juxta taxam cameræ Apostolicæ quintam partem redituum annuorum prælaturæ vix superet, atque adeo ab Episcopatu, cujus annui fructus sunt 1000000. floreni, circiter viginti millia præstentur. 2. Ut dimidia pars hujus summæ primo regiminis anno, altera dimidia pars altero anno offerri debeat. 3. Ut, si uno anno prælatura sæpius vacet, non sæpius, sed semel duntaxat annata solvatur. 4. Ut, quod anteceſſor prælatus non præstitit, succeſſorem in officio non oneret. 5. Ut, si prælaturæ quædam excessive videantur esse taxatæ, ad earum relaxationem & mitigationem devenire liceat. D. Francisc. Schmier. *tract. de mod. acquirend. & amitt. prælat. c. 1. sect. 5. §. 3. n. 321.*

56 Notandum 4. De annatarum origine difformes sententias esse, primo enim aliqui cum Platina in vita Bonifacii IX. huic Pontifici annatarum originem adscribunt, eo quod hodiedum Bonifacianæ nuncupentur; sed passim exploditur hæc opinio, quia non omnes annatæ sunt Bonifacianæ, sed ea tantum, quæ *annata in specie* nuncupatur, nam tempore Joannis XXII. qui sedit ante Bonifacium IX. in Petri Cathedra, jam fuerunt in usu. per text. *in Extravag. 11. de præbend. inter commun.*

2. Alii sunt, qui annatarum authorem volunt esse præfatum Joannem XXII. sed neque hi fidem merentur, quia jam tempore S. Damasi circa annum Christi 367. consueverunt summi Pontifices à beneficiatis aliquam pensionem recipere.

3. Doctrina est Cajetani, quam refert & sequitur Fagnanus *in cap. 1. ne Prælati vices suas. num. 8.* ad ipsa Ecclesiæ primordia Annatarum impositionem referentis, eo quod Ecclesiæ Hierosolymitanæ jam Apostolorum temporibus collectæ quædam solutæ sint.

Quidquid demum sit de annata 57
rum introductione originaria, ab omnibus qui veritatem in pretio, & sedem Apostolicam in veneratione habent, annatarum exactio, ut licita defenditur.

Ratio est 1. quia summus Pontifex tanquam supremus Ecclesiæ Princeps potest utique in recognitionem suprematus ab omnibus Prælatis, & clericis aliquid in recognitionem supremi dominii pe-

tere; *l. un. C. de annon. & capital. l. 6. C. de præscriptionibus 30. vel 40. annorum.* 2. Quia inferioribus Episcopis non est prohibitum charitativum subsidium in sua diœcesi petere; *cap. 16. de offic. jud. ordin.* & summus Ecclesiæ Episcopus tali subsidio privatus sit? 3. Quia jam in veteri lege *Num. 18.* erat. præceptum, ut de decimis decimas offerant, easque sacerdotum maximo, Araoni porrigant, ut adeo sacerdotum maximo in lege gratiæ prohibitum esse, nemo sanus dixerit, quin aliquam partem fructuum, non singulis annis, sed 20. sæpe 30. aut 40. annis semel duntaxat solvendam exigere possit? vide Cardinalem Sfortia Palavicin. in Historia Concil. Trident. *lib. 2. cap. 8. n. 3. & 4.* Fagnanum *loc. cit. num. 14. & seqq.* Wiestner *loc. cit. n. 151.*

Dicunt aliqui annatis tanquam pretio insulas & pallia venundari. Sed respondetur Negando, jus enim spirituale, quod est in beneficiis & prælaturis Ecclesiasticis, non venditur per annatas, sed juri temporali, quod in facultate percipiendi fructus consistit, onus aliquod & tributum imponitur, quo inferiores Ecclesiæ in reverentiam & sublevamen Ecclesiæ majoris & Romanæ, toties quoties vacant, certam pecuniarum quotam dependunt; adeoque annatis insulæ & pallia non exponuntur venalia.

SECTIO III.

DE

ARCHI-EPISCOPIS ET EPISCOPIS GERMANIÆ IN SPECIE.

POstquam vidimus Jura & Prærogativas Archi-Episcoporum, quæ per totam Ecclesiam velut omnibus communia obtinent; merito transeundum est ad sacros Nationis Germanicæ Archi Præsules, & Episcopos, qui velut potiora & insigniora Reipublicæ Ecclesiasticæ sydera, majori præ reliquis splendore relucent. Qui equidem præter dignitatem Ecclesiasticam summos obtinent in Imperio Romano-Germanico honores & dignitates, quales vix apud ullam aliam gentem Ecclesiæ Prælati exercent.

§. I.

§. I.

DE ARCHI-EPISCOPO ET SACRA SEDE MOGUNTINA.

SUMMARIA.

1. *Refertur initium S. Sedis Moguntinæ.* 2. *Quo anno Electoralis dignitas accesserit Archi-Episcopali?* 3. *Est Moguntinus primus Elector & totius Collegii Electoralis Decanus.* 4. *Est per Germaniam Archi-Cancellarius, ubi reliqua Archi-Cancellarii jura referuntur.* 5. *Est Protector & Director Postarum Imperialium.* 6. *Referuntur cætera jura Archi-Cancellarii.* 7. *Habet Jus coronandi Reges Romanorum, & quando.* 8. *Recensentur diversa alia privilegia Moguntino competentia.* 9. *Recensetur Episcopatus Herbipolensis.* 10. *Eichstettensis.* 11. *Episcopatus Wormatiensis.* 12. *Spirensis.* 13. *Argentoratensis.* 14. *Augustanus.* 15. *Constantiensis.* 16. *Curiensis.* 17. *Hildesiensis.* 18. *Paderbornensis.* 19. *Episcopatus Halberstadiensis quando fuerit sæcularizatus.* 20. *De Verdensi quid observandum.* 21. *Recensetur Episcopatus exemptus Bambergensis.*

1 Sacræ sedis Moguntinæ dignitas ex eo relucet, quod ecclesia Moguntina prima fuerit in Germania, unde Pipinus & Carolus Franciæ Reges consensu Zachariæ Pontificis Moguntiam totius Germaniæ reddebant Metropolin, illiusque episcopum primum Archi episcopum constituebant. Vide Besoldum *Dissert. de Monarch. Rom. num. 161.* omnium horum episcoporum refertur primus Clemens, Pauli Apostoli discipulus, tanquam ecclesiæ plantator, eum sequebantur quadraginta episcopi usque ad tempora sancti Bonifacii, qui *Apostolus Germaniæ* dictus, & primus dignitatem Archi-episcopalem accepisse fertur vid. Gudenii *Histor. Erford. lib. 1. p. 12.* ibi: *evacuatam Moguntiæ sedem, e Romani Pontificis Zachariæ destinatione conscendit, ac primus Archi-episcopalem fecit, cum antea Wormatienses susciperet.* Hanc Archi-episco- 2
palem dignitatem electorali auctam, primo obtinuit Willegisus, circa annum enim 998. tempore Ottonis III. & Gregorii V. Pontificis, collegium electorale exortum est, circa quod tempus Willegisus sedi Moguntinæ præfuit, a quo Archi-præsule & primo Electore successores Moguntini rotam, velut insigne acceperunt & adhuc gerunt.

Successionem in sede Moguntina varii exhibent, inter reliquos vide Hübneri *Historiam part. 7. a fol. 3.* ubi recensentur episcopi 40. usque dum sedes Moguntina ad Archi-præsulatum fuerit evecta, Archi-episcopi numerantur 16. Usque prærogativa electoralis Archi-episcopatui fuerit superaddita, Electores numerantur 52. Modernus est:

Eminentissimus ac reverendissimus S. R. I. Princeps Elector: LOTHARIUS FRANCISCUS, S. Sedis Moguntinæ Archi-episcopus. S. R. I. Archi-Cancellarius, & Episcopus Bambergensis; qui anno 1693. electus in episcopum Bambergensem, anno 1694. in coadjutorem Moguntinum, & anno 1695. in Archi-episcopatu & Electoratu successit; natus ex illustrissima sacri Romani Imperii Comitum de Schönborn familia, quæ An. 1647. primum ex hac stirpe Electorem Moguntinum, & Episcopum Herbipolensem, JOANNEM PHILIPPUM numeravit; fœcunda sane Principum genitrix familia. Exantlati labores, quibus eminentissimus hic Princeps inter cruentos belli tumultus, & varias imperii tempestates, de imperio optime meritus, & sub tribus Imperatoribus LEOPOLDO, JOSEPHO I. & CAROLO VI. Imperii & Electoralis collegii directorium administravit, narrabunt posthumi, & sera loquetur posteritas.

3 Jura & Privilegia Archi-episcopo ac Electori Moguntino competentia exhibet Boeneburgius relatus à Vitriario *lib. 13. tit. 10.* his verbis: 1. Habet primum electoratum, cui nemo controversiam facit, nequidem Rex Bohemiæ. Secundo in electione omnes fere præeminentias habet, dum & dirigit electionem, juxta præscriptionem A. B. & totius collegii Electoralis Decanus est. Maximilianus I. Imperator in Diplomate 1498. appellat eum Obristen Churfürsten; Solus habet jus Coelectores collegas suos convocandi, diemque edicendi, tum ad Electionis actum, tum ad diætas electorales & collegiales, jus jurandum reliquorum excipiendi, proponendi, suffragia colligendi, concludendi, decretum electionis pronunciandi. Tertio capitulationem conficit, sive ex votorum pluralitate præscribit atque dirigit. Huc adduntur 4 alia: ut Archi-cancellariatus per Germaniam, cujus virtute est Archi-cancellarius unus & solus effective; Atque jure hujus Archi-cancellariatus per Germaniam:

Primo subscribit & subsignat vel ipse, vel per suum imperii Vice-cancellarium decreta Imperatoris & Imperii, in comitiis & conventibus, extraque conventus, tum alia imperii nomine publicanda.

2. Sigilla imperatoria asservat, omnium actorum, chartarum, Archivi, matriculæ, monumentorum, & documentorum variorum depositarius & custos est, ut etiam expedi-

peditionem Italicarum rerum per Vice-cancellarium administret.

3. Directorium habet in comitiis Imperii, aliisque conventibus, omni tempore, locoque secundus est a Cæsare.

4. Solus in aula Cæsarea Ministrum ac Vicarium sive vice-cancellarium habet, sibi quoque non tantum Cæsari sacramenti religione obstrictum; qua de re exstat privilegium Maximiliani I. de anno 1509. Sed & cæteri, ad cancellariatus imperii procurationem destinati ministri a Moguntino constituuntur, ipsique post Cæsarem, juramento obstringuntur, & salariis & taxa imperiali sustentantur, quam regit Moguntinus.

5. Solus deputationem ordinariam, an. 1555. institutam convocat, & proponit.

6. Solus omni tempore extra conventus ab Imperatore litteras accipit, per quas die Churfürstliche Gutachten eingefordert und eingeholet werden.

7. Solus loquitur in Propositione comitiali, & cæsari respondet nomine electorum & statuum.

5 8. Est protector & director postæ imperialis.

9. Solius Moguntini ministris secretioribus debetur immunitas a solutione vectigalis litterarum.

6 10. Solus est, ausschreibender Churfürst / und Director im Churrheinischen Crayß; quo includuntur nimirum electoratus ecclesiastici omnes & palatinus.

11. Tempore interregni cum Vicariis reipublicæ invigilat præcipue.

12. Cancellariam in camera imperiali regit, ac officialibus ministrisque instruit, sicut patet ex litteris cardinalis Alberti Moguntini ad Cæsarem Carolum V. & ex actis institutæ cameræ; tum ex confirmationibus Maximiliani I. & Caroli V. des Ertz-Cantzlers Amts-Würde. Addatur Recess. Norimbergensis 1523. §. item hat auch.

13. Soli Moguntino legati Electorum, Principum & ordinum imperii, omnesque deputati, in comitiis, aliisque conventibus se sistunt, mandata & credentiales afferunt, & desuper testationes expetunt, discessuri ante finitum conventum veniam petunt. Imo & Regum legatos atque aliorum magnatum ambassadores, si in comitiis imperii aliquid proponendum habeant, mandata specialia & generalia Moguntino ostendere, præsentiam suam illi notam facere, & discessum significare oportet; qui omnia deinceps conventui profert.

14. Huic etiam exteri legati & residentes, agentesque suas res primum exponunt.

15. Expedit solus in cancellaria acta, attestata, & alia momentosa pro Imperio.

16. Coram ipso solo reservationes, protestationes, denunciationes, requisitiones, & ejusmodi alia fiunt, quemadmodum soli quoque Mogun-

guntino, ejusque directorio traduntur statuum memorialia, desideria, commonitoria, postulata, & omnes omnium supplicationes atque petitiones.

17. Moguntinus solus decernit & intimat revisiones, ubi vero ipsemet interessatus (quia nemo in propria causa judicem agit. *l. 10. ff. de jurisd. l. 10. ff. de testib. l. ult. §. penult. C. ubi Senat. & clariss.*) tum demum Trevir. supplet, ipso Moguntino id olim deprecato, *R. J. 1594. §. 99.*

18. Solius Moguntini Cancellarius & Secretarius sitzen übern Tisch mitten im Saal bey Proposition und Abschied des Reichs-Tages. Item in Electorali collegio.

19. Moguntini Cancellario wird von Kayserl. Majestät die Proposition zugestellet/ und gebühren Chur-Maynz allein und dessen Cantzley alle ansagen zu Reichs-Supplication-Deputations- auch anderen/ und allen Neben-Räthen/ befiehlt solche dem Erb-Marschall. Es mag Maynzischer Churfürst durch seinen Cantzlar/ die zweyte oder aber andere proposition im Churfürstl. Collegio thun/ wie nemlich auf die Kayserliche Proposition in selbigem/ und dem Fürsten und Städten Rath zu verfahren/ und die Sachen einzutheilen; eodem modo, im Fürsten-Rath/ daß durch sein Ober-Reichs-Directorium Maynz alleweg von neuen mittelst der Reichs-Directorien anfänget/ oder was noch nicht gar erörtert und hangen blieben/ continuiret/ es in neue Umfragen stellet/ Ordnung hält/ und dahin siehet/ daß die Sachen/ so nöthig/ allezeit dem andern vorgezogen werden/ quod si punctum aliquod per consultationem nondum decisum, vel vota sint discordantia, ut nulla certitudo ex eis reluceat, Moguntinus secunda, tertia vice, imo toties inquirit per ordinem, donec quæstio decidatur; cui demum standum erit, non attento, quid unus aut duo ex Electoribus vel alii contra opponant; Moguntinus dictat, omnia memorialia & chartas, & aliis solus communicat, nam si exteri Magnates aliquid ab Imperio prætendant, scriptum petitorium mititur Moguntino, qui illud tanquam originale inter acta reponit, postquam argumenta ejus reliquis statibus per Secretarium dictitavit, protocollum Moguntinum nuncupatur protocollum imperii, ad quod tanquam authenticum provocatur cæteris protocollis discrepantibus, vel si lis moveatur super eo, quod gestum est, reliqui enim status æque ac Moguntinus, Protocolla habent, sed pro authenticis non habentur, ut Moguntinum, nec eis adscribitur fides, nisi in quantum conveniunt cum authentico Moguntino; si quis protestetur, rogat eam protestationem protocollo Moguntino inseri, cæterorum autem protocollis, nisi cum Moguntino collationatis, non statur, & ideo Moguntinus secretarius vel protocollista attentam dili-

diligentiam impendere debet. Cancellarius Moguntinus semper primo refert concilio Principum, si collegium Electorale concilium Principum ad relationem vocavit; Item si collegium Electorale & Principum re-& correferendo facti sunt unanimes, & concilium civitatum fuerit vocatum.

20. Præter hasce libertates, dignitates, honores, jura, istas quoque potestates habet Moguntinus: Cancellariatu suo tam intra quam extra curiam Imperatoriam fungendi, & alios suo loco substituendi, & una cum Cæsare accipiendi semper decimam partem de bonis, petitionibus & exactionibus Judæorum; videantur litteræ Adolphi Romanorum Regis, de anno 1292. Alberti item de anno 1298. Ludovici de anno 1314. & hoc ante auream bullam.

21. Elector Moguntinus etiam subinde Vicarius Imperatoris fuit, videatur Diploma Regis Sigismundi das fallende Umgelt betreffend/ Mäyntz gehörig.

7 22. Moguntinus vindicat jus coronandi, ungendi, consecrandi Reges Romanorum, olim per omnem Germaniam, sed orta controversia inter Moguntinum & Colonienſem res pactione terminata est, anno 1657. 25. Junii. Ita, ut si Imperator sit coronandus, in Ditione Colonienſi, Colonienſis hoc peragat, si in Ditione Moguntini, Moguntinus; si in neutrius, ut alternare debeant.

23. Elector Moguntinus habet Jus stapulæ.

24. Item jus de non provocando. 8

25. Habet jus die Reichs-Pfandschafften einzulösen.

26. Item privilegia contra omnia privilegia ipsius juri contraria, de de anno 1686. 1495. 1507. 1516.

27. Circa Judæos valdè insignia habet privilegia ab Adolpho Imperatore, anno 1292. & anno 1297. Henrico, Alberto, Ruperto Palatino.

28. Item privilegia Sigismundi de anno 1400. daß die an dem Land und Lehnschafften die zwischen Sachsen und Hessen getroffene Erb-Vereine/ dem Ertz-Stifft unnachtheilig seyn solle.

29 Item privilegium Maximiliani de anno 1498. quod subditi Moguntini sine consensu Moguntini expresso se nullius alterius protectioni committere ausint.

30. Privilegium Maximiliani von Angriff der Ubelthäter in alieno territorio.

31. Item jus super Mœno, das Marck-Schiff/ singulis enim hebdomadibus navis mercibus Moguntinorum mercatorum onusta, Francofurtum petere solet, quam Marck-Schiff vocant, quæ licentia nulli Electorum ad Rhenum dominantium præterea competit; amplo privilegio navis hæc à Moguntino ornata est.

Denique Archi-Episcopus & Elector Moguntinus insignes habet

subofficiarios, videlicet Landgravium Hassiæ *Archi-Mareschallum* Comitem de Veldenz, *Tapiferum*, Dominum deSchœnburg, *Pincernam*, quæ sunt potiora supremi hujus per Germaniam Archi Episcopi & Electoris jura & prærogativæ, ex quibus colligitur, quanta sit sacræ sedis Moguntinæ præeminentia.

Præterea dicendum supereſt, quænam terræ & ditiones ad Archi-episcopatum & Electoratum Moguntinum pertineant: 1. Maynz / latinè Mòguntia ad Rhenum sita ex altera parte, ubi Mœnus Rheno illabitur, estque hæc Metropolis & Aula Archi-EpiscopiElectoris, cum suo Territorio ex utraque parte Mœni & Rheni. 2. Huc pertinet Via Montana, vulgò die Berg-Straßen / inter Heydelbergam & Darmstadium sita. 3. Aschaffenburgum cum amplo suo Territorio versus Franconiam ad Mœnum. 4. In Palatinatu Inferiori Satrapiæ Duæ Gerresheim & Saberenheim. 5. In Thuringia ipsa Metropolis Erfordia cum suo insigni Territorio, cujus Gubernator Principalis; Modernus est Illustrissimus Comes, Philippus Wilhelmus, S. R. I. Comes de Boineburg, Metropolitani Capituli Moguntini & Trevirensis respectivè Senior & supremus Chori-Episcopus; & multis aliis titulis insignitus, Almæ hujus Universitatis, in qua hæc scribo, per plures annos Rector. 6. Inter Thuringiam & Saxoniam inferiorem Provincia Eichsfeldiaca, communiter das Eichsfeld. 7. In Landgraviatu Hassiæ insignia oppida Frizlaria germanicè Fritzlar & Ameneburgum vulgo Ohmeburg ad Electoratum Moguntinum pertinent.

Electoralis hujus Archi-Episcopatus præeminentiam rursus ostendunt ejus Episcopi suffraganei per Germaniam potentissimi, nullus equidem ex Germaniæ Archi-episcopis tot numerat suffraganeos episcopos, ut Archi-præsul Moguntinus. Inter suffraganeatus numeratur & eminet:

Episcopatus Herbipolensis. Das Hochstifft Würtzburg.

Episcopatus hic olim fuit, & habet adhuc prærogativas Ducatus, in quo sanctus Kilianus cum sociis Colonato & Totnano (Benedictini Scoti) sub annum 685. Gosberto Duce Franconiæ, fidei Christianæ semina jecit. Est hic episcopatus ditionibus amplissimus & fertilitate celeberrimus, Metropolis est Herbipolis Würtzburg / civitas vallis & arce munita, cui alterum accedit fortalitium Regiscuria, germanicè Königshoffen; vix opibus parem episcopum munerat Germania, cujus armatam manum & copias militum, ultimum spectavit bellum; Modernus Episcopus ordine septuagesimus quartus est:

Reverendissimus ac Celsissimus
S. R. I. Princeps ac Dominus
D. JOANNES PHILIPPUS,
Episcopus Herbipolensis,
Franciæ

Franciæ Orientalis Dux.
Natus est hic Celsisſimus Princeps ex Illustrisſima familia liberorum Baronum de Greyffenklau in Vollrath, Princeps longe clementisſimus; cujus clementiam, misericordiam in pauperes, imo sanctam vitæ integritatem encomiastes narrabit posteritas; in Principis hujus clementiam crebro peccantes milites profugi, adagio habuerunt: quod mitissimus hic Princeps voverit nullum profugum militem funesuspendendum; Adagio huic occasionem dedisse videtur benignitas, qua omnibus reis facillime condonat.

Inter suffraganeos secundo pertinet episcopatus

Aureadensis vulgò Eichstätt.
Das Bißthum Eichstatt.

10 Episcopatus hujus Metropolis est Aureatum sive Aichstadium, civitas sita ad minorem fluvium Altmuhlam, an der Altmühl / primus hic episcopus S. Willibaldus anno 742. modernus & in ordine sexagesimus tertius episcopus est:

Reverendissimus ac Celsissimus
S. R. I. Princeps ac Dominus,
D. JOANNES ANTONIUS.

In episcopum electus anno 1705. natus ex antiquissima familia liberorum Baronum Knœbell de Catzen-Ehlenbogen / Celsisſimi hujus Principis œconomiam, qua episcopatum liberavit multo ære alieno, sapient posthumi; præcipue autem in eo eminet Zelus religionis & animarum, ac insignis clementia in pauperes, prout experti vix tribus ab hinc mensibus peregrini juvenes Scoti, quorum decem ex Scotia Ratisbonam adventantes, ad se perhumaniter invitavit, litteris propria manu ad ipsos scriptis, quos Aichstadium venientes ipsemet pedibus comitatus, ad ecclesias duxit, abeuntibus verò literas fundationis pro juvenum Scotorum seminario exstruendo, ad annuos reditus & sustentationem consignavit, ac in suam Clientelam suscepit.

Tertio venit inter suffraganeatus

Episcopatus Wormatiensis.
Das Hochstifft Worms.

Situs est hic episcopatus ad Rhe- 11
num, curia hujus episcopi est in ipsa urbe Wormatiensi, quæ tamen alias est civitas Imperialis. De episcopatus hujus origine certo nil constat, nisi quod anno 348. ibidem jam fuerit episcopus Victor nomine; olim hic fuisse Archiepiscopatum scribitur, eumque durasse sub hac dignitate usque ad annum 745. quo obiit ultimus Archi-episcopus, Gewillimus. Modernus Præsul & episcopus est:

Serenissimus ac Reverendissimus
Princeps ac Dominus,
D. FRANCISCUS LUDOVICUS.

S. R. I. Princeps & Episcopus Wormatiensis, Episcopus Vratislaviensis Præpositus Elvangensis, Ordinis

Equestris Teutonici supremus Magister, Coadjutor Moguntinus. Natus est hic serenissimus Princeps ex Ducibus Palatino Neoburgicis, in episcopum Wormatiensem electus anno 1694.

Quarto inter suffraganeatus Moguntinos recensetur:

Episcopatus Spirensis.
Das Bißthum Speyr.

12 Civitas Spirensis est quidem Imperialis, sive Imperio immediatè subjecta, nihilominus certis juribus & restrictionibus etiam subditur episcopo; de hujus episcopatus origine non constat, nisi quod anno 348. in synodo Colonienſi interfuerit Jessius, episcopus Spirensis. Modernus episcopus est:

Reverendissimus & Celsissimus
S. R. I. Princeps ac Dominus,
D. HENRICUS HARTARDUS.

Natus ex liberis Baronibus de Rollingen, antea ejusdem ecclesiæ Decanus, electus die 17. Februarii. 1711.

Quinto pertinet inter suffraganeos.

Episcopatus Argentoratensis.
Das Bißthum Straßburg.

Civitas hæc olim erat immedia-
13te subdita imperio, sed anno 1680. ad coronam & regnum Galliæ devoluta fuit. De episcopatus hujus origine saltem constat, quod anno 348. concilio Colonienſi interfuerit S. Amandus, episcopus Argentoratensis. Modernus episcopatus vero creditur fundatus a Dagoberto I. Francorum Rege, Archi-episcopatui demum Moguntino jure suffraganei creditur subjectus esse tempore Caroli Magni. modernus episcopus Argentoratensis est:

Eminentisſimus ac Celsisſimus
Princeps ac Dominus
D. ARMANDUS GASTO
DE ROAN.

ab anno 1704. præest huic episcopatui, estque simul S R.E. Cardinalis, natus ex illustrisſima familia Principum de SOUBISE. Gerit insuper hic episcopus titulum Landgravii Alsatiæ.

Sexto, Archi-episcopatus Moguntini suffraganeum se esse fatetur

Episcopatus Augustanus.
Das Hochstifft Augspurg.

Augusta Vindelicorum est civi-14
tas sita ad Lycum fluvium, an dem Lech/ quapropter etiam vicinia vocatur das Lechfeld/ imperio immediate subjecta, in spiritualibus tamen paret episcopo, quamvis civitas & senatus sit ex medietate addictus confessioni ab ipsa urbe sic dictæ Augustanæ; episcopatus hujus initium refertur ad tempora Hildeberti II. Austrasiorum Regis, sub annum 590. quo constitutus erat primus episcopus Josimus. habet quidem episcopus etiam palatium Augustæ, sed locus aulæ ac curiæ

curiæ alias est Dillingæ. Sunt quidem Canonici ejusdem ecclesiæ cathedralis Comites & Barones à potiori, habent tamen nihilominus etiam quasdam præbendas Doctorales in eadem ecclesia. Digniora hujus episcopatus monumenta erudite recensèt Clarissimus D. P. Carbinianus Kham, Ord. S. Ben. Imperialis ecclesiæ ad S Udalricum ibidem professus, in libro cui titulus: *Hierarchia Augustana* Modernus episcopus Augustanus est

Reverendissimus ac Serenissimus
S. R. I. Princeps ac Dominus,
D. ALEXAND. SIGISMUNDUS.

Ex serenissima familia Ducum Palatino-Neoburgicorum, electus in coadjutorem anno 1663. denuo autem succesit in episcopatu anno 1681. Magnis episcopatus hic tempestatibus erat ab aliquo tempore involutus.

Eodem jure suffraganeorum succedit

Episcopatus Constantiensis.
Das Bißthum Costnitz oder Constantz.

15 Constantia vulgo Costnitz, civitas ad locum Podamicum sita, in spiritualibus subest episcopo. est episcopatus hujus diœcesis & jurisdictio fere amplissima per totam Germaniam, modernus episcopus in ordine ejusdem cathedræ octuagesimus sextus est:

Reverendissimus ac Celsissimus
S. R. I. Princeps ac Dominus,
D. JOANNES FRANCISCUS.

Ex perillustri familia liberorum Baronum Schenck de Stauffenberg, electus anno 1704.

Hunc suffraganeatum sequitur alter

Episcopatus Curiensis.
Das Bißthum Chur.

Initia hujus ecclesiæ incerta sunt, 16
Bucelinus Germaniæ sacræ *part. 1. pag. 3.* eandem fundatam credit ab ipso Apostolo Petro, indeque adhuc adjectam regionem *campum S. Petri.* Episcopatus nomen traxit ab ipsa civitate in qua episcopus aulam & curiam habet, quamvis civitas certis solum limitibus ejus jurisdictioni sit subjecta; Anno 1654. iterum receptus est ad comitia imperii & in senatu Principum sententiam dixit. Modernus est
Reverendissimus & celsissimus
S. R. I. Princeps ac Dominus,
D. ULRICUS VIII.

natus est ex perillustri familia Dominorum de Federspiel, electus anno 1692.

Eodem ordine suffraganeorum sequitur.

Episcopatus Hildesiensis.
Das Bißthum Hildesheim.

Initium hujus episcopatus refer- 17
tur ad annum 812. qui plurimis hucusque tempestatibus agitatus,

prout adhuc loquitur memoria belli Hildesiensis inchoati anno 1519. In coadjutorem & episcopum in ordine quinquagesimum sextum electus fuerat

Eminentissimus ac serenissimus Dux

D. JOSEPHUS CLEMENS,

è Ducibus Bavariæ, Elector & Archi-episcopus Colonienſis, episcopus Ratisbonenſis & Leodienſis.

Hunc ordine excipit

Episcopatus Paderbornenſis.
Das Hochstifft Paderborn.

18 Initium hujus episcopatus refertur ad annum 780. qui opibus & potentia floret, curia & aula Principis est in arce Neuhauß per mediam horam distante ab ipsa urbe Paderbornensi. Modernus episcopus ordine quadragesimus nonus est

Reverendissimus ac Celsissimus S. R. I. Princeps ac Dominus,

D. FRANCISCUS ARNOLDUS,

antea coadjutor sui Domini Cognati, quo mortuo, succeſſit in episcopatu anno 1704. natus est ex perillustri familia liberorum Baronum de Metternich, qui anno 1706. etiam in episcopum Monasterienſem fuit electus; Magnam hujus Celsissimi Principis clementiam loquuntur fideles subditi.

Hunc episcopatum ordine suffraganeorum olim sequebatur:

Episcopatus Halberstadienſis.
Das Bißthum Halberstadt.

Initium hujus episcopatus refer- 19
tur ad tempora Caroli Magni fundatoris, verum episcopus Henricus Julius in ordine episcoporum quadragesimus quartus ex Domo Brunſuicenſi anno 1585. uxorem ducens & anno 1591. omnimodam reformationem induxit. Plurimis inde secutis belli tumultibus & diuturnis tempestatibus, tandem anno 1648. hic episcopatus Domui Brandenburgicæ est cessus & sæcularizatus; habentur adhuc ibi canonici cathedrales utriusque religionis, Catholicæ & Lutheranæ, adeoque episcopatus hic ultra annos 60. venit sub titulo & jure sæcularis Principatus.

Ultimo venit

Episcopatus Verdenſis.
Das Bißthum Verden.

Cujus initium refertur pariter ad 20
tempora Caroli magni fundatoris, ad annum 776. adeoque hic episcopatus per annos 872. usque ad annum 1648. stabat sub jure & privilegio ecclesiastico episcopatus, donec in pacificatione Osnabrucenſi fuerit sæcularizatus, & sub titulo Principatus cessus coronæ Suecicæ. Ultimus episcopus in ordine quinquagesimus legitur fuisse

FRANCISCUS WILHELMUS ex Comitibus de Wartenberg, qui

suc-

ſucceſſive obtinuerat epiſcopatum Oſnabrucenſem, Mindenſem, Ratisbonenſem, ac tandem obiit ut cardinalis anno 1661.

Porro

21 Epiſcopatus Bambergenſis, eſt exemptus & nulli Metropolitano jure ſuffraganeatus ſubjicitur, hujus exempti epiſcopatus initia referuntur in acceptis Henrico II. Imperatori & ejus conjugi Cunigundæ, unde anno 1007. primus ibidem epiſcopus conſtitutus erat Everhardus I. antea Henrici Imperatoris cancelllarius. Eſt epiſcopatus hic abunde ditatus, qui præter territorium epiſcopale, inſignes habet Satrapias 16. in Charintia, ibique ſuum Vice-Dominum alit.

Epiſcopatus hic propter dignitatem omnibus reliquis Germaniæ epiſcopatibus præfertur, utiturque epiſcopus pallio Archi-epiſcopali, quoad ſæcularia vero privilegia illud eminnet, quod in circulo Franconico ſit Condirector primarius, ausſchreibender Fürſt.

Ut autem hic epiſcopatus ab omni tempeſtatum & temporum injuria tanto ſtaret ſecurior, factum eſt quod à S. Henrico inſtituta fuerint, quædam Archi-officia huic epiſcopatui à Principibus Electoribus per ſuos ſubſtitutos ſubofficiarios præſtanda. Electorum archi-officia autem ſunt, quod Bohemus ſit Pincerna, ejus ſubofficiarius eſt nobilis de Auffſaz. Palatinus eſt Tapifer, ſub-officiarius olim erat de Pommersfelden, quo extincto ſine hærede maſculo, bona ejus ad illuſtriſſimam familiam Comitum de Schœnborn teſtamentario jure tranſierunt, an vero ejus officium ſimul tranſierit, nondum mihi conſtat. Saxo eſt Mareſchallus, ſubofficiarius eſt de Ebner. Brandeburgicus eſt camerarius, ejus ſubofficiarius eſt Nobilis de Rotenhan. Hic epiſcopatus Electores habet Vaſallos, eisque in feudum concedit loca nonnulla, quorum intuitu ad ſervitia illi tenentur.

In ordine epiſcoporum Bambergenſium 55. eſt Eminentiſſimus Elector Moguntinus, electus anno 1693. in ejus autem Coadjutorem anno 1708. die 13. Decembris electus eſt:

Illuſtriſſimus & Reverendiſſimus Dominus,

D. FRIDERICUS CAROLUS,

S. R. I. Comes de Schönborn, Modernus Imperii Vice-Cancellarius,

§. II.

§. II.

DE ARCHI- EPISCOPO ET ELECTORE TREVIRENSI.

SUMMARIA.

1. Refertur initium Eccleſiæ Trevirenſis. 2. Præfertur Colonienſi, & quæ jura ratione hujus prælationis competant. 3. Ejus officiales hæreditarii. 4. Audit Primas per Provinciam Belgicam. 5. Quot fuerint Archi Epiſcopi & Electores. 6. Recenſetur Epiſcopatus Metenſis. 7. Tullenſis. 8. Verdunenſis.

Alter Germaniæ Archi-epiſcopatus, qui Electorali ſimul fulget præeminentiâ, eſt

Electoratus Trevirenſis.
Das Ertz-Stifft und Churfürſtenthum Trier.

1 Eccleſiæ Trevirenſis initia referuntur ad tempora D. Petri Apoſtoli, quem dicunt quod per *Eugarium*, qui unus ex 70. diſcipulis ſalvatoris fuit, *Valerium* diaconum & *Maternum* ſub-diaconum, hanc eccleſiam fundaverit. Primum epiſcopum hujus eccleſiæ dicunt fuiſſe Præfatum S. Eugarium, poſt quem floruerunt ejus ſucceſſores usque ad Agricium, quem Sylveſter Pontifex Archi-epiſcopali dignitate donavit. Vide Maſenium *epit. annal. Trevirenſ. lib. 10. p. 279.*

2 Elector Trevirenſis Colonienſi præfertur.

1. Quia Gallia, per quam Archi-cancellarius audit, olim præferebatur Italiæ.

2. Quia jura eccleſiæ Trevirenſis longe antiquiora creduntur juribus eccleſiæ Colonienſis, inter jura Archi-epiſcopi Electoris Trevirenſis refertur, quod ſit Archi cancellarius per Galliam ſeu regnum Arelatenſe, hodie uſum exiguum habet.

3. Trevirenſi competit ex præſcripto *A. B. cap. 4. §. 3.* primum votum in electione Imperatoris.

4. Competit Trevirenſi, ut ſedeat ex oppoſito & lineali directione verſus Imperatoris faciem, grad gegen eines Kayſers Angeſicht über. *A. B. cap. 3. §. 2.*

5. Competit Trevirenſi, ut in directa diametrali linea ante Imperatorem vel Regem incedat illis ſolummodo intermediis, qui imperialia vel regalia portant inſignia. *A. B. c. 21. 22. 26. §. 4. c. 27. §. 3.* quod nimi-

nimirum est ita intelligendum, an in solennitatibus Cæsari insignia præferantur an non? si illud fiat, Elector Trevirensis ante Imperatorem solus incedit, ita tamen, ut Imperialia insignia ferentes intermedii sint. Posteriori casu Trevirensis immediate Imperatorem præcedit, qui ad latera habere solet, Moguntinum atque Colonienſem Electores, vide *A. B. c. 21. c. 22. c. 26. §. 4.* An Elector Trevirensis habeat illimitatum Privilegium de non appellando?, an vero saltem usque ad summam 500. aureorum aliqui dubitant, cum in Comitiis de anno 1653. & 54. reliqui Electores privilegium illimitatum de non appellando sibi renovari curarint', solus Elector Trevirensis autem id neglexerit, & concesserit appellationes à sententiis in petitorio latis, ubi summa 1000. florenorum Rhenensium in auro excesit; Blumius *in proceſſ. cam. tit. 46. n. 32.* Sub officiales Archi-episcopatus habet Dominos ab Elz Marechallos, Barones von der Leyen Dapiferos, de Kesselstadt Pincernas, Schmittbergios habet Camerarios.

3 Denique se vocat Dominum Mosellæ propter confluentiam (Coblenz) ipsi competentem. Specialisimum vero ejus privilegium est, quod omnia feuda imperii in ipso Archi-episcopatu vacantia ad ipsum devolvantur. Besoldus *Thes. Pract. voce* Reichs-Lehn.

4 Quoad ecclesiastica vero jura, referente Becker *in synopſ. lib. 3. c. 3.* Archi-Præsul Trevirensis audit *Primas* quoad Provinciam Belgicam. In hac sede primo successerunt episcopi 26. usque ad annum 277. sede hac ad Metropolitani dignitatem evecta post episcopos successerunt Archi-episcopi 45. per annos 671. his tandem successerunt Archi-episcopi simul & Electores triginta novem, per annos 716. modernus est: 5

Eminentissimus & Serenissimus,
S. R. I. Elector ac Dominus,
D. CAROLUS JOSEPHUS IGNATIUS.

e serenissima domo Lotharingica, episcopus Osnabrucensis, electus in Archi-episcopum An. 1711. Princeps Elector longe clementissimus, in quo omnes Lotharingici sanguinis virtutes, a sæculis insignes, confluxerunt. Ejus suffraganei sunt primo.

Episcopatus Metensis.

Hujus episcopatus initia quidam referunt ad tempora S. Clementis, primi ibidem episcopi, & quamvis hic episcopatus anno 1552. ab imperio fuerit avulsus, nihilominus vigore Instrumenti pacis remansit sub jurisdictione Metropolitana Trevirensi. 6

Alter suffraganeatus est

Episcopatus Tullensis.

Cujus exordium pariter refertur ad Tempora S. Petri, qui S. Man- 7

suetum primum Tullensem episcopum misisse perhibetur. Qui pariter licet imperio non amplius subsit, remansit nihilominus sub jurisdictione Archiepiscopali Trevirensi, per dictum instrumentum pacis. Idem dicendum est de Episcopatu Verdunensi. Qui anno 1552. per Henricum II. Galliarum Regem occupatus, & quoad politica ab Imperio separatus, quoad ecclesiastica vero remansit subjectus Archi-episcopo Trevirensi.

§. III.

DE ARCHI-EPISCOPO ET ELECTORE COLONIENSI.

SUMMARIA.

1. Habet tertiam ab Imperatore dignitatem. 2. Refertur initium hujus Archi-episcopatus. 3. Recensentur jura & privilegia hujus Archi-episcopatus. 4. Ejus ditiones & territorium quodnam sit. 5. Ejus officiales hæreditarii. 6. Episcopatus Monasterienſis initium refertur. 7. Ejus officiales hæreditarii. 8. Ejus territorium & ditiones. 9. Episcopatus Leodienſis, unde dicatur & ejus initium quodnam fuerit. 10. Ejus territorium & ditiones. 11. Episcopi titulus. 12. Initium episcopatus Osnabrucenſis. 13. Quidnam conventum circa eundem sit per pacem Osnabrugo Monasterienſem? 14. Quos & quot alat Canonicos. 15. Episcopatus Mindenſis.

1 Tertiam ab Imperatore in imperio Romano-Germanico obtinet dignitatem Archi-episcopus & Elector Colonienſis.

2 Hujus sedis initium refertur ad tempora S. Materni, qui primus ibidem episcopus fuisse perhibetur anno post Christum 88. adeo ut ecclesia Colonienſis in suo vigore & flore numeraverit annos 1626. primo igitur Colonia insignis fuit episcopatu, usque ad annum 747. adeo ut per annos sexcentos quinquaginta novem numeraverit episcopos 24. tandem hæc sedes episcopalis accepit jura Metropolitana & per anno 251. numeravit Archi-episcopos 15. usque dum Archi-episcopi Colonienſes anno 998. simul honorati & insigniti sint prærogativa Electorali, & proinde per annos 716. numeraverit Archi-episcopos Electores 48. ad hunc Archi-episcopalem Electoratum per

per Breve Apoſtolicum habilitatus fuit & electus

Eminentiſſimus ac Sereniſſimus Elector,

D. JOSEPHUS CLEMENS,

Antea epiſcopus Friſingenſis & Ratisbonenſis e Ducibus Bavariæ.

Hujus Archi-epiſcopatus Electoralis jura & prærogativa ſunt:

3 1. Quod ſit Archi-Cancellarius per Italiam.

2. Item ſecundo loco votum ſuum proponit in electione Regis Romanorum. *A. B. c. 4. §. 3.*

3. Interdum coronat Imperatorem, nimirum ſi coronatio fiat in loco ſub Archi-diœceſi Colonienſi.

4. In ſua Diœceſi & provincia, & & extra provinciam ſuam, & tota Italia dextrum Cæſaris latus claudit *A. B. c. 3. §. 2.*

5. Ejus ſubditi privilegiati ſunt contra Rotwilenſe, & alia extranea conſiſtoria, tam in realibus quam perſonalibus actionibus.

6. Item hodie gaudet privilegio de non appellando illimitato.

7. Inter alios titulos utitur etiam titulo Ducis Weſtphaliæ & Angariæ, quas Ditiones munificentia Friderici Imperatoris anno 1180. contulit eccleſiæ Colonienſi. Hermes *in Faſcic. Jur. Publ. c. 6. §. 9.*

4 Ditiones & territoria Archi epiſcopi Electoris Colonienſis ſunt:

1. Archi-epiſcopatus Colonienſis ſuperior & inferior, das Ober- und Unter-Stifft / qui inſignes habet Satrapias.

2. Ducatus Weſtphaliæ & Angariæ.

3. Comitatus Arensbergenſis, qui ab ultimo & ſine hærede maſculo defuncto hujus nominis Comite fuit Archi-epiſcopatui venditus anno 1368.

4. Comitatus Hilicrodenſis.

5. Comitatus Hochſtettenſis.

6. Civitates Marienſtand, Rattig, Rems, Schonſtein, Wiſer & Zeltlein.

7. Alpen, Gelderdick, Iſſum, Lidberg, Menſel, Wied, Comitatus Laols.

Officiales Hæreditari ſunt: 1. Hæ- 5
reditarius Dapifer eſt Comes de Manderſcheid in Blanckenheim. Hæreditarii Mareſchalli ſunt Comites de Salms in Reifferſcheid, Hæreditarius Camerarius eſt Nobilis Raizius de Frenz.

Inter Electoralis hujus Archi-epiſcopatus ſuffraganeos 1. venit

Epiſcopatus Monaſterienſis. Das Hochſtifft Münſter.

Hujus epiſcopatus initia referun- 6
tur ad tempora Caroli magni fundatoris ejusdem, circa annum 788. primitus erat hic epiſcopatus exemptus, ſed demum ſub annum 1180. factus fuit ſuffraganeatus Archi-epiſcopi Colonienſis. Eſt ſane hic epiſcopatus inter potentiſſimos Germaniæ referendus, imo dubitem: an potentior ſit quispiam epiſcopus Germanus, qui adeo numero-

merosum alit militem, nisi fortè Herbipolensis teneret paritatem.

Primum hic fuisse episcopum Ludgerum, quem in ordine episcoporum sexagesimus primus sequitur:

Reverendissimus ac Celsissimus S. R. I. Princeps ac Dominus, D. FRANCISCUS ARNOLDUS, Episcopus Monasterienſis & Paderbornensis.

7 Hujus episcopatus officiales hæreditarii sunt 1. Barones de Droste, Dapiferi. 2. Barones de Mordien in Falckenhoff, sunt hæreditarii Marechalli. 3. Barones de Galen sunt hæreditarii Camerarii.

8 Episcopatus hic in Westphalia obtinet Burgraviatum Stromberg. Comitatum Vecht cum insigni civitate Monasterienſi, & plurimis aliis satrapiis ac ditionibus. Ejus fortalitia sunt Coesfeld, Vecht, Meppen, Aarhausen, Alen &c. anno 1671. hic episcopatus alebat 30000. conscriptos milites; unde episcopatus hujus reditus ac Provectus colligere licet.

Alter in ordine suffraganeorum Colonienſium est:

Episcopatus Leodienſis.
Das Bißthum Lüttig oder Liege.

9 Qui episcopatus nomen suum traxit a Metropoli Leodio, initium autem sumpsit a S. Materno circa annum 101. Sedes episcopalis primo fuit Tongriæ, in Tongern, dein Trajecti, & denique Leodium translata. Inter hujus sedis episcopos ordine nonagesimus tertius electus fuit anno 1694.

Eminentissimus ac Serenissimus S. R. I. Princeps Elector D. JOSEPHUS CLEMENS, de quo supra.

Inter Potentissimos Germaniæ 10 episcopatus & Principatus est Leodienſis, equidem inter ditiones suas numerat ingentem hanc civitatem Leodienſem. 2. Fontalitium Huy, in quo episcopus aulam & curiam habet. Marchionatum Franchimontanum, Comitatum Loos, Tongern, & plurimas alias ditiones, adeo ut ad hunc episcopatum spectare communiter dicantur 14. urbes muris circumdatæ, 50. Abbatiæ, 1700. oppida.

Episcopus se scribit Principem 11 Leodienſem & Ducem Bovillonium, Printzen von Lüttig und Hertzogen zu Bovillion.

Tertius subest Archi-episcopo Colonienſi suffraganeus

Episcopatus Osnabrucenſis.
Das Bißthum Oßnabrück.

Qui initium sumpsit sub an- 12 num 776. fundatore Carolo Magno, primus fuit episcopus Osnabrucenſis Witho, vel Guitho. Post quem in ordine sexagesimus sequitur & electus fuit anno 1698.

Emi-

Eminentisſimus ac ſerenisſimus S. R. I. Princeps Elector,
D. CAROLUS JOSEPHUS IGNATIUS.
Dux Lotharingiæ, de quo ſupra.

13 Quoad hunc epiſcopatum eſt advertendum, quod per pacificationem Oſnabrugo-Monaſterienſem de anno 1648 conventum fuerit, ut in hoc epiſcopatu alternativè ſuccederant Catholici & Lutherani, adeo, ut mortuo Catholico ſuccedat Lutheranus, & viciſſim; Lutheranus tamen eligendus, debet neceſſario aſſumi ex domo Brunſuicenſi. Regnante autem Lutherano, expeditiones & cauſæ eccleſiaſticæ tractantur per Archi-epiſcopum Colonienſem.

14 Epiſcopatus hic canonicos cathedrales alit 25. inter quos hactenus fuerunt tres Lutherani.

Officialem hæreditarium habet ſolummodo unicum, quem vocant Land-Troſten / quod officium pertinet ad illuſtriſſimam familiam de Bahe in Barnau.

Inter ſuffraganeos ultimò venit:

Epiſcopatus Mindenſis.
Das Bißthum Minden.

Initium traxit à fundatore Carolo magno circa annum 708. quam epiſcopalem ſedem primus obtinuit Herimbertus. Ultimus verò epiſcopus Mindenſis, Catholicus & in ordine quinquageſimus nonus erat 15
Franciſcus Wilhelmus,
Comes de Wartenberg, qui obiit anno 1648. Qui epiſcopatus per pacem Weſtphalicam fuit ſæculariſatus & Domui Brandenburgicæ ſub titulo Principatus cum voto & ſeſſione in Imperio, incorporatus.

Poſt Archi-epiſcopos Electores S. R. I. olim primus veniebat Archiepiſcopatus Magdeburgenſis, qui etiam Germaniæ Primas (ſcilicet in ſpiritualibus) audiebat; igitur hic referendum cenſui, quis fuerit & quando ſit extinctus.

§. IV.

ARCHI-EPISCOPATUS MAGDEBURGENSIS.
Das Ertz-Bißthum Magdeburg.

SUMMARIA.

1. *Archi Epiſcopatus Magdeburgenſis quando fundatus, & quid circa eum ſit notandum.* 2. *Notantur quædam circa Epiſcopatum Merſeburgenſem.* 3. *Deſcribitur Epiſcopatus Naumburgenſis.* 4. *Refertur Epiſcopatus Miſnenſis.* 5. *Brandenburgenſis.* 6. *Havelburgenſis.*

1 Sumpsit exordium circa annum Christi 968. fundatore Ottone magno, quo anno Adelbertus primus Magdeburgensis Archi-episcopus à Joanne XIII. pallium & Archi-episcopalis sedis confirmationem accepit, & ab Hattone Archi-episcopo Moguntino consecratus fuit.

Archi-episcopus in ordine 45. ex domo Brandeburgica filius Joachimi II. Electoris, primus fuisse dicitur, qui à Romana Ecclesia defecit & se Augustanæ confessioni addictum professus est. Cujus successor Joachimus Fridericus ex eadem domo Brandeburgicâ in ecclesiâ Metropolitana Magdeburgensi ritus & cerimonias augustanas introduxit, teste Hübnero *Introduct. ad quæst. Politic. p. 8. de Magdeb. §. 10. fol. 47.*

Tandem per pacem Westphalicam res eo pacto transacta fuit, ut Administrator Saxonicus Augustus Archi-episcopatum Magdeburgensem ad dies vitæ retineret, sed post ejus vitam idem secularizaretur, & sub titulo Ducatus Domui Brandeburgicæ in perpetuum & hæreditario jure cederetur; prout anno 1680. præfatus Archi-episcopatus pleno jure familiæ Brandeburgicæ fuit incorporatus. Hujus Metropolitanæ ecclesiæ primus suffraganeatus erat.

Episcopatus Merseburgensis sive Martisburgensis.
Das Bißthum Merseburg.

2 Fundatus primo ab Ottone magno circa annum 968. & ab Henrico II. circa annum 1004. restauratus fuit. Primus in hac Cathedra sedit episcopus Boso. Ultimus verò & in ordine 45. episcopus catholicus ibidem fuit Michael Sidonius, qui ultimus in possessione episcopatus obiit, dum Viennam profectus, ibidem mortuus & in ecclesia S. Stephani sepultus. Hisce temporibus possidetur à domo Saxonica sub titulo Administratoris. Alter suffraganeatus erat

Episcopatus Naumburgensis.
Das Bißthum Naumburg.

3 Fundatione coætaneus episcopatui præcedenti, fundatorem habuit eundem Ottonem magnum circa annum 968. cui primus episcopus præfuit Hugo. Ultimus vero catholicus & in serie episcoporum quadragesimus, erat Julius L. B. de Pflug, electus anno 1541. & obiit anno 1564. Episcopus doctrina & prudentia celeberrimus. Post hujus obitum hic episcopatus remansit penes domum Saxonicam, sub titulo Administratoris.

Eodem jure suffraganeatus suberat Metropolitano Magdeburgensi

Episcopatus Misnensis.
Das Bißthum Meissen.

4 Eodem authore Ottone magno fundatus, circa annum 968. & primus ibidem

ibidem episcopus fuit Burchardus. Ultimus episcopus qui à fide Catholica defecerat,& Augusto Electori Saxoniæ potissimas ditiones hujus episcopatus cesit,erat Johannes Haugwitz, uxorem ducens; & proinde domui Saxonicæ hic episcopatus fuit incorporatus. Quartus suffraganeatus erat

Episcopatus Brandeburgensis. Das Bißthum Brandenburg.

§ Fundatore Ottone Magno erectus,circa annum 960. primus ibidem episcopus sedit Dulim, ultimus vero & in serie episcoporum quadragesimus secundus,ex Ducibus de Munsterberg Silesius, mortuus Uratislavii, ubi simul erat præpositus ecclesiæ Cathedralis. hoc mortuo episcopatus fuit incorporatus domui Brandeburgicæ.

Ultimus denique suffraganeatus erat.

Episcopatus Havelbergensis. Das Bißthumb Havelberg.

Erectus a fundatore Ottone M. 6 anno 946. Primus hujus cathedræ episcopus erat Udo. Ultimus vero & in ordine episcoporum trigesimus sextus, erat Busso II. ex perillustri familia de Alvensleben, electus anno 1523. obiit Catholicus anno 1548. quo extincto tandem anno 1553. hic episcopatus ad domum Brandeburgicam pervenit.

Extincto autem Archiepiscopatu Magdeburgensi, dignitas primatus est translata in Archi-præsulem Salisburgensem, ac proinde nunc ordine primus venit:

§. V.

ARCHI-EPISCOPATUS SALISBURGENSIS. Das Ertz-Stifft Saltzburg.

SUMMARIA.

1. Archi-Episcopatus Salisburgensis notatur. 2. Ejus suffraganeatus Passavienſis. 3. Ratisbonenſis. 4. Frisingenſis. 5. Brixienſis. 6. Gurcenſis. 7. Chiemenſis. 8. Seccovienſis. 9. Lavantinus. 10. Tridentinus. 11. Viennenſis. 12. Neostadienſis.

Initium sumpsit sub annum 582. quo S. Rupertus Salisburgi ecclesiam S. Petri,ceu futuram sedem Episcopi ædificaverat, & demum ad instantiam Caroli Magni huic Episcopatui superaddita fuit dignitas Archi-

Archi-episcopatus, à Leone III. Pontifice & Episcopus Arno primum obtinuit hanc dignitatem Archi episcopalem anno 798. Insignis prærogativa accedit, quod hic solus imperii Princeps creet alios imperii Principes, scilicet suffraganeos suos. Certe qui Salisburgum considerat, alteram Romam mirabitur. Modernus & in serie Archi-episcoporum quinquagesimus nonus, & anno 1705. in coadjutorem electus est.

Reverendissimus ac celsissimus S. R. I. Princeps ac Dominus

D. FRANCISCUS ANTONIUS.

Ex illustrissima familia Comitum de Harrach, antea episcopus Viennensis; hujus Archiepiscopi sedes & curia est Salisburgum, civitas sita ad saltzam fluvium, montibus undique circumvallata, ædificiis & templis splendidissima, quam exornat templum universitatis per Germaniam celeberrimæ; cæterum abundat hic Archi-episcopatus fere omnibus ad humanam sustentationem necessariis, metallis, sale, feris; ut fere delitiarum enporium liceret appellare. Territorium est amplissimum, & præterea bona adhuc possidet in Austria, Stiria, Carinthia.

Appellatur hic Archi-episcopus per Germaniam Primas, quam prærogativam a Magdeburgensi translatam obtinuit: & præterea se scribit S. sedis Apostolicæ Legatum natum, quo titulo Gebhardus a Gregorio VII. fuit primum honoratus; denique in comitiis hic Archi-episcopatus alternat ratione directorii cum Archi-ducali domo Austriaca. Inter suffraganeos ab aliquibus numeratur, ab aliis vero in dubium vocatur

Episcopatus Passavienſis.
Das Hochstifft Passau.

Qui initium sumpsisse perhibe-2
tur sub annum 598. Primo ejusdem sedis episcopo Erckenfrido, fundationem vero adscribunt Theodoni III. Duci Bavariæ. Episcopus modernus & in serie episcoporum septuagesimus septimus qui defuncto cardinali de Lamberg anno 1712. successit est

Reverendissimus ac Celsisfimus S. R. I. Princeps ac Dominus,

D. RAYMUNDUS FERDINANDUS.

Ex illustrissima familia Comitum de Rabbatta, electus anno 1712.

Inter hujus episcopatus officia hæreditaria, Pincernam agit Comes de Lamberg, Marechallum Comes de Nothafft, Camerarium Eques de Aheim, Dapiferum Dominus de Penzenau. Curia episcopi est Passavii, cujus urbis arce munitæ est Dominus, & præterea ad hujus territorium pertinent: 1. Viechtenstein. 2. Riedenburg. 3. Obernberg, cum pluribus satrapiis in Bavaria. In Austria habet civitatem Mautern, Trubensee, Everding, Amstatten, Ebersberg, Haag, Starenberg, Haffnerszell &c.

Cæte-

Cæterum hic episcopatus pertinet ad circulum Bavaricum. Hunc suffraganeatum subsequitur

Episcopatus Ratisbonensis. Das Bißthum Regenspurg.

3 Hunc episcopatum quidam dicunt esse exemptum ab omni jurisdictione Metropolitana, quo etiam in disquisitionem non vocato, primo dicendum est, quod año 470. S. Paulinus huic episcopatui initium dederit; sub annum vero 740. S. Bonifacius hunc episcopatum quasi de novo fundavit & restauravit. In episcopum hujus sedis septuagesimum tertium electus fuit anno 1685.

Serenissimus Bavariæ Dux,
JOSEPHUS CLEMENS.

Inter hæreditarios hujus episcopatus officiarios est Dapifer Comes de Nothafft. Marechallus est Comes de Töring, Pincerna est L. B. de Pfettau, Camerarius est, Eques de Stingelheim. Ecclesiæ cathedralis sunt 12. Canonici capitulares & 12. Domicellares. Huic suffraganeatui succedit

Episcopatus Frisingensis. Das Bißthum Freysingen.

4 Qui exordium sumpsit per S. Corbinianum primum Frisingensem Episcopum & Grimoaldum Bavariæ Ducem. Modernus in seric episcoporum quinquagesimus septimus est electus anno 1695.

Reverendissimns ac Celsissimus
S. R. I. Princeps ac Dominus,
D. JOAN. CHRISTOPHORUS.

Ex libris Baronibus Ecker de Küpfing, Princeps plus exornans dignitatem virtute, quam ipse insigniatur à dignitate, qui animam nactus est tanto Principe dignissimam! litterarum scientia excultam, & principali clementia svavissimam.

Inter hæreditarios hujus episcopatus officiales Dapiferum agit Dominus de Seyboltsdorff, Mareschallum Nobilis de Penzenau, Camerarium L. B. de Weix, Pincernam Dominus de Preising in Kopfsberg.

Ecclesiæ cathedralis sunt 24. canonici, tum Nobiles tum Doctores. ad territorium Frisingense pertinet ipsa Metropolis, in qua est aula & curia episcopi. 2. Comitatus Ismanning. 3. Comitatus Werdenfels. 4. ditio Bruckrainensis. 5. in Austria huc pertinet Hollenburg, Elzendorff, & Ulmerfeld. 6. in Stiria. Rotenfels, Oberweilen, Bayrischweidhosen. 7. in Tiroli Hitig & Insing. 8. ditio Lackensis huic succedit

Episcopatus Brixiensis. Das Bißthumb Brixen.

Episcopatus hic in comitatu Ty- 5
rolensi situs, exordium hausit circa annum 350. per sanctum Cassianum, qui primam sedem episcopalem Sabionæ fixerat, ibique sedes permanserat per annos 688. quo tempore appellatus fuit episcopa-

tus Sabionensis, usque dum Hartwicus episcopus anno 1038. sedem transtulerit Brixiam, unde postmodum hic episcopatus dictus est Brixiensis. Modernus & in serie episcoporum octuagesimus octavus est

Reverendissimus ac Celsissimus S. R. I. Princeps ac Dominus,

D. CASPAR IGNATIUS.

ex illustrissima Tyrolensi familia comitum de Kunigl. habet hic episcopatus votum & sessionem in imperio tanquam status imperii immediatus, quamvis etiam certis pactis obtringatur Archi-ducali domui Austriacæ.

Inter hæreditarios hujus episcopatus officiales est Dapifer Comes de Wolckenstein, Marechallus L. B. de Welsperg, Camerarius L.B. de Voels, Pincerna Comes de Thun. Ecclesiæ cathedralis sunt 19. canonici, inter quos etiam Doctores & Licentiati. Cæterum hic episcopatus pertinet ad circulum austriacum. Hunc excipit suffraganeus

Episcopatus Gurcensis.
Das Bißthum Gurck.

6 Situs in Carinthia, initium traxit a pia fundatrice Hemma conjuge Landravii de Frisach, nata comitissa de Peilstein, & opitulante Gebhardo, Archi episcopo Salisburgensi primus Gurcensis episcopus constitutus fuit Guntherus; modernus & in ordine episcoporum Gurcensium quadragesimus primus, qui Ottoni ex Abbate Banthensi Ord. S. Bened. in Franconia, facto episcopo, & mortuo anno 1705. successerit, mihi non constat.

Hic episcopatus licet à Domo Austricâ eximatur jam ab anno 1548. gaudet tamen voto & sessione in Comitiis Imperii. Vitriarius illustratus, *lib. 1. tit. 15. litt. ff.* hunc sequitur

Episcopatus Chiemensis.
Das Bißthum Chiemsee.

7 Situs in superiori Bavaria, curia episcopalis est in arce Chiemsee, sic dicta à lacu, qua circumdatur, initium sumpsit ab Eberhardo II. Archiepiscopo Salisburgensi 1215; primusque ibidem episcopus fuit Rudigerus ab anno 1215. usque ad an. 1233.

Inter suffraganeatus Metropolitani Salisburgensis etiam venit:

Episcopatus Seccoviensis.
Das Bißthum Seccau.

8 Qui nomen traxit à monasterio hujus nominis in Styria sito, à quo non procul distat oppidum Leibniz, in quo est curia episcopalis. Fundatorem suum vocat hic episcopatus Eberhardum II. Archi-præsulem Salisburgensem, qui primum ibidem episcopum sub Honorio III. Pontifice præfecit Carolum, anno 1219. Episcopi numerantur ab exordio in hunc usque diem quadraginta,

Eodem

Eodem ordine & jure ſuffraganeorum venit

Epiſcopatus Lavantinus.
Das Bißthum Lavant.

9 Situs in inferiori Carinthia ad fluvium Lavant, à quo civitas & curia epiſcopi nomen trahit, terra vicina nuncupatur das Lavanthal/ vallis Lavantinus; Epiſcopatus autem fundatorem recogonoſcit Archi-epiſcopum Salisburgenſem Eberhardum II. qui conſenſu Honorii III. Pontificis eundem exſtruxit; nec tamen voto aut ſeſſione gaudet in Imperio.

Sub eodem ordine & jure ſuffraganeorum venit

Epiſcopatus Tridentinus.

10 Qui ſuum numerat exordium ab anno Chriſti 45. quo primus ibidem epiſcopus fuit ordinatus Jovinus ab Hermagora, Patriarcha Aquileienſi, diſcipulo Evangeliſtæ Marci. Nomen autem traxit ab urbe & ſede epiſcopali Tridento, quæ licet ſit in confinibus Italiæ, nihilominus ad Tyrolenſem Comitatum adhuc pertinet. Tractu temporis hic epiſcopatus variis ditionibus fuit auctus à Theodoſio magno, Carolo magno, Conrado II.

Privilegia hujus epiſcopatus quod attinet, habet is in Imperio votum & ſeſſionem, ſicut anno 1511. inter domum Auſtriacam & hunc epiſcopatum certæ quædam pactiones fuerunt initæ, quarum præcipua puncta ſunt: 1. quod epiſcopus Tridentinus ut immediatus Imperii Princeps, votum & ſeſſionem in Comitiis habere debeat. 2. Quod Archi-Duces Auſtriæ, dum ſimul fuerint Comites Tirolis, debeant eſſe advocati hæreditarii hujus epiſcopatus. 3. Quod epiſcopus per ſuum legatum debeat comparere in comitiis ſive conventibus Tirolenſibus, & ſuam quotam conferre ad communem patriæ neceſſitatem ac ſubſidium. 4. Quod domus Auſtriaca vicisſim oneræ Imperio præſtanda debeat in ſe recipere. Inter hujus epiſcopatus hæreditarios officiales, Mareſchallus eſt L. B. de Firmian, Princerna eſt Comes de Thun. Modernus & in ordine epiſcoporum centeſimus ſextus, electus anno 1696. eſt

Reverendiſſimus ac Celſiſſimus
S. R. I. Princeps ac Dominus,
D. JOANNES MICHAEL.

Natus eſt ex Tyrolenſi familia Comitum de Spaur & Vallör.

Ulterius venit in ordine ſuffraganeorum:

Epiſcopatus Viennenſis.
Das Bißthum Wien.

In civitate & Metropoli Archi-11 Ducum Auſtriacorum eſt erectus epiſcopatus, qui epiſcopus tamen nullam exercet jurisdictionem niſi mere eccleſiaſticam, & ut credi-

bile videtur, episcopus aulicus sive domesticus Augustissimi Imperatoris; Interim donatus est à sua Majestate Imperatoria titulo Principis Imperii, quin tamen votum aut sessionem habeat. Moderni cognomen est RUMMEL, olim in aula glorioſæ recordationis Josephi I. Imperatoris gratus.

Ultimo venit inter suffraganeos 12 Salisburgenses

Episcopatus Neostadiensis.
Das Bißthum von der Wienerischen Neustadt.

Modernus est natus ex illustrissima familia Comitum de Buchain-Schönborn.

§. VI.

ARCHI-EPISCOPATUS BREMENSIS.
Das Ertz-Bißthum Bremen.

SUMMARIA.

1. Archi-Episcopatus Bremensis ortus & progressus recensetur. 2. Recensetur Episcopatus Lubecensis. 3. Episcopatus Schleswicensis qualiter ortus & extinctus fuerit? 4. Ratzeburgense exordium & suppressio describitur. 5. Schwerinensis ortus & interitus. 6. Idem refertur de Lebusensi. & 7. de Caminensi Episcopatu.

1 Archi-episcopatus hic erectus fuit ab initio in episcopatum, fundatore Carolo Magno, circa annum 785. primusque ibidem episcopus fuit Willehardus; tandem anno 848. sub Ludovico Germanico episcopatus Hamburgensis & Bremensis fuerunt uniti in unum Archi-episcopatum, & se scribebat Archi-episcopum Hamburgensem, usque dum anno 858. Ansgarius se solum Archi-episcopum Bremensem scribere inceperit. Ultimus Archi-episcopus in ordine 42. Catholicus erat Christophorus e Ducibus Brunsvicensibus, eratque simul Episcopus Verdensis, qui obiit anno 1558. Sepultus in ecclesia cathedrali Verdensi, cui succesit prædefuncti Germanus frater Georgius, qui primus fuit amplexus confessionem Lutheranam. Tandem anno 1648. per pacem Westphalicam hic Archi-episcopatus fuit sæcularizatus una cum vicino episcopatu Verdensi, & sub titulo ducatus fuit coronæ Suecicæ cessus, ita ut duo capitula Bremense & Hamburgense nullum amplius habeant jus eligendi aut postulandi. Hujus

Archi-

Archi - episcopatus suffraganeus erat

Episcopatus Lubecensis.
Das Bißthum Lübeck.

2 Primitus fundabatur ab Ottone I. Cæsare Saxone episcopatus Oldenborgensis in ducatu Holsatiæ, circa annum 952. primusque episcopus Oldenborgensis erat Marco, qui episcopatus in suo persistebat vigore per annos 210. usque dum Oldenborgum fere in acervum lapidum fuerit redactus; quapropter episcopatus Oldenborgensis translatus in urbem Lubecensem. Duodecimus & ultimus episcopus Oldenborgensis & primus Lubecensis erat Geroldus qui obiit an. 1162. Ultimus episcopus catholicus & in ordine episcoporum Lubecensium 27. erat Henricus III. cognomento Buchholz, qui obiit anno 1535. primus autem confessionem Lutheranam introduxit & amplexus est, Detlevus episcopus Lubecensis, ex familia de Reventlau.

Per pacem Westphalicam etiam hic episcopatus prope fuisset omnino sæcularizatus, & domui Holsatæ hæreditarie cessus, nisi Johannes X. tunc temporis episcopus licet Acatholicus, episcopatum conservasset; in cujus protectionis recognitionem, capitulum Lubecense episcopo promiserat, quod post ejus obitum adhuc sex successores episcopos ex domo Holsata velit eligere. Adeoque in hac ecclesia adhuc residui Canonici habent jus eligendi episcopum, & expleto ac exspirante pacto ratione domus Gottorpicensis, quin rursus succedendi jus devolvatur ad catholicos, non est dubitandum, Alter nunc sequitur suffraganeus

Episcopatus Slchesvicensis.
Das Bißthum Schleßwig.

Qui initium hausit circa annum 3
946. cujus fundationem aliqui adscribunt Ottoni Magno, alii Haraldo VIII. tribuunt. Primus ibidem episcopus erat Marco, antea Ottonis Magni cancellarius. Ultimus & in serie episcoporum 35. Catholicus episcopus erat Godeschalcus de Ahlefeld, electus anno 1509. & mortuus anno 1541. qui usque ad agonem fortis in fide perstitit, licet idcirco multis agitatus hostium impugnationibus. Primus vero Lutheranus episcopus succesit Tilemannus de Hussen. Tandem Fridericus II. Rex Daniæ episcopatum occupavit, & reditus episcopales cameræ suæ applicavit, canonicatus tamen remanserunt, & a domino territoriali conferuntur. Alter succedit suffraganeus

Episcopatus Ratzeburgensis.
Das Bißthum Ratzeburg.

Nomen sortitur ab urbe ejus- 4
dem nominis, fundatorem vero habuit Adelbertum Archi-episcopum Hamburgensem, circa annum 1058.

primusque ibidem episcopus fuit S. Aristo. Ultimus ad agonem usque catholicus, & in ordine trigesimus episcopus erat Christophorus de Schulenburg; ejus successor Christostophorus II. e ducibus Mecklenburgensibus, se Lutheranum professus, & primus confessionem Lutheranam anno 1566. in ecclesiam cathedralem Ratzeburgensem introduxit. Tandem per pacem Westphalicam hic episcopatus, uti etiam Schwerinensis Adolpho Friderico Duci Schwerinensi jure hæreditario & cum voto ac sessione in comitiis fuerunt cessi, & insuper canonicatus utriusque ecclesiæ extincti. O deploranda Germania! Alter subsequitur suffraganeus.

Episcopatus Schwerinensis. Das Bißthum Schwerin.

5 Exordium hausit circa annum 1058. ab eodem Adelberto Archiepiscopo Hamburgensi, de quo paulo ante dictum est; primi tres episcopi domicilium habuerunt Mecklenburgi, donec tertius episcopus dictus Benno sedem transtulerit Schwerinum; curia tamen episcopalis iterumque vigebat in Butzow. Primus ibidem episcopus erat Joannes, Natione Scotus, qui Schwerinensi ecclesiæ præfuit annis octo. Ultimus episcopus catholicus & in serie episcoporum trigesimus quartus, erat Petrus Wolckovius, cujus successor nomine magnus ex Ducibus Mecklenburgensibus, primus fuit amplexus confessionem Lutheranam, eamque per totum episcopatum introduxit, & tandem anno 1543. uxorem sibi elegit. Hic episcopatus per pacem Westphalicam sæcularizatus & hereditario jure, cum voto & sessione in Comitiis sub titulo Principatus fuit cessus DucibusSchwerinesibus. Hunc ordine excipit suffraganeus

Episcopatus Lebusensis. Das Bißthum Lebus.

Nomen traxit ab urbe & curia 6
episcopi, quæ sita est in intermedia Marchia ad Oderam fluvium; initium verò sumpsit à fudatore Miecislao I. qui primus fuit Christianus regens Poloniæ, circa annum 962. Primus hujus cathedræ episcopus fuit S. Stephanus. Hic episcopatus ab anno 1608. est incorporatus Electoratui Brandeburgico. Huic succedit suffraganeus

Episcopatus Caminensis. Das Bißthum Camin.

Episcopatus hujus initium ex 7
eo profluit, quod Julini in Pomerania circa annum 1128. fuerit institutus episcopus nomine Albertus, in Franconia natus, qui obiit anno 1158. sub cujus successore Danis Julinum devastantibus, episcopatus fuit Caminum translatus, quo tempore Dux Pomeraniæ suam arcem Caminensem episcopo in curiam obtulit,

obtulit. Ultimus ad agonem usque constans catholicus, & in serie episcoporum Caminensium vigesimus quintus erat Erasmus nobilis de Manntreuffel. Tandem per pacem Westphalicam hic episcopatus fuit sæcularizatus, canonicatus & præbendæ cathedrales extinctæ, ac omnia Domui Brandeburgicæ hæreditario jure cessa.

§. VII.

DE ARCHI-EPISCOPATU VESUNTINO.

SUMMARIA.

1. Archi-Episcopatus Vesuntinus describitur. 2. Ejus suffraganeus Basileensis. 3. Lausannensis. 4. An pax religiosa & instrumentum pacis Westphalicæ obstringat Catholicos, ubi refertur fundamentum partis negantis. 5. Ponuntur rationes sententiæ affirmantis. 6. Quid hac sententiæ posterior respondeat ad argumenta opposita?

1 Archi-Episcopatus Vesuntinus, germanis Bisantz / gallis Besaçon, situs est in Comitatu Burgundiæ, quæ a Gallis dicitur Franche Comté, & initium traxisse perhibetur à S. Lino circa annum Christi 54. qui S. Petro in Pontificatu postmodum successit. Hic episcopatus in pace Neomagensi coronæ Gallicæ fuit cessus, Archi-episcopus tamen est adhuc immediatus S. R. I. Princeps, qui etiam post dictam pacem Neomagensem per suum legatum comparuit in comitiis Ratisbonensibus. Modernus & in serie Archi-episcoporum nonagesimus est Franciscus Josephus ex familia de Grammont. Hujus Archi-episcopatus primus suffraganeatus est

Episcopatus Basileensis.
Das Bißthum Basel.

2 Initium traxisse fertur circa annum 237. a S. Pantalo primo ibidem episcopo; modernus & in ordine episcoporum septuagesimus est

Reverendissimus ac Celsissimus S. R. I. Princeps ac Dominus,
D. JOHANNES CONRADUS.

ex perillustri familia de Reinach, electus anno 1705. Nuncupatur hic episcopatus ab urbe Basilea, exinde, quia episcopi ante hac ibidem residerunt; nihil autem juris in hanc civitatem episcopo competit moderno tempore. Episcopi residentia & curia est Bruntruti. Canonici cathedrales sunt 17. estque capitulum Felsbergæ in Salzgan.

Inter hæreditarios hujus episcopatus officiales, Dapifer est eques de Schönau, Marechallus est nobilis

lis de Ebtingen, Camerarius est nobilis de Reichenstein, Pincerna est nobilis de Bährenfels, supremus Culmiæ præfectus est eques de Rotberg. Huic ordine succedit

Episcopatus Lausannensis. Das Bißthum Lausanne.

3 Nomen hausit ab urbe Lausanne sita in Helvetia ad locum Genevensem, sub Cantone Bernensi. Initium autem traxit circa annum 500. a primo ibidem episcopo Prothasio. Episcopi semper residerunt in præfata urbe, usque dum civitas hæc anno 1553. a fide catholica defecerit, quapropter episcopi sedem suam Friburgum civitatem adhuc catholicam transtulerunt. Quisnam sit modernus mihi non constat. De tertio episcopatu suffraganeo, hic meminisse supervacaneum arbitror, quia de episcopis imperii statibus scribere, statueram, reliquos igitur Germaniæ episcopos qui non sunt principes imperii hic fileo. Quoniam vero plures in Germania episcopatus & ecclesiæ sunt sæcularizatæ ac extinctæ, per varias pacificationes, hinc celeberrima hic poterit moveri controversia:

4 *An pax religiosa, & instrumentum pacis Westphalicæ quoad articulum quintum & septimum, Cæsarem & status imperii catholicos obstringat, ac licite sint inita?*

Pacificationem hujusmodi ceu illicitam ac juribus omnibus adversam, plurimi serio damnarunt, inter quos eminuit Ernestus Eusebius, qui author judicium theologicum de pace religiosa conscripsit, ac propugnavit: Cæsari ac orthodoxæ Germaniæ pacem illam, quam in comitiis Monasterienſibus Protestantes desideraverant, salva conscientia pangi non posse, ex fundamentis sequentibus:

Primo: Quia Pax religiosa est perpetua, adeoque extenditur ad illum etiam casum, quo hæresis tolerari nec potest nec debet. Ergo cooperatur hæresi saltem indirecte! Verum etiam cessante circumstantia necessitatis publicæ, tenentur principes jure divino & humano castigare hæresin, quia tenentur jure divino & humano castigare & reprimere scelera atrociora; ergo si tolerent tunc hæresin, indirecte cooperantur hæresi, quia malum permittere, cum tolli possit ac debeat, est indirecte cooperari malo.

Confirmatur. Pax religiosa extenditur quousque de religionis articulis partes amice convenerint, ergo moraliter ex perpetua, quia igni citius miscebitur Oceanus, quam error atque veritas fœdere jungantur, ac in placitis fidei catholici & protestantes conveniant.

Deinde possunt Protestantes compositionem amicam tunc quoque refugere, cum potentia eorum detumuit. Ergo extenditur pax religiosa ad illum etiam casum, quo sublata est circumstantia necessita-

tis

tis publicæ. Adeoque cooperatur hæresi saltem indirecte. Imo pergunt

Secundo: Pax religiosa æquat Protestantes Catholicis tribuit Principibus Imperii potestatem reformandi, atque adeo augendi hæresin, concedit Principibus jus introducendi hæresin in ditiones suas, reclamantibus licet episcopis & obnitentibus subditis, dat hæreticis jus & actionem ad retinenda vindicandave spolia injuste Catholicis erepta, imponit necessitatem Cæsari defendendi Protestantes in juribus & bonis injustè acquisitis. Ergo directè cooperatur Acatholicis, quia his præstat authoritatem Juris publici, & ordinatur ad stabiliendam, defendendam, atque augendam Protestantium erroneam doctrinam.

Tertio ajunt quod pax religiosa patrocinatur actioni criminosæ, dum compellit subditos ad deficiendum a fide, vel emigrationem ex patria, quæ est actio ex se criminosa.

Quarto: Pax religiosa imponit necessitatem subditis aut amplectendi Acatholicismum, aut migrandi; ergo exponit subditos periculo perversionis, quia multi amicam carni religionem amplecti malunt, quam duram exilii sufferre legem.

Quinto: Pax religiosa suspendit jurisdictionem ecclesiasticam, cedit Protestantibus bona ecclesiastica sine authoritate Pontificis, renuntiat constitutionibus paci huic adversis; adeoque usurpat potestatem alienam, quia actus hi omnes limites excedunt potestatis politicæ.

Sexto: de fide catholica nihil statuere potest Princeps politicus. Ergo neque de Protestantibus; quia oppositorum eadem est ratio & doctrina; adeoque decernere non potuit Cæsar sintne Protestantes puniendi an tolerandi.

Septimo: Cæsar vi juramenti tenetur defendere religionem catholicam, tueri jura ecclesiæ, castigare & extirpare hæreticos. Atqui huic juramento adversis frontibus repugnant articuli pacis religiosæ, adeoque etiam repugnant obligationi Cæsaris.

Octavo: Electus Imperator jurejurando promittit, quod in omnibus tum necessitatibus tum utilitatibus protegere velit Pontificem. At vi pacis religiosæ tenetur defendere hostes Pontificis. Ergo pax religiosa adversatur jurejurando Cæsaris.

Nono: Episcopi tum consecrantur, jurejurando se obstringunt, quod conservare, defendere, ac promovere velint Jura Sedis Romanæ & Ecclesiæ. At dum pacis articulis subscribunt, obligant se ad contraria, adeoque contraveniunt juramento suo.

Altera sententia opposita priori defendit, quod pax religiosa S. R. I. prout defecto constituta fuit anno 1555. & anno 1648. sit licita & valida.

Probant 1. ex eo, quod si historiam consulamus, etiam deprehendamus in eum calamitatis statum deveniſſe orthodoxam Germaniam, ut aut migrandum fuerit Catholicis, aut bona quædam ecclesiastica cedenda Protestantibus, ac plena securitas pacto publico illis concedenda. Ergo inferunt, potuisse Cæsarem, potuisse reliquos Principes necessitati cedere, ac malum minus permittere, ut vitarent majus malum; potuisse etiam bona quædam ecclesiastica permittere Protestantibus, ne universa eriperentur, & Protestantes in parte quadam tolerare, ne religio catholica in toto imperio interiret.

Probant 2. Quando dua mala ingruunt & circumstantiæ emergunt, ut cavere utrumque sit impossibile, licitè minus permittitur, ut evitetur majus; quia quando duo mala ingruunt, & cavere utrumque est impossibile, permissio minoris non est libera sed necessaria, quia malum minus certo eveniet, cum imbibatur in majori, ergo permissio minoris mali evidenter est licita, quia implicat permissionem necessariam esse illicitam.

Confirmatur. Implicat permissionem necessariam esse liberam. Ergo implicat permissionem necessariam esse illicitam, quia omnis permissio illicita est libera. Item implicat permissionem necessariam esse interdictam, quia quod vitari non potest, frustra interdicitur, adeoque implicat, permissionem necessariam esse illicitam. At quando duo mala ingruunt, & cavere utrumque est impossibile, permissio minoris mali est necessaria, quia malum illud eveniet, sive toleretur sive non, ergo implicat permissionem ejus esse illicitam.

Probant 3. Quando mala quædam injuria temporum redduntur necessaria, & majus vitari potest, si permittatur minus, debet sub peccato hoc permitti, ut vitetur illud. Atqui ante pacem religiosam mala quædam reddebantur necessaria, & majus (scilicet omnimoda subversio Catholicorum) vitari poterat, dum permitteretur minus, scilicet illa, de quibus Pax religiosa fuit concluſa. Ergo Imperator & status Catholici in conscientia tenebantur permittere minus malum in pace religiosa contentum. Major patet ex eo, quando majus malum vitari potest, si permittatur minus, vitatio majoris mali est libera, ergo cadit sub obligationem, quia quando malum libere vitari potest debet vitari.

Confirmatur 1. Si quis ponat se necessario spoliandum vel occidendũ, data optione, spoliari in hoc casu non est liberum, sed occidi aut servari: ergo si minus malũ quis eligat, id physicè permittit, non moraliter, mortem verò liberè declinat; ergo tenetur declinare, quia quando malum liberé vitari potest, debet vitari.

Confirmatur 2. Quando mala quædam ingruunt, & necesitas emergit permittendi vel aliqua vel omnia

omnia, si minora permittantur, vitantur majora, si minora non tolerentur, tamen eveniunt, & cum his majora ergo necessitati stultò conatu obluctatur, quisquis mala illa minora sustinet impedire, cum evitari nequeant; adeoque tenetur illa permittere, ne majora succedant.

Probant 4. Quando duo mala ingruunt & necessitas emergit permittendi vel alterutrum vel utrumque in perpetuum, potest & debet alterutrum permitti in perpetuum, ne utrumque in perpetuum nos torqueat. Atqui in casu utriusque pacificationis ingruebat necessitas permittendi utrumque vel alterutrum in perpetuum, scilicet aut Protestantes aut omnimodum fidei Catholicæ in Imperio interitum. Ergo. prob. maj. Quando necessitas emergit permittendi malum vel alterutrum vel utrumque in perpetuum, permissio alterutrius non est libera, sed necessaria, adeoque culpa vacua, permissio utriusque verò est libera, adeoque culpæ obnoxia. Ergo potest & debet unum seorsim permitti in perpetuum, ne utrumque in perpetuum immineat.

Probant 5. Bona ecclesiastica possunt permitti Acatholicis si ad securitatem religionis catholicæ & pacem obtinendam id videatur necessarium. Atqui tempore pacificationis vel maxime videbatur necessarium ad securitatem fidei catholicæ, & pacem obtinendam, bona ecclesiastica permitti Acatholicis. Ergo poterant permitti. Prob. maj. Ratio naturalis suadet, ut mala minora permittantur, ne majora succedant, Atqui minus malum est bona ecclesiastica permitti Protestantibus, quam religionem catholicam periclitari. Ergo ratio naturalis suadet, ut bona ecclesiastica permittantur protestantibus, si ad securitatem fidei catholicæ & pacem obtinendam, id videatur neneceſſarium.

Confirmatur 1. Muri moribus sunt postponendi, neque enim redemptor noster mortem obiit pro muris, ac ut ditaret ecclesias, sed pro animabus, adeoque exemplo suo nos docuit, vel unicam animam esse multis divitiis præponendam; ergo si periculum versetur judicio prudentum inevitabile, perdendi multas animas, nisi bona quædam ecclesiastica dimittantur protestantibus, possunt hæc dimitti, ut illæ conserventur.

Confirmant 2. Si Respublica in eas redigatur angustias, ut carendum sit aut religione catholica aut muris & bonis ecclesiasticis, præstat illam videre catholicam sine muris, quam cum sumptuosissimis ædificiis & bonis splendidissimis acatholicam. Ergo si Respublica in eas redigatur angustias, ut carendum sit aut religione catholica, aut muris & bonis ecclesiasticis, possunt hæc dimitti, ut illa conservetur; quia licitè permittitur minus malum, ut evitetur majus.

Probant 6. Quando fides catholica & animæ periclitantur, ac aliter servari nequeunt, quam si defensio negetur fundis ecclesiasticis, illam intermittere non potest tantum, sed etiam tenetur Cæsar. Atqui illis imperii calamitatibus quibus ante pacificationes initas fides catholica & animæ periclitabantur, aliter servari non poterant residuæ, nisi defensio negetur fundis ecclesiasticis. Ergo. prob. maj. quia Cæsar tanquam supremus advocatus & protector ecclesiæ, tenetur animas potius defendere, quam fundos, pro illis enim non istis sanguinem suum exhausit Christus, adeoq; exemplo suo nos docuit, omnia perdenda esse quæ fuerint necessaria, ut beneficium sanguinis illæ recipiant. Ergo dato, quod animæ ita periclitentur, ut aliter defendi nequeant, quam si defensio fundorum relinquatur, hanc defensionem tenetur Cæsar relinquere, quia majus est malum perdi animas, quam fundos relinqui indefensos. Unde si fundos, si pecunias, si fortunas Cæsar præponat animabus, ac illas protegat has negligat, gravi peccato se obstringit.

Confirmatur. Imperatori non licet habere voluntatem defendendi bona ecclesiastica, si hæc ipsa defensio vergat in perniciem ecclesiæ, quia non licet bona caduca defendere cum pernicie religionis. Ergo si circumstantiæ emergant, ut bona ecclesiastica aliter defendi nequeant, quam cum pernicie religionis catholicæ, defensionem tenetur intermittere, quia in circumstantiis talibus, defensio illorum redditur intrinsece illicita, utpote cum periculo moraliter certo perdendi fidem catholicam.

Probant 7. Quando est periculum judicio prudentum inevitabile, perdendi omnia bona ecclesiastica in Imperio, nisi pauca quædam tradantur Acatholicis, ad traditionem hanc non desideratur authoritas Pontificis, quia authoritas frustra requiritur ad id, quod vitari non-potest; sed quando est periculum moraliter inevitabile perdendi omnia bona ecclesiastica, nisi pauca quædam tradantur & permittantur Acatholicis, permissio paucorum vitari non potest, quia sive permittantur sive non, perduntur; ergo ad traditionem hanc frustra requiritur authoritas Pontificis. Lex siquidem necessitatis est fortior omni lege Pontificia, quia in canonicis dispensare potest Pontifex, in lege necessitatis nemo potest.

Probant 8. Quando bello fidei catholicæ pernicioso finis imponi aliter non potest, quam si bona ecclesiastica permittantur Acatholicis, permissionem neque summus Pontifex neque alius licite impedire potest, nemo enim potest impedire defensionem & conservationem fidei catholicæ. Ergo dato quod hæc aliter conservari nequeat, quam si bona quædam ecclesiastica permittantur hæreticis, permissionem ne-

neque Pontifex neque alius potest impedire; Omnis enim potestas atque authoritas ad ædificationem concessa est, non ad destructionem.

Confirmatur 1. Ipso jure divino jubentur principes conservare religionem catholicam, ergo si ad finem hunc obtinendum sit necessarium, bona quædam ecclesiastica permittere Acatholicis, permissionem neque Pontifex neque alius licite potest impedire.

Confirmatur 2. Ecclesia plus juris non habet in bonis ecclesiasticis, quam concesserint Principes & Domini sæculares, quia omnia bona quæ de facto possidet Ecclesia fuerunt aliquando sæcularia. At neque principum neque privatorum authoritas tendit ad destructionem religionis. Ergo neque principes neque privati potuerunt ita donare Ecclesiæ, ut revocare illa non liceat, si revocatio judicio prudentum, censeatur necessaria ad conservationem ecclesiæ & religionis catholicæ.

Confirmatur 2. Quando privatus fundum donat ecclesiæ, & donationem confirmat princeps, ac in gratiam ecclesiæ cedit eminente suo dominio, voluntas & principis &privati hanc tacitam conditionem habet imbibitam: *nisi donatio futura sit perniciosa Ecclesiæ & fidei Catholicæ.* Ergo si circumstantiæ emergant, ut incipiat esse periculosa Ecclesiæ, poterit à principe retractari.

Probant 9. Quando est periculum judicio prudentum inevitabile perdendi religionem catholicam in toto imperio, nisi in parte quadam Acatholici tolerentur, illi non tantum possunt sed etiam debent tolerari; quia quando mala quædam ingruunt, & majus vitari potest si permittatur minus, debet sub peccato hoc permitti, ut vitetur illud; quia jure naturæ tenemur unum potius e duobus malis permittere, quam utrumque. ergo quando periculum imminet, perdendi religionem catholicam in toto imperio, nisi Acatholici tolerentur in parte quadam, debent sub peccato tolerari, quia minus est malum in parte quadam tolerari Acatholicos, quam totum imperium induci in discrimen.

Confirmatur. Omissio rei imposfibilis & permissio rei necessariæ evidenter non est obnoxia peccato, quia libertate caret. At quando necesitas emergit tolerandi acatholicos vel in toto imperio vel in parte quadam, defensio fidei catholicæ in toto imperio est imposfibilis, & permissio acatholicorum in parte quadam est necessaria; ergo in talibus circumstantiis omissio illius & permissio horum evidenter non est obnoxia peccato. Unde dum acatholici permittuntur in parte quadam imperii, ne totum perdatur, non permittuntur libere & moraliter, sed physice tantum, religio autem catholica libere vindicatur ab interitu.

Probant. 10. Licet quandoque acatholicos pacto publico permit-

tere in perpetuum. Ergo dictæ pacificationes fuerunt licite initæ. Prob. antec. Licet acatholicos pacto publico permittere ad tempus, Ergo etiam quandoque in perpetuum; ideo enim licet prius, quia possunt emergere circumstantiæ, ut judicio prudentum videatur certum, difficultates & mala publica, intra tempus illud non desitura; at possunt etiam emergere circumstantiæ, ut judicio prudentum videatur certum, angustias, difficultates & mala publica civiliter in perpetuum duratura; ergo si licet acatholicos pacto publico ad tempus permittere, licebit etiam quandoque in perpetuum.

Confirmatur. Acatholici possunt permitti ex gravi causa; quod si causa illa duratura credatur tribus annis, permitti possunt triennio; Ergo si causa illa duratura credatur in perpetuum, permitti possunt in perpetuum; quæ enim triennio licite permittuntur, si causa aut necessitas decennio perseveret, permitti possunt decennio, vel omnino in perpetuum, si judicio prudentum necessitas duratura credatur in perpetuum.

Concludit secunda sententia secundo: quod securitate perpetua acatholicis semel promissa, non liceat Cæsari incautos opprimere, tametsi circumstantiæ emergant, ut possint opprimi. Probant exinde, quia Cæsar tenetur sub mortali minus malum permittere, ne majus malum emergat, At minus est malum acatholicos inermes ab armato Cæsare tolerari, quam contra fidem datam deleri; partim quia possunt acatholici vires resumere & impetum remoliri in catholicos, partim quia non potest Imperator incautos opprimere, quin gloriam amittat fidelitatis, & ignominiam incurrat infidelitatis, quod malum est gravissimum, & summe pernicioſum reipublicæ, quia si sciant hæretici, fidem datam ab armato Cæsare frangi posse, omnia potius susque deque vertent, quam ut in pacem subdolam & religioni suæ pernicioſam consentiant.

Confirmatur 1. Est evidenter minus malum acatholicos inermes tolerari a Cæsare armato, quam bellum imperio & religioni catholicæ pernicioſum perduci ad finem non posse. At si liceret Cæsari armato acatholicos inermes contra fidem datam opprimere, facile possent emergere circumstantiæ, ut bellum imperio & religioni catholicæ pernicioſum perduci ad finem non posset, quia si acatholici armis prævalidi & viribus superiores, scirent fidem datam a Cæsare potentiore frangi posse, centies potius imperium & religionem catholicam everterent, quam ut articulis fraudulentæ pacis incaute subscriberent. Ergo tenetur Cæsar potentior inermes tolerare potius acatholicos, quam delere, dato quod securitatem perpetuam pacto publico illis promiserit.

Con-

Confirmatur 2. Quando ex licentia aliqua plus mali sequitur quam boni, in ordine ad statum felicem humanæ reipublicæ, manifeste sequitur, licentiam illam non dari; quia quod non expedit licere in ordine ad statum felicem reipublicæ humanæ, evidenter est illicitum. Sed ex licentia frangendi fidem datam acatholicis & opprimendi inermes, plus mali sequitur quam boni, in ordine ad felicem statum reipublicæ humanæ, quia ita e medio tolluntur pacta publica, bella redduntur immortalia, ac religio catholica exponitur discrimini; quæ mala utique sunt tanta, ut licentiam illam natura debuerit adimere. ergo solide concludendum, licentiam illam non dari. Neque huic sententiæ deest, quod respondeat ad argumenta primæ & contrariæ sententiæ. Et quidem

Ad Primum respondet: illam perpetuitatem non esse divinam aut metaphysicam, sed humanam esse & fluxam; imo ex *dd.* acatholicos pacto publico in perpetuam permitti posse, si circumstantiæ emergant, ut prudenter credi possit, angustias, difficultates & mala publica duratura civiliter in perpetuum. Verum etiam esse, inquiunt quod principes tenentur reprimere & punire acatholicos, si punitio non sit noxia reipublicæ & religioni C. si sit noxia N. quemadmodum noxia foret, si liceret sumere pœnam de acatholicis, quibus securitas perpetua pacto publico promissa fuit; tollerentur enim e medio conventiones publicæ, cum ingenti detrimento reipublicæ, cujus interest, ad manus habere media, quibus bellum, imperio aut ecclesiæ pernicioſum, perduci ad finem possit.

Ad secundum respondet, plus non probari, quam pacem religiosam cooperari acatholicis saltem physice, non vero cooperari moraliter, cum mala quæ recenset argumentum, vitare fuerit impossibile, adeoque non liberum; concursus physicus autem si moralis desit, culpa vacat. DEUS enim ad omnes actiones nostras, etiam peccaminosas, concurrit physice, nec tamen author peccati proclamatur, quia ad ejus moralitatem non concurrit. Similiter qui pecunias mutuas accipit ab usurario, physice concurrit ad pravitatis usurariæ exercitium, nec tamen culpæ arguitur, quia ad moralitatem culpæ non concurrit. Et quidem ad singulos argumenti articulos respondet dicendo: 1. Quod pax religiosa omnino possit abstergere infamiam ejusque effectus authoritate humana introductos, cum acatholicos admitti ad dignitates, ad testimonium dicendum in judicio, non sit malum intrinsecè, sed possit quandoque induere rationem boni; posito enim, quod utilius sit ecclesiæ, viam illis ad honores esse apertam quam occlusam, in utilitatem publicam peccaret Princeps, si portam dignitatum temere

temere illis occluderet. 2. Jus reformandi, quod attinet, illud si penitius inspiciamus, ordinatur non tam ad acatholicos augendos quam ad ecclesiam catholicam reducendos; nam de facto paucos reperimus Principes imperii, qui deflectere possint a religione catholica ad confessionem Augustanam, quia Principes mitra insignes, protinus amittunt dignitatem suam, si in castra transeant acatholicorum, multos vero reperimus Principes acatholicos, quos ad ecclesiam catholicam reversuros prudenter speramus; unde verosimilius est, fore, ut quidam Principes hæretici convertantur, quam ut catholici deficiant. Denique negant jus reformandi vigore pacis religiosæ concedi acatholicis, non enim conceditur, sed quod per violentiam suam jam ante sibi arrogaverant, limitatur potius, ac in gratiam catholicorum restringitur. Nam secluso pacis beneficio, persistere tenebantur catholici in ditionibus Principum acatholicorum, defectionis periculo expositi; periculum hoc pax submovit, dum sublata manendi necessitate, emigrandi libertatem invexit. Non igitur vi pacis religiosæ conceditur Principibus jus reformandi, sed ob necessitatem temporum, ac ut via majoribus malis præcludatur, Reformatio permittitur, quemadmodum in locis quibusdam permittantur plura alia. Illud quoque falsum ajunt AA. sententiæ secundæ, vi pacis religiosæ jus concedi Principibus introducendi in ditiones suas acatholicismum, non enim conceditur, sed quia impediri non poterat, permittitur; nam præsumpserant Proceres Confessionis Augustanæ non acatholicismum tantum in ditiones suas introducere, sed insuper catholicos ad eundem amplectendum compellere; utrumque Cæsar potentia & viribus destitutus impedire non poterat; permisit itaque prius illud, tanquam minus malum, ut impediret posterius tanquam majus. Quæ permissio cum libera non fuerit Cæsari, sed necessaria, culpæ argui non potest, cum nulla permissio necessaria culpæ subjaceat, utpote libertate destituta.

Negat insuper hæc sententiæ vi pacis religiosæ acatholicis jus tribui & actionem ad retinenda vindicandave spolia injuste catholicis erepta, non enim jus in bona illa tribuitur acatholicis, sed quia defendi aut recuperari sine gravi detrimento religionis catholicæ non poterant, usus facti saltem authoritate publica illis permittitur, neque permittitur libere, sed urgente necessitate publica, periculum enim erat, judicio prudentum inevitabile, perdendi bona omnia, nisi quædam permitterentur acatholicis. Unde dum bona quædam acatholicis permisit Cæsar, non permisit libere, sed necessario, bona reliqua vero libere vindicavit ab interitu.

Ad

Ad partem ultimam argumenti eadem sententia ponit instantias, & reponit: quod nemo dicat, legem publicam cooperari usuris, qua exercitium illarum permittitur, & vi legis illius teneri judices defendere usurarios, ac compellere alios ad solvendum fœnus, quod promiserunt; a nemine etiam Principes iniquæ cooperationis insimulari, qui Judæos tolerant, & tamen lege impunitatis semel lata, tenentur illos in ritibus suis defendere, ac contra vim privatam tutos reddere. Cur ergo succensendum paci (ait) Religiosæ, quæ cum in bonis ecclesiasticis licite concesserit usum facti, debuit quoque in usu hoc illos protegere, neque permittere, ut temeritate privata impediri posset, quod authoritate publica indultum fuit.

Ad tertium respondet, quod subditi teneantur vel acatholicismum amplecti vel solum vertere, hoc non adscribendum esse paci religiosæ, sed calamitati temporum & potentiæ acatholicorum; paci vero id potius referendum esse in acceptis, quod liceat migrare subditis, ac discrimen effugere defectionis; adeoque pacem non cooperari iniquitati, sed egregie potius consulere religioni catholicæ, dum inducta migrandi licentia, hujus deserendæ periculum a subditis avertit. Quæ responsio etiam datur ad quartum.

Ad quintum respondet: concedendo per pacem religiosam suspendi jurisdictionem ecclesiasticam, non tamen idcirco pacem improbandam, cum libera non fuerit talis suspensio, sed necessaria; cum jam antea acatholici jurisdictionem ecclesiasticam alto supercilio despexerint. Unde ne tota interiret, merito Præsules Germaniæ authoritatem suam repressérunt, ac ut malo majori irent obviam, minus permiserunt.

Cessionem bonorum quod attinet, respondet hæc sententia, vi pacis religiosæ bona ecclesiastica non cedi hæreticis, sed permitti tantum, neque permitti liberè, sed urgente necessitate inevitabili; adeoque frustra ingeminari authoritatem Pontificis, cum legibus necessitas non subjaceat. Vi pacti igitur, quo bona permittuntur acatholicis, non transfertur in illos dominium aliquod, aut jus reale, sed usus facti saltem conceditur, ac securitas & impunitas extrinseca. Unde discurrendum fere de pacto tali, quemadmodum supra dictum est de lege publica, qua usuræ permittuntur; ubi vi juris prioris jus nemini conceditur exercendi usuras, sed impunitas saltem promittitur, si fuerint exercitæ; sic etiam vi pacti, quo bona ecclesiastica permittuntur acatholicis, non transfertur in illos dominium aliquod, aut jus reale, sed hoc saltem tribuitur, ut in quieta detentione relinqui, ac ob furta & rapinas commissas infestari nequeant,

Renunciatio quam perstringit argumentum, nullo (pergunt) laborat incommodo, cum enim potuerit Cæsar, imo debuerit pacem componere, potuit quoque renuntiare constitutionibus paci adversis, quia concesso fine, licita quoque censentur media, ad finem obtinendum necessaria.

Ad sextum respondent dupliciter: primo enim dicunt quæstionem, expediatne bono communi & saluti Reipublicæ tolerare Acatholicos? esse politicam, adeoque obnoxiam decisioni principum sæcularium, cum horum sit expendere, quæ mala in Republica expediat permittere, quæ interdicere. 2. Non fuisse liberum Cæsari tolerare Acatholicos, adeoque quæstionem sintne tolerandi an puniendi? non potuisse in consultationem deduci, cum de eo, quod est necessarium, frustra instituatur consultatio.

Ad septimum respondet, quod Cæsar teneatur defendere religionem catholicam, tueri jura Ecclesiæ, castigare & exstirpare Acatholicos; at nullum juramentum eo trahi posse aut debere, ut adstringat ad aliquid impossibile; unde si in eas religio catholica redigatur angustias, ut in toto Imperio eam conservare sit impossibile, si bona ecclesiastica fluctibus obruantur tam validis, ut vindicare à naufragio universa non possint, satisfacit obligationi suæ Cæsar, satisfacit juramento, si religionem catholicam in parte conservet, si quædam bona tempestati eripiat, si à corpore dimidio venenum arceat; ad plus enim si teneretur, teneretur ad impossibile.

Ad octavum respondent, quod quando Cæsar defensionem promittit Pontifici, non promittat impossibilem, aut noxiam religioni catholicæ; unde si circumstantiæ emergant, ut defensio Acatholicorum videatur necessaria ad conservationem fidei catholicæ, ad hanc licite se adstringit Cæsar, nec Juramento impeditur, quo tenetur Pontifici, id enim non obligat cum dispendio fidei catholicæ.

Ad nonum argumentum respondet sententia posterior, quod nullus Episcopus promittat, se velle defendere jura sedis Romanæ & Ecclesiæ, cum pernicie religionis catholicæ; quapropter Episcopos potuisse salva obligatione sua paci religiosæ subscribere. Ego vero decisionem utr usque sententiæ in suspenso relinquam, mihique sufficiat, utriusque argumenta proposuisse.

SECTIO

SECTIO IV.

DE

DE MEMBRIS ECCLESIÆ EPISCOPO INFERIORIBUS.

§. I.

DE JURE ABBATUM IN GENERE.

SUMMARIA.

1. Persona ecclesiastica quænam dicatur? 2. Ejus descriptio. 3. Divisio adstruitur. 4. Abbates quinam dicantur? 5. Quam dignitatem habeant Abbates? 6. Quam ætatem habere debeat eligendus in Abbatem? 7. Abbatum potestas œconomica quænam sit? 8. Potestas jurisdictionis quæ dicatur? 9. An Abbas habeat jurisdictionem spiritualem ordinariam in suos Religiosos? 10. An Abbates habeant jurisdictionem quasi Episcopalem in suos regulares? 11. An Abbates habeant potestatem ferendi censuras? 12. Etiam in religiosos in alieno territorio existentes? 13. An habeant facultatem absolvendi suos Regulares à censuris? 14. Quam habeant potestatem dispensandi in regulâ? 15. Ad Abbatem spectat libera administratio monasterii. 16. Quoad hanc administrationem adstruitur limitatio. 17. Abbates quam habeant potestatem conferendi ordines?

1 Nota 1. Quoniam hic tractatur de diversis Prælatis personarum ecclesiasticarum, personam ecclesiasticam exinde esse dictam, quod in Ecclesia *Catholica* specialem gradum & præeminentiam habeat, juxta textum *in can. ult. dist. 4.* ibi: *Sacerdotes & Diaconi, & reliqui omnes, quos dignitas ecclesiastici gradus exornat &c. & can. 4. caus. 20. quæst. 4. Clement. 2. de pœn.*

Alias persona ecclesiastica in jure canonico plerumque sub nomine *Clerici* designatur, Clericus autem secundum D. Isidori & Hieronymi nomenclaturam à sorte vel hæreditate denominatur, quia revera Clerici ad sortem Domini & hæreditatem Dei vocantur. *can. 1. dist. 21. can. 5. caus. 12. quæst. 1. cap. 16. de præbend.*

2 Describi autem potest persona ecclesiastica quod sit persona à curis & negotiis sæcularibus abstracta, ac divino officio specialiter deputata, authoritate ecclesiastica. Et quidem primo dicitur: *Persona à curis & negotiis sæcularibus abstracta.* Est enim alia professio laicorum & alia ecclesiasticorum. Hi primi temporalia curare, mundum propagare, causas forenses tractare debent. *can. 7. caus. 12. quæst. 1.* Illi ab ejusmodi laboribus & functionibus separati, Deum ac divina principaliter quærere tenentur. *tot. tit. Ne Clerici vel Monachi sæcularibus negotiis se immisceant.*

Dicitur 2. *Divinis ministeriis specialiter deputata.* Finis itaque & munus præcipuum personarum ecclesiasticarum est, ut ministerium divinum obeant, officia & exercitia spiritualia peragant, ac in Ecclesia pro gloria Dei ac salute fidelium operam indefessam impendant.

Dicitur 3. *Authoritate Ecclesiastica:* hoc est: jussu, concessione, vel approbatione summi Pontificis, Episcopi, vel aliorum Ecclesiæ Prælatorum; neque enim pro clerico sive sæculari sive regulari agnoscitur, qui proprio motu seipsum divinis mancipat, vel institutum quoddam regulare profitetur. *argum. cap. unum. de relig. domib. in 6.*

3 Personarum ecclesiasticarum aliæ sunt sæculares, aliæ regulares; sæculares sunt, non quæ vitam cum laicis communem vivunt, sed una cum laicis in sæculo & mundo viventes, citra professionem certæ regulæ, divino servitio sunt mancipatæ; quo sensu intelligendum est *cap. 31. de rescript.* Regulares sunt quæ postquam mundo valedixerunt, specialem quemdam vivendi modum, cum emissione trium votorum substantialium, juxta regulam à sede apostolica approbatam, sunt professæ.

An autem Eremitæ personis ecclesiasticis annumerari debeant? desumendum est ex eo, an vota substantialia Deo nuncupaverint juxta regulam approbatam, vel saltem authoritate ecclesiastica regularem habitum induti, cuidam Ecclesiæ vel oratorio deserviant; an è contra pro suo libitu sumpserint habitum, ac ubicunque volunt, per sylvas, civitates & oppida vagentur? Eremitæ priores cum nomen & officium cum clericis habeant communem, clericis rectè annumerantur. *can. 17. caus. 16. quæst. 1.* Eremitæ posteriores sicut munus & officium clericorum dedignantur, ita eorum numero sunt excludendi. Barbosa *J. E. lib. 1. cap. 39. §. 1. n 23.* Fagnanus *in cap. nullus 2. de foro compet. n. 61.* Hic §. loquitur de Abbatibus personarum ecclesiasticarum regularium.

Nota. Abbates subinde appellari prælatos seu rectores ecclesiarum sæcularium, prout colligitur ex *cap. 3. de renunciat.* Nam iste abbas non erat monachus, quia ecclesia erat sæcularis non regularis. Prout notat Fagnanus ad *d. cap. 3.*

Secun-

Secundo subinde etiam inveniuntur abbates ecclesiarum sæcularium, ut est abbas S. Felicis Valentini, abbas Claromonten. & in Hispania sunt multi tales, & hoc esse commune Apulorum, Catalonorum, refert idem Fagnanus *loc. cit. n. 4.* Tertio etiam rectores, consules, priores artium, multis in locis abbates vocantur. Alciat. *in l. collegarum. ff. de V. S.* Sic in Arragonia rectores dicuntur abbates, & eorum uxores dicuntur abbatissæ. Verum hæ nuncupationes improprie usurpantur, hinc quarto sub propria appellatione abbatis venit caput monasterii monachorum. *cap. cum ad mouasterium. de statu monach.* qui aliàs etiam vocatur Archimandrita, ut exponit Glossa *in Epist. inter claras. §. manifestu C. de summ. Trinit.*

Quæres 1. *Quam dignitatem habeant Abbates?*

Licet *in can. hoc tamen. cauf. 17. q. 2.* dicatur vocabulum abbatis esse potius nomen sollicitudinis quam honoris; nihilominus:

§ Respondeo cum Baldo *in cap. Pastoralis. de offic. judic. deleg.* Felino *ibid. col. 4.* Fagnano *in cap. accedentibus. de excess. Prælat. n. 28.* Abbates habere dignitatem excellentiæ, & primam post episcopalem; cum abbatia sit speciali nota digna, & dicatur in primo dignitatis gradu, sicut episcopatus; cæteræ autem dignitates appellantur inferiores. prout colligitur ex *can. si quis, cauf. 16. quæst. 7.* prout etiam non ita pridem decisum est per curiam Romanam in causa abbatis S. Udalrici Ord S. Bened. & abbatis ad S. crucem can. regul. S. Aug. Augustæ Vindelicorum, quibus per decisionem & sententiam Papalem adjudicatum est, ut præcedentiam habeant præ reliquis Prælatis omnibus, qui non sunt abbates. Sic etiam de stylo concilii Tridendini, ubi fit mentio Archi - Diaconi, Decani, aliorumque inferiorum, non comprehenduntur abbates. ut patet *in cap. 3. sess. 24.* & Archi-Diac. *in cap. licet. 1. de præbend. in 6.* sentit dignitatem abbatialem æquiparari dignitati episcopali. Lapus *alleg. 55. n. 11. V. item Abbatia.* relatus à Fagnano *in cap. ut Abbates. n. 14. de ætat. & qualit.* ait: Abbatiam esse in primo dignitatis gradu, sicut episcopatus, & cæteras dignitates appellari inferiores, & propterea provisionem abbatiæ pronuntiari & expediri in consistorio instar episcopatus, prout probatur *d. can. si quis deinceps. cauf. 16. quæst. 7.* Sic etiam in concilio Trid. immediate post episcopos sedebant abbates. Quapropter abbates præferuntur omnibus Decanis, Præpositis &c. prout colligitur ex littera *cap. ut Abbates. de ætat. & qualit.* quod intelligo de abbatibus jus mitræ habentibus; nisi aliud legitima præscriptione alicubi sit introductum, prout in Archi-Diœcesi Moguntina Abbates etiam mitrati cedunt canonicis Ecclesiæ Metropolitanæ,

6 Quæres 2. *Quam ætatem habere debeat assumendus ad dignitatem Abbatialem?*

Resp. Quoad Abbates tria inspici posse tempora; primum est jus commune antiquum, quo & in minoribus ordinibus constitutus, poterat esse abbas, quin imo & laicus. *can. subdiacono.* & ibi Gloss. *Verb. Abbas. dist. 93.* Hostiens. *in cap. ut Abbates. de ætat. & qualit. n. 1.* Innoc. *ibid. in princ.*

Secundum tempus est concilii Pictavienſis, ex quo desumptum est *d. cap. ut Abbates.* & tunc abbates debebant esse presbyteri, nec assumi poterant clerici in minoribus, nisi instante necessitate. *cap. tuam §. fin. de ætat. & qualit.*

Tertium tempus est concilii Tridentini, quod *cap. 12. §. ad cæteras. sess. 24.* ad quascunque dignitates non curatas, satis esse statuit, ut assumantur illi, qui habent ætatem 22. annorum, id est qui annum vigesimum secundum expleverint, ut declaravit S. congregatio ejusdem concilii Interpres. Quod demum ita intelligendum est, si abbatia non habeat curam fori pœnitentialis aut jurisdictionalis; cui autem hæc annexa sunt, requiritur annus vigesimus quintus inchoatus, cum cura animarum hanc ætatem requirat.

Quæres 3. *Qualem potestatem habeant Abbates in subditos suos regulares?*

7 Resp. Potestas abbatum alia est domestica, dominativa, seu œconomica, qualem habet pater in filium; estque jus quoddam competens abbati in religiosos, ad imperandum illis, & utendum eorum operibus, prout ad regularem disciplinam conveniens judicaverit, quæ radicaliter oritur a voluntate profitentium talem regulam, & se tradentium religioni, cum promissione & obligatione secundum illam obediendi; ad quam pertinet v. g. irritare vota. Altera est po- 8 testas jurisdictionis, quæ est jus seu potestas spiritualis sive ecclesiastica, pertinens ad claves ecclesiæ, & consequenter a Christo data est vel derivata, mediante Papa ejus Vicario, vel aliis episcopis; omnis à quo ligandi & solvendi potestas conveniente ordine descendit. Ad quam potestatem pertinet judicare, excommunicare, & alias censuras inferre, corrigere & punire, infligendo pœnas corporales & graviores, quam per domesticam potestatem inferri possint; vi cujus moderata solum coercitio ac pœna a prælato infligi potest, quæ ad ordinarium regimen unius familiæ sufficiat; Prior potestas paterna est; privata & domestica; posterior jurisdictionis est publica, quæ ad publicam ecclesiæ gubernationem & disciplinam ecclesiasticam pertinet; prior non debet excedere limites rationis & prudentiæ, qua paterfamilias bene dirigit familiam suam; & sicut ineptus plane foret paterfamilias, qui liberos suos stultis ac indiscretis insolentiis vellet gubernare, ita

plane

plane idem judicium foret de abbate formandum, qui plus sibi indulgeret quam inferioribus, plus de suo ventre sollicitus, quam de ingenua reliquorum sustentatione, qui plus intentus suis commoditatibus, quam reliquorum indigentiis, qui mercenarium potius se ostenderet, quam Pastorem, potius dissipatorem quam dispensatorem, magis prædonem quam sollicitum patremfamilias; equidem religiosi non sunt propter abbatem, sed abbas est propter religiosos bene & sollicite dirigendos, illud autem magis tale, propter quod unumquodque tale.

Quæres, 3. *An Abbates habeant jurisdictionem spiritualem ordinariam in suos religiosos?*

9 Resp. affirmative. ratio est, quia ea ipsis competit ex vi officii seu muneris sui, ad quod a communitate seu collegio sunt electi. Ergo jurisdictio eorum est ordinaria. Sylvester *in summa V. Prælatus q. 1.* Suarez. *tom. 3. de relig. lib. 10. c. 11. n. 8.* Tamburinus *tom. 2. de jur. Abbat. diss. 1. quæst. 4. n. 1. & 2.*

Quæres 4. *An Abbates sive exempti, sive non exempti habeant jurisdictionem quasi episcopalem in suos regulares?*

10 Resp. 1. Abbates exempti a jurisdictione episcoporum, & immediate S. Pontifici subjecti, episcopalem vel quasi episcopalem jurisdictionem obtinent in suos regulares. Ubi tamen est distinguendum inter eos qui habent territorium proprium ac separatum, adeo ut neque in diœcesi neque de diœsi alterius episcopi sint; & hi dicuntur esse nullius diœceseos, & possunt omnia facere in suo territorio, sive quasi diœcesi, in qua jurisdictionem quasi episcopalem exercent, quæ episcopi faciunt in sua diœcesi circa suos subditos, exceptis iis, quæ ad ordinis episcopalis potestatem spectant. Sanchez. *lib. 2. in Decal. c. 11. n. 7.* Tamburinus *loc. cit. dist. 1. q. 5. n. 7.* Alii vero Prælati sunt exempti, qui territorium proprium & separatum non habent, sed sunt in alterius diœcesi, & hujusmodi loca exempta, licet non sint de diœcesi, sive jurisdictione episcopi, sunt tamen in diœcesi, sive territorio episcopi. *arg. c. 7. de offic. jud. ord. in 6.* ubi dicitur: quod episcopus possit ordinariam jurisdictionem exercere in qualibet parte suæ diœceseos, dummodo in loco exempto id non faciat. Ergo locus exemptus est in diœcesi. & hujusmodi prælati exempti, etsi jurisdictionem quasi episcopalem habeant in suos religiosos, vel etiam sæculares, non tamen possunt omnia exercere, quæ episcopi circa suos subditos, nec nomine episcoporum absolute comprehenduntur, quia non habent territorium seu diœcesin propriam. Sanchez. *loc. cit.* Tamburinus *l. c. n 6. & 8.* Prælati vero non exempti habent etiam quasi episcopalem jurisdictionem, sed subordinatam, & in certis casibus dependentem a jurisdictione episcopi diœcesani.

Resp.

Resp. 2. Abbates non exempti ab ordinariis locorum, sed his subjecti, habent etiam potestatem jurisdictionis ordinariam in regulares suos, ut ipsis ratione præstiti voti obedientiæ, præcipere possint in iis, quæ pertinent ad vota, observationem regulæ, & religiosam disciplinam domesticam, rationem vivendi, & quoad officia & promotionem ad ordinum gradus; juxta *cap. 5. de tempor. ordin.* Nam in his dispositio, correctio & punitio, primo loco ad Prælatum ordinis spectat, nec episcopus se in hisce immiscere debet, nisi constet de negligentia, aut injuria Prælati regularis, ut docet Sanchez *l. 6. in Decal. c. 1. n. 12.* Episcopo autem regulares non exempti sunt subjecti, non ratione voti obedientiæ, quia regulares hoc ipsi præstare non solent, sed in iis tantum, quæ ad externam disciplinam ecclesiasticam, communem clericis ' sæcularibus & regularibus pertinent, & quoad crimina graviora & publice scandalosa punienda. Sanchez. *l. c. n. 13.* Layman. *de jurisdict. ordin. Conclus. 117.* Si

Objicias: *Can. Monasteria 17. caus. 18. quæst. 2.* desumpto ex concilio Aretatensi, ibi: *monasteria vel Monachorum disciplina ad eum pertineat episcopum, in cujus territorio sunt constituta.* Ergo regulares quoad omnia plene subjecti sunt episcopo. Explico antec. pertineat ad episcopum in gravioribus delictis, præsertim exigentibus depositionem. C. in aliis N.

Quæres 5. *Quam potestatem excommunicandi, aliasque censuras inferendi habeant Abbates?*

Resp. 1. Cum abbates jurisdictionem ordinariam obtineant in suos religiosos, etiam in foro externo, possunt ob contumaciam, excommunicationem aliasque censuras in eosdem ferre. *cap. cum in ecclesiis. 10. de major. & obed. cap. sicut 33. de Simon.* modo sint confirmati, vel instituti seu provisi, etsi non benedicti. Suarez. *Dis. 2. de censur. Sect. 2. n. 9.* Navarrus *in manual. c. 27. n. 5.* Azor. *p. 1. institut. moral. lib. 12. c. 10. quæst. 7.* Ratio est, quia abbates sunt capita ecclesiarum regularium ex legis præscripto, per electionem & confirmationem constituti, ergo ab eadem lege communi habent jurisdictionem ordinariam fori externi in collegium, seu eos, quibus præficiuntur; adeoque etiam habent potestatem eos excommunicandi, vel per alias censuras coercendi, licet abbates episcopo subsint. Ut tradit glossa communiter recepta *in c. cum ab ecclesiarum 3. V. ecclesiastica sententia. de offic. judic. ordin.* Insuper etiam possunt abbates regulares suos incarcerare, jejunii ac similibus pœnis punire, ac denique, si incorrigibiles fuerint, ex ordine ejicere, ita ut non nisi emendatos recipere debeant. Ut constat ex *cap. 8. de statu Monach.* Layman, *de Jurisdict. ordin. conclus. 127.* II

Resp.

12 Resp. 2. Abbates aliique Prælati regulares subditos suos possunt excommunicare per sententiam generalem, vel particularem in eos latam, etiamsi in alieno territorio existant, quia censura ligat personam secundum se, eamque comitatur, ubicunque locorum existat. Suarez. *lib. 1. de censur. sect. 5. num. 8.* Ex quo

Infertur: quod jurisdictio & potestas Prælatorum in Professos seu religiosos suos, extendat se ad omnem locum, ita ut ubique locorum eos capere & constringere possint, si sint fugitivi, quia eorum jurisdictio provenit ex personali obligatione religiosorum per vota, secundum sedis Apostolicæ approbationem, unde dici solet, quod totus mundus his Prælatis sit pro territorio.

Quæres 6. *Quam potestatem habeant Abbates absolvendi a censuris?*

13 Abbas potest religiosos suos ab omnibus peccatis & censuris a jure specialiter non reservatis absolvere, vel alteri sacerdoti idoneo absolvendi potestatem committere. Navarrus *l. c. c. 27. n. 39.* Pirrhing. *sect. 4. §. 2. n. 13. de offic. judic. ordin.* Ratio est, tum quia abbas etiam in foro conscientiæ jurisdictionem habet in suos regulares; tum *argum. c. 39. de sent. excomm.* ubi dicitur quod quilibet proprius sacerdos absolvere possit a censuris non reservatis, quia quando conditor canonis sibi non reservavit absolutionem censuræ, eoipso aliis relaxandi facultatem concessisse videtur. Multo magis poterit abbas absolvere a censuris a se latis, quia regulariter, cui jure ordinario concessa est potestas ligandi, eidem etiam eodem jure potestas solvendi competit, vel ejus delegato aut successori.

Quæres 7. *Quam potestatem habeat Abbas dispensandi cum suis regularibus in regula?*

Resp. In genere loquendo pot- 14
est abbas in observatione regulæ dispensare, quatenus id a jure vel regula, vel consuetudine vel privilegio est concessum. sic potest abbas regulam relaxare ob causam justam in abstinentiis & usu carnium, jejuniis, silentio, operibus manuum, quæ alioquin ex præscripto regulæ monachi seu religiosi servare debent. Imo generaliter in omnibus ad regulam spectantibus, præterquam in iis, quæ ad habitum, trium votorum observationem, & religionis substantiam pertinent. Azor. *p. 1. Instit. lib. 12. cap. 20. quæst. 16.*

Quæres 8. *Quæ potestas administrandi competat Abbati?*

Resp. *de Jure Communi* canonico 15
ad abbatem spectat libera administratio monasterii, tam in spiritualibus quam temporalibus, ita ut solus & independenter à capitulo seu conventu regulares suos corrigere, & solus ordinare possit ea, quæ ad cultum divinum & bonorum temporalium dispensationem in monasterii utilitatem pertinent.

Abbas *in cap. 26. n. 11. de appellat. & in cap. 21. n. 2. de Reſcript. & ibid.* Imola *n. 2.* ubi Pelagius Papa ſcribit: *Univerſa quæ vel ad divini cultus reverentiam, vel utilitatem monaſterii pertinent, Abbatis ſollicitudo, ad quem tota poteſtas pertinere convenit, debeat adimplere.*

Idem colligitur ex *can. 11. §. cum hujus. cauſ. 12. quæſt. 1.* Et ratio eſt, quia neceſſarium fuit hanc poteſtatem gubernandi alicui committere, quia non poterat per totam communitatem adminiſtrari; ergo maximè debuit committi abbati, ut debitus ordo & perfecta obedientia ſervaretur. Ex quo colligitur, quod abbas non tantum dependeat à ſuo conventu, quantum epiſcopus à ſuo capitulo, quia ipſa ordinis regula, maximè propter votum obedientiæ abbati ſeu prælato regulari plenam ſuper regulares ſuos & monaſterium tribuit poteſtatem. Abbas *in cit. cap. 26. de appellat. n. 11.* Layman *de jurisdict. ordin. concluſ. 189.*

Dixi: *de jure communi.* quod enim
16 Abbates plenam tam in perſonas, quam res monaſterii poteſtatem habeant, limitari debet. 1. Niſi vel per conſuetudinem vel per ſtatutum introductum ſit aut diſpoſitum, ut abbas ſaltem ea, quæ gravia ſunt, ſeu majoris momenti, ſine conſenſu vel conſilio conventus ſui, aut majoris vel ſanioris partis ejus, expedire non poſſit. Quare hac in re inſpiciendum eſt, quid in quovis monaſterio, vel per ſtatuta ordinatum, vel conſuetudine receptum ſit. In dubio tamen de jure communi ſtat præſumptio pro abbate, cum ipſi plena & libera adminiſtratio ſecundum canones ſit conceſſa. Layman. *cit. concluſ. 129.*

Secundo non poteſt abbas ea, quæ in præjudicium conventus cedere poſſe videntur (ut eſt v. gr. monachorum receptio) ſolus ſine ejusdem conventus vel majoris partis conſenſu expedire. Idemque dicendum eſt, ſi agatur de iis, quæ ad ſtatum ac honorem eccleſiæ vel monaſterii ſpectant, v. gr. de ipſius ſubjectione aut membrorum ejusdem. Imola *in cap. Edoceri. 21. de Reſcript. n. 5.* & Layman. *ibid. n. 6.*

Tertio. Quod abbates habeant juxta canones plenam adminiſtrationem bonorum monaſterii, id demum eſt intelligendum de monaſteriis, quæ ex antiqua inſtitutione, etiamſi ejusdem regulæ & inſtituti ſint; jura tamen & bona indiviſa & ſeparata habent, ita ut non habeant unum generalem præpoſitum ſeu caput, cui quoad adminiſtrationem bonorum ſint ſubjecti; In his enim tota poteſtas adminiſtrandi eſt penes abbatem.

Quæres 8. *Abbas quam habeat poteſtatem conferendi ordines?*

Reſp. Abbatem etiam non ex- 17
emptum poſſe conferre ordines minores. Eſt communis ſententia & eam ſæpius probavit ſacra congregatio concilii. Fagnanus *in cap. cum contingat. de ætat. & qualit. n. 3.*

Ad

Ad hoc autem, ut abbas possit conferre tonsuram & ordines minores, requiritur 1. ut abbas sit sacerdos. *c. cum contingat. de ætat. & qualit.* ibi: *& constet eum existere sacerdotem.* Secundo: ut sit benedictus. *d. cap. cum contingat.* ibi: *dummodo ipsis ab Episcopo manus impositio facta noscatur.* Tertio requiritur: ut in conferendo servetur forma ecclesiæ. *cap. cum contingat.* ibi: *juxtæ formam Ecclesiæ datam, quâ prætermissa nihil confertur.* Quarto exigitur ex parte ejus, cui ordines conferuntur, ut sit proprius monachus abbatis ordines conferentis. Colligitur ex *d. c. cum contingat.* ibi: *solummodo in proprio monasterio.* Fagnanus *loc. cit. n. 5.* & concordat Concilium Trid. *cap. 10. sess. 23.*

§. II.

DE PRÆLATIS EPISCOPO INFERIORIBUS ECCLESIARUM CATHEDRALIUM ET COLLEGIATARUM.

SUMMARIA.

1. Ecclesia Cathedralis quænam dicatur? 2. Collegiatæ quæ nuncupentur? 3. An Decanus Ecclesiæ Cathedraiis habeat dignitatem? 4. Quænam sit major dignitas Præpositura an Decanatus? 5. Quam jurisdictionem habeat Præpositus vel Decanus Ecclesiæ Collegiatæ? 6. In Germania quid observandum sit circa Decanos Ecclesiarum Collegiatarum?

1 *Ecclesia Cathedralis* exinde sic dicta, quod penes illam sit cathedra seu sedes & residentia Episcopi, cujus dignitas per cathedram tanquam Magistrorum & Doctorum insigne designatur, prout etiam per cathedram D. Petri, Ecclesia Romana designatur, ut notat D. P. Corbinianus Khamm *in Hierarchia Aug. cap. 2. sect. 2. n. 8.*

Est hæc Ecclesia *Matrix* seu princeps Ecclesia totius Civitatis & Diœcesis, *cap. venerabili. 2. de V. S.* habetque cum omnibus Ecclesiis inferioribus concurrens forum sacramentale, ita ut omnibus Diœcesanis ibidem sacramenta ministrari possint. Barbosa. *J. E. V. lib. 2. cap. 1. n. 6.*

2 Ex Ecclesiis singularem quoque prærogativam habent *Collegiatæ*, in quibus sub aliquo capite clerici sæculares congregantur ut membra. Quarum nonnullæ dicuntur *insignes*, aliæ sine speciali titulo *collegiatæ* nominantur. Quænam verò

sint *insignes*, in jure determinatum non invenitur; & ideò ad conjecturas recurritur, ac insignitas quandoque ex pluralitate canonicorum, interdum ex antiquitate, nonnunquam ex loci, in quo sunt sitæ, nobilitate &c. mensurantur. Barbosa *cit. lib. 2. cap. 6. num. 15.* D. P. Khamm. *d. cap. 2. sect. 2. n. 13.*

Ex personis ecclesiasticis quædam vocantur simplices, quæ nempe nec dignitate fulgent, nec personatu potiuntur, nec in Ecclesiâ Cathedrali canonicatum obtinent. Aliæ passim nominantur qualificatæ, quibus nobilior qualitas suffragatur, puta dignitas, personatus, vel Canonicatus Cathedralis. Hic quæritur an Prælati Ecclesiarum cathedralium vel collegiatarum obtineant dignitatem?

Quæres 1. *An Decanus Ecclesiæ cathedralis habeat dignitatem?*

3 Resp. Affirmative. Nimirum Decanum Ecclesiæ cathedralis ita esse in dignitate constitutum, ut ipsi à sede Apostolica vel legato ejusdem, causæ delegari possint. juxta *cap. statuimus. 11. de rescript. in 6.* Licet enim spectato jure communi, Decanus Ecclesiæ cathedralis non sit præditus jurisdictione fori externi, habet tamen præeminentiam inter canonicos, & alios clericos, quoad dignitatem latius acceptam. Abbas *in cap. de multa. 28. n. 21, & seq. de Præbend.*

In Germania præsertim Decani Ecclesiarum Cathedralium dignitatem habere indubiè censentur, propter præeminentiam, qua canonicos & reliquos clericos præcedunt in choro, in capitulo, & publicis processionibus. Layman. *loc. cit. conclus. 141.*

Quæres 2. *Quænam sit major dignitas Præpositura an Decanatus?*

Resp. Id de jure communi ex-4
pressum non esse aut determinatum, nam aliquando Decanus præponitur Præposito & honorabilior de capitulo censetur. *c. 1. de ætat, & qualit. arg. cap. 7. de conces. præbend.* Alias verò Præpositus aliis antefertur. *c. quamvis. 9. de V. S.* & sic Præpositura major videtur dignitas, quam Decanatus. Fagnanus *in cap. 1. n. 32. de ætat. & qualit.* quare hac in re ad consuetudinem cujusque loci aut provinciæ, est attendum. Riccius *in Praxi tom. 4. resol. 395. n. 16.* Fagnanus *loc. cit.* sic in tota ferè Hispania & Gallia, prima post Pontificalem dignitas & major est Decanatus, quia Decanus est caput capituli, eique præest, jurisdictionem aliquam in canonicos exercens. Riccius *loc. cit.* Barbosa *lib. 1. Juris Eccles. c. 26. n. 3. & 4.* At verò in Germania, Belgio & Polonia, Præpositura est major & prima dignitas post episcopalem, jurisdictionem annexam habens. Riccius *loc. cit. n. 12.* Fagnanus *in cit. c. 1. n. 25.* Unde etiam in plerisque Ecclesiis cathedralibus & collegiatis Germaniæ, Præpositura est reservata collationi & provisioni summi Pontificis, quia censetur major & dignior post Pontificalem

calem, juxta concordata Germaniæ, §. *de cæteris.*

Quæres 3. *Qualem jurisdictionem habeat Præpositus vel Decanus Ecclesiæ Collegiatæ?*

5 Resp Spectato jure communi probabile est prælatos seu rectores collegiatarum ecclesiarum secularium, sive vocentur præpositi sive Decani, qui à capitulo eliguntur, & à superiore vel episcopo confirmantur, habere ordinariam jurisdictionem fori externi in clericos sui collegii, licet subordinatam episcopo, cui subsunt. Glossa *in cap. cum ab Ecclesiarum. 3. V. Ecclesiastica sententia. de offic. judic. ordin.* & *ibid.* Innocent. *in princ. num. 10.* Imola *ibid. num. 6. argum. l. ult. C. de jurisdict. omn. jud.* Ex quo fluit

Quod possint excommunicare, aliasque censuras ferre. Prout sentiunt Glossa *loc. cit.* Innocent. *in cap. quanto. 7. n. 2. de offic. judic. ordin.* Abbas *in cap. 3. eod. num. 3.* Excipiendæ tamen sunt causæ criminales, & ex, quæ privationem seu depositionem merentur, hæ enim cognitioni episcopi & ejus jurisdictioni sunt reservatæ. Abbas *in cap. si quis. 4. n. 52. de offic. judic. ordin. & in cap. cum contin. gat. 13. num. 29. de foro compet.* Imprimis tamen inspicienda est, quoad hanc rem consuetudo cujusque Ecclesiæ, ea enim jurisdictionem tribuit. Pirhing. §. 1. *n. 9. de offic. Archi presbyt.* In quibusdam enim locis dicti prælati jurisdictionem improprie exercent; in aliis non nisi causas leves cognoscere possunt, & levia delicta; idque vel cumulative cum Episcopo, ita ut in optione actoris sit, an clericos ipsorum convenire velit coram episcopo, an coram prælato ipsorum immediato. Innocent. *in cit. cap. quanto. 7. num. 2.* Abbas *loc. cit.* vel privative excluso episcopo, ita ut in prima instantia, etiam in causis civilibus clericorum Ecclesiæ collegiatæ, judex ordinarius sit prælatus seu rector ejusdem, vi consuetudinis legitimæ, & ille adiri debeat. Layman. *de jurisdict. ordin. concluf. 142.*

Cæterum in Germania, etiam 6 in plerisque Ecclesiis collegiatis sæcularibus, quamvis prima dignitas sit præpositura, ei tamen nulla jurisdictio & cura vel administratio est annexa, sed Decanatui, quæ secunda quidem est dignitas, jurisdictionem tamen fori externi in clericos annexam habet, quæ per electionem collegii seu capituli, & confirmationem episcopi tribuitur. Layman. *loc. cit.*

§. III.

DE CANONICIS.

SUMMARIA.

1. Canonicus quis dicatur? 2. Præbenda quæ nuncupetur? 3. Quotuplices sint præbendæ? 4. Capitulum in genere quid sit? 5. Dividitur in sæculare & regulare. 6. In quo hæc duo Capitula conveniant? 7. Eorum differentia. 8. Quinam pertineant ad Capitulum? 9. Sedis nomine quid intelligatur? 10. Ecclesia quotupliciter possit vacare? 11. Capitulum an succedat in potestatem Episcopi? 12. Ponuntur argumenta contraria? 13. An Abbatia vacante, potestas Abbatis transeat ad Capitulum sive conventum? 14. Capitulum sede vacante potest exercere omnes actus jurisdictionis contentiosæ ordinariæ. 15. Jurisdictio delegata Prælato non transit ad Capitulum. 16. An actus jurisdictionis voluntariæ possint exerceri à Capitulo? 17. Asseritur regula generalis quoad ea, quæ transeunt sede vacante ad Capitulum. 18. An Capitulum succedat in potestate ordinis? 19. Quando requiratur consensus majoris partis ex Capitulo? 21. Quænam dicatur major pars Capituli? 22. Quando requiratur consensus Capituli? 23. An Canonici teneantur residere in loco Canonicatus? 24. Fructus quotuplices? 25. An ad residentiam sufficiat sola præsentia in Civitate? 26. Absens ex causa necessitatis habetur pro præsente. 27. Secus ex causa utilitatis privatæ. 28. Sufficit tamen utilitas Canonicatus vel Ecclesiæ. 29. An absentes per tempus sibi à jure concessum, lucrentur distributiones quotidianas? 30. Bona Clericorum quotuplicia? 31. Canonici aliique Clerici possunt testari de bonis patrimonialibus. 32. Etiam de bonis quasi Clericalibus. 33. De bonis verè Clericalibus quando testari possint? 34. An de bonis Clericalibus superfluis? 34. An saltem possit introduci consuetudo, ut Clerici testentur de bonis vere Clericalibus superfluis?

Quæ de canonicis referri possunt, ad duo capita spectant; nimirum quæ potestas sit penes canonicos collegialiter congregatos, sivè penes totum capitulum seu collegium canonicorum? secundo quos fructus faciant suos, & de quibus possint testari? hinc

Nota 1. Canonicus dicitur a Canonia quam habet; canonia autem vi nominis includit tantum jus habendi sedem in choro, & vocem in capitulo, absque reditibus vel præbenda. Per textus *in cap 9. de constitut. cap. 32. de rescript. cap. ult. §. in illis de, concess. Prabend. in 6.*

D. Kœ-

D. König *tit. de præbend. p. 1. num. 2.* Petrus de Murga *Tract. de Benef. quæst. 1. n 6.*

2 Nota 2. Præbenda exinde dicitur, quia clericis ſuam præbet alimoniam. Præbenda late ſumpta denotat perceptionem redituum eccleſiaſticorum, etiamſi laico competat, propter ſervitium aliquod mere temporale, v. g. advocatiam eccleſiæ, quam *laicalem præbendam* alias appellant. Vallenſis *de Præbend. & Dignit. §. 1. n. 1.* ſtricte vero, quatenus accipitur pro beneficio eccleſiaſtico ſeu *præbenda ſpirituali*, primo ſignificat portionem canonicam, ſive ipſum jus percipiendi certos reditus eccleſiaſticos, promanans ex canonia, a qua præbenda differt tanquam effectus a ſua cauſa. Eſt igitur præbenda jus perpetuum percipiendi reditus eccleſiaſticos, ratione ſpiritualis officii, eccleſiaſtica authoritate inſtitutum, & perſonæ eccleſiaſticæ ab eccleſiaſtica collatum. Layman. *Theol mor. lib. 4. tr. 2. c. 1. n. 1.* P. Engel. *tit. de Præbend. & Dignit. n. 1.*

Canonicus igitur plerumque ac ordinarie is dicitur & eſt, qui habet ſedem in choro, vocem in capitulo (domicellares habent vocem ſaltem in actu primo, ac in potentia adhuc ligata) ac inſuper jus percipiendi certos reditus in eccleſia ſeculari, hoc eſt cathethrali vel collegiata.

3 Inter has præbendas aliæ ſunt duplices, aliæque vocantur ſimplices, juxta caſtrum Palaum in *Oper. moral. p. 2. tr. 13. Diſp. un punct. 2. num. 3.* Petrum de Murga *de benefic. n. 320.* Præbenda duplex eſt, quæ afficitur aliqua juris qualitate, cujus generis eſt *Dignitas*, quæ præeminentiam cum jurisdictione in foro externo habet, item *Perſonatus*, qui nec jurisdictionem ullam habet, nec adminiſtrationem rerum, habet tamen eminentiorem ſedem & locum in Capitulo, in Choro, ac in aliis locis reſpectu aliorum, qui in eccleſia aut conventu ſuo, tali vel majori carent præeminentia. P. Engel. *de Præbend. & Dignit. n. 4.* Beneficia ſimplicia ſunt omnia beneficia, quæ neque jurisdictionem fori externi, neque ſpecialem præeminentiam, adminiſtrationem aut curam animarum habent, ſed inſtituta ſunt ad preces tantum perſolvendas, & alia divina officia peragenda, quales ſunt omnes canonicatus eccleſiæ cathedralis aut collegiatæ; & præſumitur in caſu dubio beneficium ſimplex potius, quam duplex, eo quod qualitas non præſumatur, niſi probetur. D. König. ad *tit. de Præbend. & Dignit. p. 1. §. 4. n. 6.*

Quæres 1. *Quid ſit capitulum in genere?*

Capitulum eſt verbum homonymum ac plures patitur ſignificationes; & quidem 1. parvum caput ſeu articulum, vel extractum aliquem aut compendium ex capite vel tractatu longiori, in qua ſignificatione textus juris in libris decretalium vocamus *capitula*, eo quod 4 ordi-

ordinarie non tota decretalis epistola, sed Synopsis tantum, vel passus ille qui servire videtur intento, referatur. 2. Significat locum in quo personæ ecclesiasticæ communium negotiorum vel deliberationum gratia in unum convenire solent. per textum *in cap. 30. de Elect.* Tertio significat plures personas ecclesiasticas in uno loco communis consilii & auxilii gratia collectas, per rubricam & textus *in tit. de his, quæ fiunt à Prælatis sine consensu capituli. & in tit. de his, quæ fiunt à majori parte capituli.*

Resp. Capitulum in genere est corpus quoddam politicum, ex pluribus personis ecclesiasticis, communibus legibus & juribus ad communem utilitatem coadunatum.

Dicitur 1. *Corpus quoddam Politicum*, seu ut alii dicunt, mysticum & morale. Sicut enim ex pluribus membris justa symmetria inter se colligatis corpus physicum & naturale consurgit, sic ex pluribus personis nexu quodam politico inter se congregatis coalescit corpus quoddam politicum, mysticum aut morale, per textus in *cap. 4. de his, quæ fiunt à Prælat. sine consensu capituli. & cap. 14. de Excess. Prælat.* soletque alias collegium, universitas, aut communitas appellari. *l. 1. in princ. & passim. ff. quod cujuscunque universit. nom. cap. ult. de judic.*

Dicitur 2. *Ex pluribus personis Ecclesiasticis.* Primo enim ad capitulum non minus quam ad quodcunque aliud collegium vel corpus politicum requiruntur plures personæ, atque ad minimum tres, juxta notissimam regulam *in l. Neratius. 55. ff. de V. S.* ubi dicitur, quod tres faciant collegium. Et *cap. 1. de Elect.* quod dicit duos vel tres ad collegium sufficere; item *l. 7. ff. quod cujuscunque univers. nom.* quæ dicit universitatem in uno consistere posse, intelligi debent de universitate in conservari. Ad collegium autem in fieri requiruntur ad minimum personæ tres. Ad capitulum igitur requiruntur plures personæ & quidem ecclesiasticæ.

Dicitur 3. *communibus legibus & juribus.* Cum enim capitulum sit quædam communitas, oportet ut res, leges & jura communia habeat; cæteroquin si nulla legum, rerum, & jurium sit communio, magis singularitas quam communitas relucet. *l. 1. §. 1. ff. quod cujuscunque univers. nom. c. 9. de vita & honest. Cleric.* & ideo plerique DD. ad capitulum requirunt 1. arcam seu ærarium & cassam communem, ad communes necessitates paratam. 2. Commune sigillum, quo negotia & acta capituli qua talis expediantur. 3. Syndicum seu officialem, per quem jura & res capituli gerantur & defendantur. textus *in cap. 48. de appellat. cap. 14. de Excess. Prælat. l. 1. §. 1. ff. quod cujuscunque univ. nom.*

Dicitur 4. *Ad communem utilitatem Coadunatum.* Quia finis cujusque mystici corporis est, ut membra particularia, quæ cæteroquin ad commodum privatum & par-

particulare reſpiciunt, nexu quodam & vinculo, communis ſubſidii gratiâ, connectantur, tum quia facilius periclitatur unus quam unitas, tum quia ut fert adagium tritum & vulgare: concordia & unione etiam res parvæ creſcunt, diſcordiâ res alias magnæ dilabuntur. Quod ſi ſine mutuo nexu vinculo & unione plures clerici, religioſi, capellani, vicarii vel beneficiati in eadem ponantur Eccleſia, numerum quidem faciunt & multitudinem, capitulum vero non conſtituunt. per *d. c. 14. de appellat.* Gonzalez. *ad cap. cum in cunctis. n. 4. de his, quæ fiunt à major. part. capit.*

5 Quamvis hic agam de capitulo canonicorum, nihilominus advertendum eſt, capitulum dividi in *ſæculare* & *regulare*. Prius eſt, quod conſtituitur ex clericis ſæcularibus; poſterius eſt, quod conſtituitur ex clericis regularibus, & ſæpe numero, *Conventus*, *Collegium*, vel congregatio vocatur, per textus *in can. ſtatuimus. 3. cauſ. 20. quæſt. 3. cap. 21. de Reſcript. cap. 2. cap 6. de his, quæ fiunt à major. part. c. 11. de reb. Eccleſ. non alien.*

6 Convenit etiam capitulum regulare cum ſæculari in omnibus ferè, quæ de poteſtate & jure capituli tum prælato vivente à ſacris canonibus traduntur, per textus *in cap. 41. de Elect. cap. 3. de transact. cap. 1. de his, quæ fiunt à major. part. capit. cap. 1. de reb. Eccleſ. non alien. clement. 1. eod. cap. ult. de regular. & cap. eod. in 6.* Abbas *in cap. his, quæ. 11. de major. & obed. n. 2.* Barboſa *ad rubric. tit. ne ſede vacant. num. 2.* D. P. Franciſc. Schmier. *Tr. de Perſ. Reb. & Jur. Eccleſ. p. 1. c. 4. ſect. 1. §. 2.*

Disconveniunt autem in eo, 7 quod capitulum ſæculare habeat ordinarie bona ab epiſcopo vel præpoſito diſtincta; capitulum autem regulare propter votum paupertatis, tam religioſis privatis quam ſuperioribus commune, in communione & communi bonorum dominio cum prælato vivit.

Rurſus: Sicut canonici alii ſunt cathedrales, alii collegiales, ita capitulum ſæculare diſtinguitur in cathedrale & collegiale. Cathedrale eſt, quod in eccleſia cathedrali, in qua epiſcopus ſuam cathedram ſeu ſedem principalem habet, congregatum; ſubinde ſi eccleſia ſit metropolis, *Metropoliticum* appellatur; poſſetque non incongrue *Senatus* Epiſcopi appellari, quemadmodum enim antiquitus presbyteri & diaconi civitatis epiſcopalis ſenatum epiſcopi conſtituere dicebantur; ſic capitulum cathedrale, quod huic presbyterorum cætui ſucceſſit, ſenatus eccleſiæ cathedralis vel epiſcopi nuncupari poteſt. Van Eſpen. *Jur. Eccleſ. univ. p. 1. tit. 8. c. 1. num. 3.* Capitulum collegiale eſt, quod in alia eccleſia quam cathedrali ſub uno aliquo capite congregatum eſt.

Quæres 2. *Quinam pertineant ad Capitulum.*

Quamquam in unâ eademque 8 Eccleſia plures eccleſiaſticæ perſo-

næ reperiantur in unum collectæ, attamen non omnes ad capitulum pertinent, nec capitulares appellantur, nisi vocem & sessionem in capitulis obtineant.

Resp. De jure communi suffragium & vocem in capitulis habent, qui in ordinibus majoribus sunt constituti. *Clement. 2. de etat. & qualit. præficiend. Trid. sess. 22. de Reform. c. 4.* adeoque canonici, quos Domicellares vocant (sicut & religiosi professi tantum) carent suffragio, & capituli ac capitularium nomine haud comprehenduntur. De consuetudine tamen etiam sacerdotes in quibusdam ecclesiis cathedralibus & collegiatis non statim ad capitulum admittuntur, sed constitutus est numerus capitularium, ultra quem nullus admittitur, etiamsi ad præbendam in eadem ecclesia sit admissus. Manet igitur conclusio, quod omnis, qui est majoribus ordinibus initiatus, sit capax vocis in capitulo.

Quæres 3. *Quænam in genere Capitulo competant sede vacante?*

9 Nota 1. Sedes vel ecclesiam denotat, tum sæcularem, tum regularem, cui prælatus præsidet, vel dignitatem, quâ prælatus resplendet; diciturque vacare & viduari, quando destituitur suo prælato, cum quo fœdus connubii spiritualis vel quasi iniverat. *cap. 41. de Elect.*

10 Nota 2. Ecclesia vacare suoque Prælato destitui potest multis ex causis. Prima est mors naturalis, quæ non solum conjugium carnale, sed etiam spirituale dissolvit. *cap. sicut alterius 39. cauf. 7. quæst. 1.* Secunda est mors civilis, quæ inducitur tum ex spontanea resignatione, *cap. 2. de translat. episc. cap. 10. in fin. de renuntiat.* tum ex translatione Prælati ab una ecclesia ad aliam. *cap. 4. in fin. de postulat.* tum ex amotione, depositione, privatione, per *can. 15. cauf. 18. quæst. 2. cap. 7. de statu Monach. cap. 10. in fin. de Excess. Prælat.* Tertia est impotentia quædam ad spirituale officium obeundum, per suspensionem, excommunicationem, aliudve impedimentum contracta. *arg. cap. 1. de offic. vic. in 6. cap. unic in princ. ne sede vacant. in 6.* quia ut dicitur in *cit. cap. 2. de translat. episc.* Idem est non habere Prælatum, ac inutilem seu impotentem habere. Quanta est diuturna absentia Prælati, veluti si captus aut detentus sit ab hostibus, aut alias in remotis degat, aut illius præsentia brevi non possit sperari. *d. cap. un. §. fin. ne sede vacant. in 6. cap. 3. de supplend. negl. Prælat. in 6.* Nam etiam in tali casu est quoddam divortium matrimonii spiritualis, dum Prælatus non cohabitat ecclesiæ, suæ sponsæ. *argum. cit. cap. 2. de translat. episc.*

Hæcque sedis vacatura si primo vel secundo modo contigerit, eousque durat, donec novus Prælatus electus, ac confirmationem vel jus administrandi per speciale privilegium adeptus fuerit, *argum. can.*

can. quoniam. 1. dist. 100. Si autem tertio & quarto modo vacatura contigerit, usque ad tempus soluti impedimenti, vel instituti reditus extenditur. Per textum *in can. sicut alterius 39. can. pastoralis. 42. caus. 7. quæst. 1.*

11 Resp. 1. Capitulum sede vacante succedere in potestatem episcopi, & posse omnia ad episcopum spectantia facere, quæ specialiter ipsi prohibita non sunt. Guttierez. *Canon. q. q. lit. 7. cap. 11. num. 10.* Barbosa *ad cap. illa 2. ne sede vacant. n. 3.* Fagnanus *ibid. n. 6.* P. Engel *eod. tit. num. 6.* P. Wiestner *ibid. n. 4.*

Hæc responsio & regula probatur primo per textus *in cap. si episcopus 3. & cap. leg. de supplend. neglig. Prælat. in 6.* ubi sine exceptione vel restrictione dicitur: sede vacante capitulo facultatem *in spiritualibus & temporalibus* esse concessam. Secundo *in cap. his quæ. 11. de Major. & Obed.* ubi non obscure declaratur, capitulo post mortem cardinalis competere omnem potestatem, quam habuit cardinalis, præter ea quæ specialiter summus Pontifex sibi reservavit. Tertio: in Concil. Trid. *sess. 24. de ref. c. 16.* ubi sede vacante jubetur capitulum cathedrale Vicarium constituere, vel antiquum confirmare, qui nomine capituli administrationem gerat, ac futuro episcopo rationem officii, jurisdictionis & administrationis reddat; sicque indicatur totam episcopi potestatem, penes capitulum principaliter residere.

Ratio est: quia in qualibet administratione generali censentur omnia comprehendi, quæ nominatim a jure vel ab homine non sunt excepta, *argum. cap. 4. & seq. de Procurat. in 6. cap. 8. cum seq. de R. J. in 6.* cum ergo capitulum sede vacante habeat generalem administrationem, per textum *in cap. 42. de Elect. in 6.* nec alius adsit, qui potestatem demortui Prælati exerceat, poterit omnia facere, quæ nominatim excepta non fuerunt.

Dissentiunt Panormitanus *ad rubric. tit. ne sede vacant.* P. Pirrhing. *ad eund. tit. n. 2.* ac proinde statuunt capitulo non competere facultatem, sede vacante quidquam agendi, nisi id expresse concedatur a jure; ex eo, quod rubrica tituli: *ne sede vacante aliquid innovetur,* sit negative concepta, ac indefinite prohibeat, ne quid in ecclesia vacante innovetur. Tum etiam opponunt *cap. illa 2. eod. tit* ubi collatio beneficiorum interdicta legitur capitulo, ex ea ratione: *cum nusquam inveniatur cautum in jure, quod capitulum vacante sede fungatur vice episcopi in collationibus præbendarum.* Sed Resp. 1. ad argumentum ex rubrica desumptum, eam non aliter intelligendam esse aut considerandam, quam edictum prohibitorium, cujus ea est indoles, ut omnia concedat, quæ specifice non prohibet. Per *cap. 23. de sponsal. L. 43. §. 1. ff. de Procurat.* 12

Resp. 2. Ad *cit. cap. illa. 2.* sub potestate administrandi, quam habet capitulum, non contineri potestatem alienandi, & quia libera collatio beneficii sapere videtur alienationem, *arg. cap. 15. de conceſſ. præbend* recte dicitur, quod, cum specialiter capitulo non sit concessa, prohibita reputetur.

Corollarium. Cum capitulum ad singulos actus sede vacante expediendos, admodum difficulter congregetur, in Concil. Trid *cit. sess. 24. de reform. cap. 16.* Sancitum est, ut capitulum cathedrale *unum vel plures œconomos fideles ac diligentes decernat, qui rerum ecclesiasticarum & proventuum curam gerant, quorum rationem ei, ad quem pertinebit, sint reddituri.* Similiter est præceptum, *ut officialem seu Vicarium infra octo dies post mortem episcopi constituat, vel existentem confirmet, qui saltem in jure canonico sit Doctor vel Licentiatus, vel alias quantum fieri poterit idoneus &c.*

13 Corollarium 2. Sicut capitulum sede vacante succedit in potestatem episcopi, ita pariter potestas & jurisdictio Prælati sede vacante transit ad conventus vel capitula regularia; prout decidit S. Rota Romana *in Recent. p. 1. decis. 346. n. 1. & seqq.* Pennormitanus *in cap. novit. 1. ne sede vacant. sub n. 5. & in cap. ult. de statu Monach. n. 8. & 9.* P. Engel *tit. ne sede vacant. n. 16.* D. König. *ibid. n. ult.* D. Franciscus Schmier *Tr. de Pers. reb. & Jur. eccles. p. 1. c. 4. sect. 2. §. 2. n. 53.* & non obscure deducitur ex *cap. ult. de regular. in 6.* ubi susceptio Monachorum ad professionem sede vacante dicitur ad conventum pertinere, si de consuetudine pertineat ad Prælatum simul & conventum. Tum ex *clement. ne in agro. §. si quis de statu Monach.* Ubi collatio beneficiorum, abbate suspenso, conventui tribuitur.

Ratio est, quia dum major est communio jurium & bonorum inter prælatum & capitulum regulare, quam inter episcopum & capitulum cathedrale, omnino conveniens & æquum est, ut dum sedes prælati regularis vacat, illius potestas ad capitulum regulare devolvatur.

Quæres 4. *Quos actus Jurisdictionis in specie capitulum sede vacante exercere possit?*

Nota. Distinguendum esse inter actus jurisdictionis ordinariæ, extraordinariæ & delegatæ, contentiosæ & voluntariæ; & denique inter actus jurisdictionis voluntariæ, qui ex aliqua necessitate, & qui sine necessitate peraguntur. Hinc 14

Resp. 1. Capitulum sede vacante potest exercere omnes actus jurisdictionis contentiosæ ad prælatum jure ordininario spectantes, textus est *in cap. 24. de Elect. in 6.* & patet etiam responsio ab inductione. Actus ad jurisdictionem contentiosam revocabiles jure ordinario sunt: 1. Cognitio de causis beneficialibus, decimalibus, matrimonialibus, clericalibus, criminalibus, 2. Sententia censuræ eccle-

4. Com-

siasticæ. 3. Visitatio Diœceseos. 4. Compulsio executorum in testamento nominatorum, ad exequenda legata pia, &c. textus *in cap. 1. cap. 16. de offic. judic. ordin. c. 2. c. 4. cap. 18. de foro compet. cap. 3. de testam. cap. 1. de consangvin. & affin.* Atqui hos & similes actus capitulum sede vacante potest exercere, per textus in *cap. his quæ. 11. de Major. & obed. cap 7. de eo, qui duxit in matrim. cap. 3. cum seq. de supplend. neglig. Prælat. in 6. cap. 9. de hæretic. Clement. 1. §. propter. eod.* Ergo. quidam excipiunt visitationem, ob textum *in cap. ult. de supplend. neglig. Prælat. in 6.* in quo Bonifacius VIII. *Ecclesiæ*, inquit, *Cathedrali vacanti visitator ab alio, quam à Romano Pontifice, deputari non potest.* Sed si textus penitius inspiciatur, non loquitur de visitatione subditorum à capitulo facienda, sed de administratore generali, in ecclesia cathedrali, sede vacante deputando, cum ejusmodi deputatio sit una ex causis majoribus, ac per illam capitulo sua potestas adimatur, ideo summo Pontifici reservata, nec Archi-Episcopo aliter est concessa, quam *si capitulum in spiritualibus & temporalibus sit negligens, aut perperam administret.* Rota Romana *in Recent. p. 3. decis. 166. n. 2. 3. & 4.*

15 Resp. 2. Quæ ex jurisdictione delegata exercentur à Prælato, non transferuntur ad capitulum. Barbosa *de offic. & potest. Episc. alleg. 92. n. 17.* P. Engel *ad tit. ne sede vacant. sub num. 1.* D. König. *ibid. num. 11.* D. Francisc. Schmier *loc. cit. §. 3. n. 64.* & probatur per textum in *cap. Pastoralis. 11. §. præterea. de offic. judic. ordin.* ubi indicatur delegato sedis Apostolicæ quoad jurisdictionem neminem succedere, nisi summum Pontificem, aut alium delegatum, *in onere & honore* similem. Hinc infert cum Barbosa *loc. cit. alleg. 73. n. 25.* P. Wiestner ad *tit. ne sede vacant. n. 15.* Capitulo cathedrali non competere facultatem, exempta monialium monasteria visitandi, quippe cum episcopis, tanquam sedis Apostolicæ delegatis concedatur. *Clement. ult. de stat. Monach.* Trid. *sess. 25. cap. 9. de regular.*

Resp. 3. Actus jurisdictionis vo- 16
luntariæ, quos jure ordinario prælatus ex quadam necessitate debebat exercere, potest etiam capitulum exercere. Textus generalis est *in cap. 42. de Elect. in 6.* Ratio desumitur ab inductione. Actus Jurisdictionis voluntariæ, quos jure ordinario prælatus ecclesiasticus ex quadam necessitate propter jus alteri suo modo jam acquisitum debebat exercere, sunt institutio in beneficiis, approbatio ad curam animarum, acceptatio resignationis beneficiorum; confirmatio electionum, absolutio à censuris, &c. per textus *in cap. 1. cap. 3. cap. 16. de offic. judic. ordin. cap. 4. de renuntiat. cap. 4. de Archi-Diac. cap. 18. de præscript. cap. 3. de Institut.* Sed recensitos actus potest capitulum exercere sede vacante, *cap. 14. de major. &*

obed. cap. un. eod. in 6. cap. 1. de inſtitut. in 6. Ergo &c.

Dixi: *Jure ordinario.* Quæ enim Prælato non vi officii ſed jure extraordinario atque ex ſpeciali ſedis Apoſtolicæ indulgentia & benignitate, vel per conſtitutionem generalem ſunt conceſſa, ſicuti diſpenſatio in irregularitate ex delicto occulto ſuborta, per Trid. *ſeſſ. 24. de reform. cap. 6.* Epiſcopis eſt indulta, vel per privilegium ſpeciale, ſicuti diſpenſatio in tertio vel quarto conſanguinitatis aut affinitatis gradu, item diſpenſatio quoad ordinationes extra tempora nonnullis ſpecialiter conceſſa, ſede vacante non transferuntur ad capitulum. P. Engel *ad tit. ne ſede vacant. n. 1.* Ratio eſt, quia generalis adminiſtratio, quam circa jurisdictionem Prælati ſortitur capitulum, ea neutiquam comprehendit, quæ jure ſpeciali conceduntur. *argum. cap. 2. fin. de offic. Vicar. in 6. cap. 5. de Procurat. in 6. cap. 81. de R. J. in 6.*

Reſp. 4. Actus jurisdictionis voluntariæ, quos ex libera voluntate Prælatus exercet, nequit ſede vacante capitulum exercere.

Prob. Ad jurisdictionem voluntariam, quam ex libera voluntate citra jus partis Prælatus exercet, potiſſimum reducitur diſpenſatio in votis, juramentis, beneficii &c. Sed talis diſpenſatio vix capitulo adſtruenda videtur, quandoquidem nec ulla neceſſitas nec utilitas ſuadeat, tam largam poteſtatem capitulo indulgere, ſicuti nec utile nec neceſſarium videbatur, collationem beneficiorum capitulo tribuere. per *cap. 2. ne ſede vacant.* ergo &c. Si tamen eveniret caſus, quo diſpenſatio prudenter denegari non poſſet, puta ſi periculum in mora verſaretur, tunc ceſſarat ratio hujus reſponſionis, & locum haberet diſpenſatio. P. Engel. *l. c. n. 10.* D. König. *ibid. n. 10.* D. Franciſcus Schmier *Tract. de Perſ. reb. & jur. eccl. p. 1. c. 4. ſect. 2. §. 3. n. 70.*

Reſp. 5. Sede vacante capitulum ſuccedit in jurisdictione temporali territoriali, ejusque juribus & prærogativis, & fere proportione, ſicut in ſpirituali, juxta conſuetudinem imperii Romano Germanici per inſtrumentum pacis Weſtphalicæ. *art. 5. §. 27. & §. 21.* ſeu declaratam ſeu confirmatam. Gailius *Pract. obſer. lib. 1. obſerv. 30. per tot.* Hinc pleraque jura ſtatibus imperii qua talibus communia, ac ea quæ jurisdictionis ordinariæ ſunt, nec non regimen & adminiſtrationem territorii concernunt, qualia ſunt intereſſe comitiis, dare ſuffragium, exercere juſtitiam in cauſis civilibus & criminalibus &c. exercet capitulum eccleſiæ imperialis ſede vacante, per *cit. art. 5. §. 21.* Pacis Weſtphalicæ. Econtra jura ac prærogativæ extraordinariæ, quæ dignitati ac præeminentiæ defuncti præſulis annexa ſunt, qualia ſunt eligere imperatorem, convocare Electores ad electionem Cæſaream, dirigere comitia imperii, ad capitulum non devolvuntur, veluti

uti probant & præjudicia referunt. Bernardus Mulz. *in repræſent. Majeſt. p. 3. cap. 16. §. 4. n. 48.* D. Hermes *faſc. jur. publ. cap. 6. n. 51.*

Reſp. 6. Capitulum ſede vacante poteſt exercere omnes actus, per quos futuro ſucceſſori nullum præjudicium cauſatur. Deſumitur hæc reſponſio per argumentum a ſenſu contrario ex *rubrica & cap. 1. ne ſede vacant.* ejusque ratio eſt, quia ſucceſſor in Prælatura non poteſt conqueri de geſtis & actis a capitulo ſede vacante, quando nullum exinde præjudicium ſubire potuit; & ideo ejus generis acta & geſta, non poſſunt eſſe capitulo prohibita. Hinc infertur: quod capitulum poſſit facere ſtatuta, ſucceſſori Prælato ejusque juribus, prærogativis, vel præeminentiæ non præjudicantia, ac eousque duratura, donec a ſucceſſore reformentur. 2. Quod capitulum poſſit ſynodum congregare. Rota Rom. *p. 4. tom. 2. deciſ. 407. n. 13.* non aliter tamen, niſi neceſſitas ſubſit. 3. Quod ſubſidium charitativum poſſit exigere. Gloſſa *in cap. 16. V. aliunde de Elect. in 6.*

Reſp. 7. Capitulum non poteſt ſede vacante, quemcunque actum jurisdictionis exercere, per quem ſucceſſor Prælatus damnum aliquod ſubire poſſet. Conſtat ex *rubrica & cap. 1. ne ſede vacant.* ubi datur ratio, quod ſede vacante non ſit, *qui epiſcopale jus tueatur.* Hinc infertur: capitulum non ſuccedere in libera beneficiorum collatione ad Prælatum ſpectante, tametſi ad eorum collationem, conſenſus aut conſilium capituli deſideretur. *c. 2. ne ſede vacant. cap. un. §. cum vero, eod. in 6. cap. 1. de inſtitut. in 6.* Secus eſt, ſi collatio non ſit omnino libera, ſed ex negligentia inferiorum collatorum devoluta; item ſi ad Prælatum & capitulum communiter & ita pertineat, ut & capitulum unum ſuffragium habeat & Prælatus unum. *dict. cap. un. princ. in 6.* Infertur 2. Neque jus nominandi vel præſentandi clericos ſoli Prælato competens, ad capitulum devolvi *argum. cap. ult. de conceſſ. præbend.* ubi præſentatio vocatur *donatio*, quæ capitulo interdicitur. *cap. 4. de offic. judic. ordin.* Infertur 3. capitulo non licere res eccleſiæ, niſi ſervando non ſint ſervabiles, diſtrahere, minus in utilitatem propriam convertere. *can. 42. cauſ. 12. quæſt. 2. cap. 40. & 42. de Elect. in 6. clement. 7. eod.* Præterquam ſi tam urgens immineat neceſſitas, ut in tempus futuri ſucceſſoris non poſſit differri. Quarto: litem ſuper rebus eccleſiæ non tantum inchoari, ſed etiam continuari non poſſe a capitulo. *cap. ult. ne ſede vacant.* Non tantum ſi capitulum ſit cathedrale, ſed etiamſi regulare vel collegiale ſit, & vacatura non ſit adeo diuturna. Panormitanus ad *d. cap. ult. num. 5.* P. Engel *cit. tit. num. ult.*

Reſp. 8. Capitulum ſede vacante ſuccedit in poteſtate ordinis eo ſenſu, ut poſſit actus ordinis aliis epiſco-

episcopali charactere præditis exercendos committere, non autem per se exercere. Textus est *in cap. 3. de tempor. ordinat. in 6.* Van Espen *J. E. U. p. 1. tit. 9. cap. 2. n. 6.* Ratio est, quia potestas ordinis cum fluat ex charactere episcopali, nequit ad capitulum tali charactere destitutum, eatenus transire, ut actus ordinis per se valeat exercere; quia tamen commissio seu delegatio actuum ordinis, pertinet ad potestatem jurisdictionis, capitulo non est prohibitum, alteri qui charactere episcopali fulget, actus ordinis demandare. *argum. cap. 11. de Elect.* Restricta tamen hæc potestas legitur in Trid. *Sess. 7. de reformat. cap. 10. ut non liceat capitulis ecclesiarum sede vacante, infra annum a die vacationis, ordinandi licentiam, aut litteras dimissorias alicui concedere, qui beneficii recepti vel recipiendi occasione aetatus non fuerit.*

Quæres 5. *In quibus casibus debeant singuli de Capitulo sede non vacante consentire?*

19 Prælato tum sæculari tum regulari competit quidem generalis potestas, ea omnia agendi & tractandi, quæ vergunt in bonum & utilitatem ecclesiæ, per textum *in can. 9. caus. 18. quæst. 2. cap. 1. cap. 16. de offic. jud. ordin. cap. 19. in fin. de Elect.* Attamen quia tam arcta est conjunctio inter prælatum & capitulum, ut hoc rationem corporis & hic rationem capitis habeat, æquum omnino est & rationi consonum, ut Prælatus in suis actionibus, saltem si magis sint arduæ & momentosæ, tum ad majorem unionem & concordiam servandam, tum ad ipsa negotia maturius & securius agenda, desuper cum capitulo tractet, & vota capitularium exquirat. *cap. 4. de his, quæ fiunt à Prælat. sine consens. capit.* quare Ss. canones saluberrime statuerunt, ut in quibusdam negotiis prælatus *Consensum* capituli, in quibusdam *consilium* duntaxat adhibere teneatur, eo quidem effectu, ut ubi *consensus* capituli requiritur, prælatus debeat sub periculo nullitatis totius capituli, vel majoris partis mentem & conclusionem amplecti. *cap. 1. cap. 6. cap. 8. & passim. de his, quæ fiunt à Prælat. sine consens. capit.* ubi vero consilium duntaxat exigitur, non potest quidem consilium citra nullitatem actus omitti, attamen satis est cum capitulo in unum convocato deliberare, ac audire solum consilium, non tamen sequi. *cap. 51. de Elect. cap. 7. de arbitr. l. 17. §. fin. ff. de recept. qui arbitr. recep.* Saluberrima sanè tunc erit gubernandi ratio, si prælatus fratrum concordiam amplectatur, nihil despoticè, nihil potestate dominica, nihil proprio inductus delirio aut infirmitate agat, juxta monitum sapientis: *Omnia fac cum consilio & post factum non pœnitebis.* Cum enim plus videant oculi, quam oculus, & magis integrum sit judicium, quod plurium interventu perficitur, *cap. 21. in fin. princ. de offic. & potest. Judic. delegat.* utique perfectior erit actus

actus, ad quem prælatus suorum capitularium sensa prærequirit, nec facile poterit contra communem opinionem aliquid attentare, si prudens sit ac bona conscientia præditus. His prænotatis:

Resp. 1. Singuli de capitulo consentire debent toties, quoties de jure singulorum capitularium amittendo vel minuendo agitur. Hanc regulam tradunt Fagnanus *ad cap. cum in cunctis. 1. de his, quæ fiunt à major. Part. capit. n. 10.* P. Engel. *ad n. t. n. 13.* D. König. *ad eund. tit. d. ult.* pro aliis communitatibus laicis hanc regulam ponunt Lymnæus ad *Jus Publ. lib. 9. cap. 1. n. 187.* Berlich. *aurear. decis. 25. n. 4.* Besoldus *Thesaur* Pract. sub verb. meiste Stimmen. Struvius *ad tit. ff. quod cujuscunque univers. nomine thes. 43.* D. Francisc. Schmier. *loc. cit. §. 4. num. 94.*

Probant hanc regulam textus *in cap. 56. de R. I. l. 11. ff de servitut. præd. rustic. l. 28. ff. commun. divid.*

Ratio est: quia, quod omnes tangit ut singulos, à singulis est approbandum. *cap. 59. de R. I. in 6.* alias sequitur, quod alteri per alterum iniqua conditio generetur, ac jus præhabitum invitis auferatur, contra *cap. 12. & seq. eod. tit. l. 11. l. 13. C. de Contrab. Empt.* hinc deducitur, si agatur de sustentatione capitularium minuenda, singulorum, in quorum præjudicium tendit diminutio, consensum requiri.

21 Resp. 2. Major consensus capituli nunquam requiritur, nisi in casibus jure specialiter expressis. Hanc regulam recipiunt Vallensis *ad tit. de his quæ fiunt à Prælat. sine consens. capit. n. 3.* P. Engel. *eod. tit.* Schambogen *ibid. n. 2.* Van Espen. *J. E. U. p. 1. tit. 8. cap. 4. n. 5.*

Ex casibus in jure expressis est: 1. Alienatio rei immobilis, vel mobilis pretiosæ. 2. Est præsentatio clericorum ad beneficia, in quibus ecclesiæ vel monasterio competit jus patronatus, debet enim prælatus clericum à majori parte capituli designatum præsentare. *cap. 6. de his quæ fiunt à Prælat. sine consens. capit.* Tertius est unio beneficiorum, in qua si fiat alicui collegio vel monasterio vel etiam canonicatui, consensus capituli est necessarius. *cap. 8. d. t. clement. ult. de reb. Eccles. non alien.* imò post Concil. Trid. *sess. 24. de Reform. cap. 13.* quoad unionem beneficiorum curatorum, est necessarius consensus Papæ, nisi, ut limitant Barbosa ad *cit. l.* Trid. *n. 10. & seqq.* P. Engel *ad cit. tit. de his. num. 3.* Unio fiat pro fundatione, donatione & conservatione monasterii vel collegii. Quartus est, quando prælatus sive per contractum mutui sive per aliam conventionem intendit obligare suam ecclesiam, hæc enim nisi major pars capituli consentiat, obligari nequit. *cap. 1. de deposito. cap. 4. de fidejuss. cap. 2. de solut.* Rota Romana *in Recent. p. 14. decis. 42. per tot.* Quintus est, quotiescunque versatur commodum & emolumentum capituli qua talis, veluti si agatur

de augmento vel suppressione canonicorum vel religiosorum. *c. 33. de præbend. in 6.*

Porro in casu, in quo majoris partis assensus requiritur, tot de capitulo debent consentire, ut numerum absolutè majorem respectu omnium capitularium legitime convocatorum & præsentium (absentes enim, qui vel vocari non debent, vel vocati non comparent, non reputantur) conficiant; nec attenditur pluralitas respectiva, seu quæ talis est, respectu partis minoris. Et ideo si capitulares 24. essent præsentes, deberent saltem 13. consentire, nec sufficeret, si 12. consentirent, 10. dissentirent, 2. vota suspenderent. *cap. 48. cap. 55. de Elect. cap. 1. cap. 3. cap. ult. de his, quæ fiunt à maj. part. cap.* 3. Quod si vota capitularium sint paria, Prælatus suo consensu majorem partem efficere nequit; quia in actibus, in quibus prælatus assensum majoris partis de capitulo requirere tenetur, capitulum consideratur, quatenus est aliquid distinctum & separatum à capitulo; *cap. 8. cap. 9. de his quæ fiunt sine consens. cap. 1. cap. ult. de his quæ fiunt à major. part. cap.*

Quæres 6. *In quibus casibus requiratur consilium Capituli?*

Resp. In casibus, qui sunt alicujus momenti, nec tamen consensui capitulari de jure alligantur, plerumque requirendum est consilium capituli; inter ejusmodi casus numerantur: 1. statuta, quæ sine consilio capituli sancita non valent, *cap. 5. de his quæ fiunt à Prælat. sine consens. capit.* Secundo actiones & lites ecclesiæ nomine à prælato instituendæ, si rem alicujus ponderis concernant. Tertio institutiones & destitutiones clericorum, nec non confirmationes & depositiones abbatum & abbatissarum. *cap. 4. de his, quæ fiunt à prælatis.* Quarto inquisitiones, correctiones & punitiones excessuum, ac judicia rerum majorum. *cap. 5. dict. tit. arg. cap. 3. de consuet. in 6.* Ubi tamen teste P. Engel & Wiestner contraria consuetudo invaluit. Quinto processus judiciarius, si contra unum de capitulo cathedrali formandus, ad quem tenetur episcopus vel ejus vicarius assumere duos de capitulo ab initio cujuslibet anni à capitulo designandos, ita tamen, ut utriusque capitularis votum pro uno duntaxat reputetur, possitque alter episcopo accedere, & si uterque dissenserit ab episcopo vel vicario, tertius eligatur; & si neque in eligendo tertio conveniunt, res ad viciniorem episcopum devolvatur; Trid. *sess. 25. de reformat. in 6.* quam constitutionem ad sola capitula cathedralia exempta pertinere, præter alios à se relatos docet D. Francisc. Schmier. *cit. tract. §. 4. n. 137.*

Hactenus de jure canonicorum collegialiter spectatorum, sive de jure capituli & corpore canonicorum, nunc de obligationibus canonicorum singulariter spectatorum dicendum superest; inter onera canonicorum primo venit obligatio resi-

residendi in loco sui canonicatus, ita ut canonici cathedrales ultra tres menses à suis canonicatibus abesse non possint, & contrafacien-
23 tes, præterquam quod fructus pro rata temporis absentiæ suos non faciant, insuper primo anno media parte, secundo anno omnibus fructibus, etiam quos causa residentiæ jam fecerunt suos, eo ipso privantur. Trid. *sess. 24. de reform. cap. 12.*

24 Circa residentiam canonicorum valde utiles & quotidianæ difficultates occurrunt, quas antequam resolvam, ad meliorem intelligentiam notandum est primo. Quod reditus canonicatuum sint duplices: & quidam dicuntur *fructus annui*, qui nimirum propter annuam residentiam in loco canonicatus dantur; alii verò dicuntur *distributiones quotidianæ*, seu *præsentia*, & dantur propter singulas præsentias in choro & divino officio. Inde in concilio Tridentino *sess. 21. de reform. cap. 3.* & *sess. 22. de reform. cap. 3.* statuitur, quod in ecclesiis tam cathedralibus, quam collegiatis, in quibus nullæ sunt distributiones quotidianæ, vel ita tenues, ut verisimiliter negligantur, tertia pars fructuum & quorumcunque proventuum tam dignitatum quam canonicatuum separari debeat, & in distributiones quotidianas converti, ac inter illos, qui divino officio intersunt, dividi juxta proportionem ab episcopo (etiam tanquam sedis Apostolicæ delegato, casu quo capitulum vel aliqui canonici forent exempti) faciendam.

Notandum est secundo, quod canonici sæpe justam causam habeant, ob quam in loco canonicatûs adesse non possint, nihilominus fictione juris præsentes esse censentur; imo aliquando istæ causæ sunt specialiter in jure expressæ & privilegiatæ, ut ex illis absens canonicus non tantum pro præsente in urbe, sed etiam pro interessente, ut loquuntur, divinis officiis habeatur, & consequenter præter fructus annuos, etiam in absentia distributiones quotidianas lucretur.

Quæres 7. *An pro residente haberi* 25
debeat, qui est in civitate quidem præsens, sed nunquam Ecclesiam frequentat?

Resp. De Jure concilii Tridentini ad residentiam canonicorum requiri non tantum, ut in civitate præsentes sint, sed etiam, ut divina officia & quidem per se non per substitutos peragant; sicut habetur *in cap. 12. sess. 24. de reform.* Canonicos tamen per se in choro psallere & cantare non debere, ut decantatio & psalmodia tanto melius instituatur; usu receptum esse, ait Zypæus *in annal. jur. Pontif. de cleric. non resident. n. 28.*

Quæres 8. *Quando Canonicus absens debeat haberi pro residente?*

Resp. 1. Si canonicus absit ex 26
causa necessitatis propter quam residentia moraliter sit impossibilis, vel saltem admodum periculosa, v. g. propter infirmitatem, insidias

hostiles, pestem, satis est expeditum, quod ob tales causas absens canonicus fictione juris pro residente habeatur, & ad minus fructus annuos lucretur.

27 Resp. 2. Absens ex causa utilitatis privatæ, ad promovendum suum privatum commodum, instituendam œconomiam in bonis suis, non habetur pro residente, licet dispensationem de non residendo à summo Pontifice obtinuerit, nisi specialiter etiam super perceptione fructuum fuerit cum eo dispensatum; alias enim talis dispensatio solum operabitur, ut absens canonicus ad residentiam urgeri, vel suo beneficio privari non possit; Rebuff. *in prax. benefic. & dispens. de non resid. n. 60.* Glossa *in cap. relatum. 4. in V. prælatum. de cleric. non resident.*

28 Resp. 3. Pro residente habetur, qui abest pro utilitate sui canonicatus vel ecclesiæ cathedralis, ad tuenda vel prosequenda jura ejus *cap. 13. de Cleric. non resident.* Secundo: quia episcopus potest habere secum duos canonicos, qui ipsi in gubernanda diœcæsi collaborant, hi canoci, quamvis nunquam chorum frequentent, habentur tamen pro præsentibus & residentibus, saltem ad lucrandos fructus annuos. *cap. 7. cap. 15. de cleric. non resident.* Tertio pro residente etiam habetur, qui in aliquo Gymnasio, Universitate (non autem in villa vel loco privato, ubi nullum vel modicum est literarum exercitium) cum licentia episcopi, studuerit vel docuerit, *cap. 4. cap. 12. de Cleric. non resident.* imo licentiam episcopi potius de honestate quam necessitate petendam esse, atque idem obtinere in omnibus casibus, in quibus jus reputat legitimam causam absentiæ, docet P. Engel. §. 3. *sub n. 18. de cleric. non resid.*

Quæres 9. *An Canonici absentes tri-* 29
bus mensibus sibi à jure concessis, sicut lucrantur fructus totius anni, ita etiam lucrentur distributiones quotidianas?

Resp. Negative, ita à sacra congregatione Cardinalium decisum esse, ait P. Engel. *loc. cit. n. 34.* & Zerolla ab eo relatus. Ratio est, quia licet absentia trium mensium sit inculpabilis, & à jure permissa, non tamen est specialiter ad lucrandas distributiones privilegiata. Et hæc obligatio ad residendum, una est ex potissimis, quibus canonici obstringuntur, ut fructus percipere possint.

Nunc superest quærere, de quibus bonis Canonici aliique clerici possunt testari? Quoniam vero *in cap. 8. cap. 9. cap. 12. de testament.* statuitur, quod clerici de bonis intuitu ecclesiæ aut titulo beneficii acquisitis, per viam testamenti nequeant disponere, ex ea ratione, ut hac via clericis motivum adimeretur, congregandi divitias, quas multi gloriæ illecebra illecti insatiabiliter pararent, forte quia nomen suum æternitati cuperent transscribere, ac in liberalitatis suæ monimentis etiam post mortem superstites vivere; tum quia clerici in eminenti admodum

dum vitæ gradu sunt constituti, ad eminentem etiam virtutem excitandi erant, ac pelliciendi, ut sua inter vivos largirentur. De quibus ergo bonis clerici testari possint:

30 Notandum 1. bona clericorum dividi in sæcularia & clericalia. Secularia sunt quæ iisdem obveniunt ex causa profana seu titulo sæculari, absque respectu ad ordinem seu beneficium ecclesiasticum, hujus generis sunt, quæ acquirunt titulo successionis, donationis, & universim, quæ habent aliunde, quam intuitu & ratione ministerii alicujus ecclesiastici. Clericalia sunt, quæ acquirunt ratione ministerii ecclesiastici.

Nota 2. Bona clericalia ulterius dividuntur in vere & quasi talia; vere talia sunt, quæ clerici acquirunt proxime intuitu ac titulo beneficii ecclesiastici, ut sunt decimæ, & stipendia annua fixa: quasi talia sunt, quæ acquirunt quidem occasione ac titulo ministerii ecclesiastici, non tamen proxime nomine ac titulo beneficii. Hujus generis sunt stipendia missarum, concionum, officiorum funeralium, ac universim omnes reditus stolæ.

Nota 3. Bona clericalia vere talia ulterius dividuntur in necessaria & superflua. Necessaria sunt, quibus clericus indiget ad necessariam sustentationem. Superflua: quæ ultra decentem & statui convenientem sustentationem remanent. Ad congruam sustentationem autem non ea tantum pertinent, quæ ad alendam personam clerici & familiæ sunt necessaria, sed etiam quæ titulo hospitalitatis in consanguineos aut peregre adventantes sunt eroganda. Item donationes tum remnneratoriæ tum mere gratuitæ, juxta statum tamen moderatæ, nec non aliæ honestæ recreationes, relaxando corpori & animo cum amicis decenter institutæ; hæc omnia enim pertinent ad statum & congruam sustentationem hominis, ac a viro honesto, & in societate politica vivente, ultra labem avaritiæ omitti nequeunt, his prænotatis:

Quæres 11. *De quibus bonis canonici aliique clerici testari possint?*

Resp. 1. Canonici aliique clerici 31
de bonis sæcularibus seu patrimonialibus possunt ad quascunque causas libere testari. ita omnes. ratio est, quia clerici sunt absoluti horum bonorum domini. Ergo possunt de iisdem liberrime testari. Neque enim dispositio juris, neque votum clericis obstat, quo minus de bonis suis ad quascunque causas libere disponere possint; etsi enim in primitiva ecclesia voto paupertatis obstricti fuerint, & in communi vixerint, postea tamen communio illa displicuit; adeoque possunt hodie de iisdem ad quascunque causas liberrime testari.

Resp. 2. Etiam de bonis clerica- 32
libus quasi talibus, possunt canonici aliique clerici ad quascunque causas liberrime testari. Ita rursus omnes. ratio est, quia hæc bona ob-

veniunt canonicis & clericis sine onere expendendi illa in usus pios, ergo possunt de iisdem ad quascunque causas libere testari. Antecedens patet ex eo, quia bona hæc dantur clericis tanquam stipendium præstiti servitii personalis: ergo sine onere expendendi illa in usus pios; quia labor iste recipit æstimationem, adeoque stipendium eis respondens habet se per modum justæ mercedis, quæ novum onus non affert, quia est compensatio oneris præcedentis.

33 Resp. 3. Etiam de bonis clericalibus vere talibus possunt clerici libere testari, si defraudando genium, de congrua sustentatione illa subtraxerint. Ita iterum communiter Doctores. Ratio est, quia talia bona transeunt in absolutum dominium clericorum, ac induunt naturam bonorum patrimonialium, ergo possunt clerici de iisdem ad quascunque causas libere testari. Antecedens probatur ex eo, quia talia bona possident clerici titulo congruæ sustentationis: ergo acquirunt absolutum eorum dominium, quia ex una parte titulus congruæ sustentationis est habilis ad tale dominium tribuendum, & ex altera censentur clerici tantum juris velle acquirere, quantum possunt. Et confirmatur ulterius ex eo, quia portio ad congruam sustentationem necessaria, debetur clericis tanquam justa merces laboris personalis, quem ecclesiæ impendunt; ergo acquirunt absolutum ejus dominium, ergo possunt de eadem liberrime disponere, adeoque etiam testari.

Resp. 4. De bonis clericalibus 34
vere talibus, sed superfluis canonici aut alii clerici neque ad causas profanas, neque pias testari possunt de jure communi. Ita habetur *in cap. 8. 9. & 12. de testament.* ubi generaliter asseritur, quod clerici de rebus intuitu ecclesiæ acquisitis, testari nequeant. Neque tamen hinc sequitur clericos de nullis plane reditibus testari posse. Esto enim recitati textus generaliter loquantur, recepta tamen ecclesiæ praxis, eosdem ita interpretata est, ut loqui censeantur de reditibus superfluis, cui proinde standum est, quia consuetudo habet vim leges authentice interpretandi. *cap. 8. de consuet. l. 31. l. 38. ff. de LL.*

Gravior controversia supereſt, 35
an possit licentia testandi de reditibus superfluis consuetudine introduci. Prima sententia negat, cum Molina *de J. & J. disp. 147. num. 31.* Lesio *lib. 2. de J. & J. cap. 19. dub. 4. n. 44.* Pirrhing. *ad tit. de testam. n. 22.* & aliis pluribus magnæ notæ AA. Altera sententia affirmat, ita Fachin. *lib. 5. contr. cap. 84.* Zoësius *ad tit. decretal. de testam. n. 4.* Haunold *tract. 4. de J. & J. c. 2. contr. 2. num. 82. & tract. 6. c. 4. contr. 7. n. 258.*

Nota: satis certum esse, quod loquendo de hodierno ecclesiæ usu, canonici aliique clerici reditum omnium efficiantur domini. Ita colli-

colligitur ex Trident. *seſſ. 22. cap. 3. & seſſ. 24. cap. 12. de reform.* ubi de clericis non reſidentibns dicitur, quod fructus ſuos non faciant, ſed privari iisdem mereantur, quos lucrati alioquin fuiſſent, ergo clerici alii faciunt fructus ſuos, eosque lucrantur. Quod ſi qui canones vel textus SS. Patrum videantur refragari, ii dicendi ſunt loqui vel de primo eccleſiæ ſtatu, quo nondum inducta erat diviſio bonorum, vel de bonis eccleſiaſticis in ſpecie talibus, quorum ſcilicet clerici meri ſunt adminiſtratores, vel denique de caſu extremæ aut gravis neceſſitatis, quo urget præceptum charitatis.

Reſp. 5. Obligatio clericorum non expendendi ſuperflua in uſus profanos, non eſt ex jure naturæ, ſed unice ex lege poſitiva eccleſiaſtica. Probatur: ſi obligatio hæc juri naturali cunabula ſua deberet in acceptis, eſſet vel ex juſtitia, vel religione vel charitate. Non primum: quia, ſi foret ex juſtitia, tam dantes, quam accipientes obligarentur ad reſtitutionem eccleſiæ vel pauperibus faciendam, hancque reſtitutionem tenerentur prælati ex officio urgere; ſed eandem non urgent: Ergo ſignum eſt, quod obligationem juſtitiæ non agnoscant. Non ſecundum: quaſi obligatio hæc eſſet ex virtute religionis, tunc ideo eſſet, quia reditus eccleſiaſtici vocantur a Trident. *res & bona Dei*; hæc autem ratio nimium probat, alias enim etiam muſici, aliique officiales laici, qui ex reditibus eccleſiæ aluntur, tenerentur ſuperflua in pios uſus erogare. Dicuntur etiam memorati reditus bona Dei in acceptione latiore, quatenus videlicet mediate ſaltem ad cultum divinum deſtinati, eo quod ſuſtentationi clericorum deſerviant, quorum principale munus eſt divinis officiis vacare. Neque denique memorata obligatio clericorum deſcendet ex virtute charitatis, ſi enim ex hac deſcenderet: fundaretur in perfectione ſtatus clericalis, quod etiam dici non poteſt, quia non minus bona clericalia quam ſæcularia afficeres, cum chriſtiana charitas non reſpiciat certa bona, ſed generaliter ac indeterminate obliget ad ſublevandam indigentiam eorum, qui in extrema aut gravi neceſsitate ſunt conſtituti. Cum igitur omnes in canonicis & reliquis clericis agnoscant obligationem ſpecialem, ſuperflua in pios uſus erogandi, neceſſario fluit, hanc obligationem ex charitate non eſſe.

Reſp. 6. Legitima conſvetudo 36
induci poteſt, ut Clericis ad cauſas pias teſtari liceat de ſuperfluis. Ratio. quia pium ac laudabile eſt, ſua per viam teſtamenti in pios uſus erogare. Ergo teſtamentum tale ex parte objecti nullum includit vitium, adeoque poteſt conſuetudine reddi licitum.

Reſp. 7. Poteſt inſuper conſuetudine induci, ut teſtamentum de ſuperfluis ad cauſas profanas factum

ctum sit validum. Ratio. Canonici & Clerici sunt absoluti omnium redituum Domini, & possunt de iisdem inter vivos ad quascunque causas validè disponere. Ergo dum de jure communi ita testari nequeunt, poterit hæc prohibitio legis positivæ humanæ contraria consuetudine abrogari.

Resp. 8. Potest denique consuetudine induci, ut testamentum de superfluis ad causas personas factum sit licitum. Ratio. quia obligatio non expendendi superflua in usus profanos, unice ex lege ecclesiasticâ. Ergo potest consuetudine contraria tolli, quia ipsa quoque lex, qua inducta est, potest tolli; 2. de facto in pluribus locis canonici & clerici de superfluis ad quascunque causas liberrimè testantur. Ergo potest talis licentia introduci, alioquin superiores ecclesiastici sine dubio reclamarent, nec paterentur tot animas gravibus peccatis illaqueari.

Corollarium. Covarruvias *in cap. 7. n. 9. de testam.* Azor. *p. 2. l. 7. c. 9. qu. 1.* Lessius *lib. 2. de J. & J. cap. 19. n. 43.* Zoësius *ad decret. de testam. n. 7.* Barbosa in collectan. *in cit. c. 7. de testam. n. 6. & 7.* affirmant consuetudine receptum esse in Gallia & Hispania, ut quicunque clerici beneficiati de reditibus superfluis licitè testari possint. Eadem consuetudo passim obtinuit in Germania.

§. IV.

DE PAROCHIS.

SUMMARIA.

1. *Parochia unde dicatur?* 2. *Ecclesia Parochialis quænam sit?* 3. *Parochus habet jus administrandi baptismum.* 4. *Jus distribuendi Eucharistiam suis Parochianis.* 5. *Jus administrandi extremam unctionem.* 6. *Assistendi matrimonio.* 7. *Quæ jura competant Parocho circa officia divina?* 8. *Recensentur jura, quæ competunt Parocho circa Parochianos gubernandos.* 9. *Describitur Jus sepulturæ.* 10. *In quo loco extra Parochiam liceat eligere sepulturam?* 11. *Emolumenta, quæ conferuntur per jus sepulturæ.* 12. *An jurisdictionem ordinariam habeant Parochi?* 13. *Ecclesiæ Parochiales eriguntur & constituuntur à solo Episcopo.* 14. *A quibus reparari debeant Ecclesiæ Parochiales?* 15. *An Patroni teneantur ad refectionem Ecclesiæ Parochialis concurrere?* 16. *Decimatores tenentur concurrere ad reparationem Ecclesiæ Parochialis.* 17. *Officium Decani ruralis.* 18. *An habeat jurisdictionem ordinariam?*

Ecclesia

1 Ecclesia parochialis nomen suum trahit à Parochia, sic nominata: quod sit partitio curæ & muneris pastoralis inter episcopum & alios sacerdotes; sicut ipsamet diœcesis, in quâ episcopus curam & jurisdictionem exercet, antiquitus est dicta parochia, eo quod ipsemet episcopus fuerit principalis Parochus. *can. 4. cum 2. seqq. dist 92. cap. 3. de paroch.*

Ecclesia parochialis alio nomine vocatur *paræcialis*, & parochia quandoque appellatur *Paræcia, cap. 2. & 4. de paroch. cap. 1. ne cleric. vel monach.* 2 *in 6.* describi autem potest ecclesia parochialis, quod sit ecclesia, cui præest presbyter ad curam animarum, intra certos limites ex officio exercendam, authoritate ecclesiastica deputatus.

Dicitur 1. *Ecclesia cui præest Presbyter.* sicut enim ecclesiæ cathedrali præest episcopus, ecclesiæ collegiatæ præpositus, ecclesiæ regulari Abbas, prior vel alius prælatus, ita ecclesiæ parochiali præest presbyter seu parochus, alias dictus Rector parochialis, aut plebanus, etsi in strictiori significatione plebanus sit, qui præficitur ecclesiæ plures sub se ecclesias vel capellas habenti: *cap. 1. ne clerici vel monach. in 6.* Barbosa *J. E. U. lib 1, cap. 18. n. 5.*

Dicitur 2. *ad curam animarum exercendam.* Ubi cura animarum non accipitur in sensu laxiori, quatenus includit potestatem & jurisdictionem spiritualem pro foro externo & contentioso, juxta *cap. 54. §. verum. de elect.* sed in sensu strictiori, quatenus denotat potestatem spiritualem pro foro interno & sacramentali. *argum. can. in nupo. dist. 21. cap. 12. de pœnit. & remiss.*

Dicitur 3. *intra certos limites.* Quia cuivis parochiæ certum territorium, certique fines ac limites sunt assignati, tum ut quilibet parochus suis finibus contentus, proprias tantumodo oves agnoscat, & alienas aliis relinquat; tum ut ipsæmet oves seu parochiani sciant, a quonam in spiritualibus regi ac dirigi debeant. Textus *in can. 1. caus. 13. quæst. 1. cap. 3. de Paroch.* deficientibus autem limitibus ecclesia non censetur esse parochialis, sed potius filialis in subsidium curæ parochialis erecta; ut censuit S Rot. Roman. *p. 1. in recent. decis. 258. n. 6. p. 3. decis. 300. n. 6.* & quod si de finium certitudine non constet, saltem illi fines incerti præscriptionem admittunt. *can. 2. caus. 16. q. 4. cap. 9. de præscript.* & quidem præscriptio quadragenaria in ejusmodi finibus comprobatur; cum tali casu fines potius declarari, quam nova præscriptione acquiri censeantur. Wiestner *ad tit. de Paroch. n. 31.*

Dicitur 4. *Ex officio.* Si enim jura parochialia non ex officio & jure proprio, sed provisorio quodam modo in aliquo loco exerceantur, nec locus ille ecclesia parochialis nuncupari, nec curam exercens Parochus appellari potest. Rot. Rom. *d. p. 1. decis. 226. n. 6. & 7 & p. 2. decis. 51. n. 1. & seqq. & p. 3. de-*

cis. 300. *num.* 5. Barbosa *de offic. & potest. Paroch. c.* 1. *n.* 44. quo tamen non obstante ecclesiæ parochiales Monasteriis vel collegiis unitæ, vere sunt tales, esto per Vicarium exerceatur cura; nam si ille Vicarius sit perpetuus, nihil fere differt a parocho, cum exerceat curam ex officio, nec possit a monasterio vel collegio impediri. Si vero sit temporalis & amovibilis ad nutum, non tam ille quam monasterium vel collegium, cujus agit Vicarium, curam administrare reputatur. Rota *d. part.* 1. *decis.* 226. *n.* 8. & *p.* 2. *decis.* 204. *n.* 1. P. Engel *ad tit. de Paroch. n.* 8.

Dicitur 5. *Authoritate ecclesiastica constitutus.* Nec enim ad ecclesias parochiales regendas accedere licet, antequam legitima institutio, una cum approbatione ad curam animarum accesserit. *arg. cap.* 4. *de offic. Archid cap.* 3. *de institut. cap.* 3. *de offic. judic. ordin. in* 6. *cap.* 1. *de R. J. in* 6. ex quibus liquet, quænam dicatur parochia, & quis sub nomine parochi veniat ac nuncupetur.

Ex juribus parochialibus primatum tenent, quæ sacra sunt, & inter ipsa sacra præcellunt, quæ forum sacramentale concernunt; habet siquidem parochus intentionem in jure fundatam, quoad omnia sacramenta (confirmatione & ordine excepto) fidelibus, intra limites parochiæ existentibus, administrandi *per clement.* 1. *de privileg.* In specie autem habet parochus:

Primo jus conferendi baptis- 3
mum. Tametsi enim in necessitate non solum clericis sed etiam laicis utriusque sexus Baptismum conferre liceat, *can.* 21. *dist.* 4. *de consecrat. c.* 1. §. *una. de SS. Trinit.* nihilominus extra necessitatis casum solus parochus ordinarius solenniter & licite baptizat. *argum. can.* 56. *caus.* 16. *quæst.* 1. *cap.* 18. *de Præscript.* Barbosa *de offic, Paroch. cap.* 18. *n.* 1.

II. Habet parochus jus administrandi sacramentum pœnitentiæ; nam spectato jure communi, tenentur parochiani proprio suo parocho confiteri, nec alium possunt accedere, fine illius licentia tacita vel expressa. *per cap.* 12. *de pœnit. & remiss.* esto per generalia & specialia privilegia, partim per bullas extravagantes concessa, sacerdotes regulares, ad curam animarum approbati, hodie facultatem habeant, sacramentum pœnitentiæ quibuscunque fidelibus in suis ecclesiis administrandi. Barbosa *de offic. Parochi, cap.* 19. *n.* 22. *& seqq.* Tamburinus *de Jure Abbat. tom.* 2, *Disp.* 6. *quæst.* 13.

III. Habet parochus jus distribu- 4
endi sacramentum Eucharistiæ suis parochianis, nec licet regularibus absque parochi licentia, sub pœna excommunicationis, ipso facto incurrendæ, idem sacramentum ministrare. *Clement.* 1. *de Privileg.* attamen post illam clementinam regulares obtinuerunt nova privilegia, vi quorum omnibus fidelibus sacramen-

mentum Eucharistiæ in suis ecclesiis, excepta communione Paschali, porrigere valent, non petita parochorum licentia. Barbosa *de offic. Parochi. cap. 20. num. 8. & seqq.* Tamburinus *d. l. disp. 5. quæst. 3.*

5 IV. Habet parochus jus administrandi sacramentum extremæ unctionis, exclusivè ad omnes regulares, quibus illius administratio, exceptis suis familiaribus & domesticis, sub pœna excommunicationis latæ sententiæ, *in d. clement.* est prohibita. Barbosa *d. l. cap. 22. n. 3. & seqq.*

6 V. Habet Parochus solus jus assistendi matrimonio, per *cap. ult. de clandest. desponsat.* & si alius sine licentia parochia assistat, matrimonium hodie post concilium Trid. *sess. 24. de reformat. matrim. cap. 1.* nulliter contrahitur. Barbosa *d. l. cap. 21. n. 33. 34. & 35.*

Quæres. 1. *Quænam jura competant parocho circa officia divina?*

7 Proxima, post jura sacramentalia, sunt jura, quæ competunt parochis circa officia divina, de quibus rursus parochus generalem à jure potestatem obtinet, in ecclesia parochiali omnia ea ordinandi & disponendi, quæ ad cultum Dei & Sanctorum, nec non salutem animarum ordinantur. Hinc

Resp. 1. Quando parochus diebus festivis sacrificium offert, debent omnes parochiani accedere. *cap. 2. de paroch. extravag. 2. de treuga & pac. inter commun.* ita tamen, ut si alibi sine contemptu parochi sacrum audiant, satisfaciant præcepto ecclesiæ, saltem ex hodierna consuetudine, per declarationem Leonis X. quam refert Barbosa *de offic. parochi, cap. 11. n. 15.* & advertit P. Engel. ad *tit. de paroch. n. 29.* à parochis non esse tolerandum, si omnes parochiani vel major pars eorum, extra parochialem ecclesiam velint audire sacrum.

Resp. 2. Competit etiam parocho jus prædicandi verbum divinum. Trid. *sess. 5. de reform. cap. 2. & sess. 24. de reform. cap. 4.* quamvis diversa diversis religiosis privilegia sint concessa quoad munus prædicationis. P. Wiestner. *tit. de paroch. n. 23.*

Resp. 3. Ad parochum spectant ratione officii divini ulterius sequentes functiones. 1. Benedictio fontis baptismalis. 2. Benedictio candelarum in die purificationis B. V. 3. Benedictio cinerum in die cinerum. 4 Benedictio palmarum in die palmarum. 5. Institutiones processionum per parochiam.

Quæres 2. *Quæ jura competant parocho circa Parochianos gubernandos?*

8 Ad jura sacra parochorum reducuntur jura circa parochianos in spiritualibus gubernandos, hinc

Resp. Inter hæc jura primum esse jus docendi & instruendi tum pueros tum adultos in rebus fidei, & præceptis ecclesiæ, de quo Concil. Trid. *Sess. 24. de reform. cap. 4.* eumque in finem debet parochus admonere parentes, tutores & cu-

ratores, ut suos liberos, pupillos & adolescentes mittant ad cathechesin. Barbosa *d. l. cap. 15. num. 6. & 7.*

Præterea officium parochi est, populo denuntiare vigilias, jejunia, festa, & indulgentias, pro tempore occurrentes, ne se de ignorantia possint excusare. Barbosa *d. l. cap. 16. per tot.*

Denique parochus denuntiat ex jure proprio futura matrimonia, quatenus, si quis ex præsentibus cognoscat impedimentum aliquod inter sponsum & sponsam subesse, illud manifestet. Trid. *sess. 24. de reform. matrim. cap. 1.*

9 His juribus sacris a parocho obeundis, inter reliqua jura spiritualia annumeratur *jus sepulturæ*, quod nihil est aliud, quam facultas, ratione cujus parochianorum ex hac vita decedentium corpora debent in cœmeterio ecclesiæ parochialis sepeliri. Cum enim parochiani, dum vivunt, â parochis sacramenta percipiant, consequens est, ut ab illis etiam in cœmeterio parochiali supremos honores & justa funeralia consequantur, sive extra sive intra parochiam obierint, dummodo tamen ad Ecclesiam parochialem commode deportari valeant. *cap. 1. cap. 5. cap. 10. de sepult. cap. 1. cap. 3. princ. eod. in 6.* & si in duabus parochiis domicilium quis habuerit, in ea in qua mortuus, tumulandus est. *cap. fin. de Paroch.* quin etiam si quasi domicilium quis habeat in aliqua parochia, uti sunt studiosi, famuli, ancillæ &c. ex hodierna praxi in *cit. cap. fin.* ibidem sepulturam obtinent. P. Wiestner *ad cit. tit. de sepultur. n. 37.* Quæ tamen procedunt si defunctus neque sepulturam gentilitiam aut hæreditariam in alio loco habuit, neque etiam sepulturam alibi elegit; potest enim quilibet (excepto religioso & filiofamilias impubere) sibi eligere sepulturam, ut non minus in dispositione patrimonii quam electione sepulturæ, cuilibet sit liberum arbitrium. *cap. 1. d. t. cap. ult. eod. in 6.* Si tamen religiosus extra monasterium versetur, nec possit opportune transportari ad monasterium, jus eligendi sepulturam habet. *d. c. ult.* Hinc

Quæres 3. *In quo loco extra Parochialem Ecclesiam liceat eligere vel constituere sepulturam?*

Respondeo juxta constitutio- 10
nem Innocentii III. *in cap. fraternitatem. 3. de sepult.* haberi: *Mortuorum sepulchra & cœmeteria apud illas Ecclesias & Monasteria ex antiquo esse dispositа, in quibus religiosorum fratrum conventus sunt constituti, & orationes atque missarum solennia, tam pro vivis quam pro defunctis frequentius celebrantur.* Ex quo textu, sicut etiam ex *can. 6. cauf. 13. quæst. 2. can. 13. cauf. 16. quæst. 1. cap. 2. §. si quis. de sepult. in 6.* abunde liquet monasteria, sive populum sibi habeant subjectum sive non, hac facultate potiri, ut sepultura possit ibidem eligi, prout contra non paucos defendit

fendit Fagnanus ad *cap. fraternitatem. 3. n. 6. de sepult.* Si

Dicas: per *clement. dudum. de privileg.* Jus sepulturæ religiosis mendicantibus per modum privilegii concedi. Sed responderi potest, jus antiquum per illam clementinam fuisse magis declaratum; vel potius reponi, jus sepulturæ jure communi antehac monasteriis concessum, ad monasteria mendicantium non tam extensum, quam eatenus restrictum fuisse, quatenus parocho loci nullum per hoc præjudicium debeat generari, sed ipsi portio canonica de omnibus obventionibus occasione funeris perceptis, indistinctè præstari.

Quæres 4. *Quid emolumenti conferat jus sepulturæ?*

Quoniam jus sepulturæ quatenus est parochiale, non exiguum confert emolumentum, hinc:

11 Resp. Ad parochum pertinere 1. quicquid occasione funeris offertur Ecclesiæ, si funus in ecclesia parochiali sepeliatur *cap. 42. de Simonia.* Barbosa ad *Clement. dudum, 2. de sepult. n. 27.* Si

Dicas per *cap. 9. de sepultur.* Reprobari omnem consuetudinem, vi cujus aliquid ratione funeris à fidelibus exigitur.

Resp. Ibi non reprobari consuetudinem, vi cujus aliquid ultro suppeditatur à fidelibus, nec illam, qua aliquid exigitur non pro ministerio spirituali, sed vel in sustentationem ministrorum, vel etiam in compensationem decimarum personalium, quæ passim abrogatæ noscuntur. Quod si etiam cadaver non prius inferretur sepulturæ, quam loco funeralium aliquid solutum esset, praxis hæc ut corruptela foret detestanda. *cap. 13. de sepult.*

Resp. 2. Si cadaver hominis parochiani licitè extra parochialem ecclesiam fuerit sepultum, nihilominus parocho debetur portio canonica de legatis piis, oblationibus, & quibuscunque emolumentis, ad illam ecclesiam intuitu funeris devolutis. *cap. 1. cap. 8. de sepult. cap. 2. in prine. eod. in 6.* Hæc tamen portia pro locorum varietate variat, ac modo tertia, subinde media, nonnunquam quarta vocatur. *d. cap. 1. cap. 2. cap. 8. cap. 9. Clement. 2. de sepult.* Imò hæc portio quoad legata pia multorum locorum non usu cessavit.

Corollarium. ex *dd.* fluit parochis 12 jurisdictionem ordinariam esse concessam pro foro interno, quia præter jus administrandi omnia sacramenta intra fines suæ parochiæ, juxta *d. Clement. 1. de Privileg.* potest parochus in sacro tribunali de omnibus suorum parochianorum peccatis, summo Pontifici vel Episcopo specialiter non reservatis, cognoscere, pœnitentiam injungere, pœnitentes absolvere vel condemnare, nec alius qui delegatione & licentia parochi aut privilegio Apostolico destituitur, hisce actibus se intromittere potest. *cap. 12. de Pœnitent. & remiss.* quamvis ju-

risdictionem propriam & contentioſam pro foro externo conceſſam non habeat, quia de cauſis parochianorum cognoſcere, ſententiam aut cenſuram ferre, absolvere pro foro externo, ſpectat ad ſolum epiſcopum *can.* 38. *cauſ.* 11. *q* 1. *cap.* 1. 9. & 11. *in princ. de offic. judic. ordin.* Layman. *de jurisdict. ordin. concluſ* 158. Gonzalez *ad cap. cum ab eccleſiarum.* 3. *de offic. juridic. ordin.*

13 Quæres 5. *A quo eccleſiæ parochiales conſtituantur vel erigantur?*

Reſp. Eccleſias parochiales, præter ſummum Pontificem ab alio quam epiſcopo, de jure communi conſtitui vel erigi non poſſe. *argum. can.* 11. *cauſ.* 16. *quæſt.* 7. poterit igitur epiſcopus novam parochiam erigere. I. Si antecedenter cura promiſcue per ſacerdotes fuerit exercita, absque certis finibus aut limitibus, tunc enim epiſcopus populum in certos diſtrictos dividere, & cuilibet ſuam eccleſiam ac parochum aſſignare poteſt. Concil. Trid. *Seſſ.* 24. *de reform. cap.* 13. II. Sicut populus in tantum excreſcat numerum vel locorum diſtantia ſit tanta, ut ad unam eccleſiam, præſertim hyemali tempore, convenire nequeat, atque ſacramenta non ſine difficultate ægrotis adminiſtrentur; tunc enim epiſcopus citatis parocho & patrono eccleſiæ matricis, novam eccleſiam parochialem & parochum conſtituere, eisque ex reditibus eccleſiæ antiquioris ſuſtentationem aſſignare, aut etiam parochianos ad alimenta præſtanda poteſt compellere, *cap.* 3. *de eccleſ. ædificand.* Trid. *Seſſ.* 21. *de reform. cap.* 4. quamvis non tam expediat parochiarum multitudo, quam ſi in ejusmodi novis eccleſiis deputentur Vicarii, rectori antiquioris eccleſiæ ſubordinati.

In caſu etiam, quo fundus deficeret pro ædificanda nova eccleſia parochiali, poterunt parochiani authoritate epiſcopi ad cedendum locum compelli, quemadmodum ex cauſa alterius neceſſitatis, refuſo juſto pretio, quis ad diſtrahendum fundum compelli poteſt. *arg. l.* 15. §. 1. *ff. de R. V.* Covarruv. *variar. reſolut. lib.* 3. *cap.* 14. *n. ult.*

Quæres 6. *A quo reparandæ ſeu reſtaurandæ ſint eccleſiæ parochiales?* 14

Reſp. Eccleſiæ parochiales ob vetuſtatem, incendium, ruinam &c. deſtructæ, collapſæ vel dirutæ, reparandæ & reſtaurandæ ſunt ex reditibus propriis pro fabrica deputatis. *can* 10. *cauſ.* 10. *quæſt.* 1. *can.* 3. *cit. cauſ. quæſt.* 3. Gonzalez. *ad cap. quicunque* 1. *de eccleſ. ædific. n.* 7. Quodſi vero reditus aut nulli aut tenues ſint & inſufficientes pro redintegranda fabrica, parochi & alii, qui beneficium ab eccleſia redintegranda poſſident, ex reditibus, qui deducta congrua ſuſtentatione ſuperſunt, ad reparationem contribuere tenentur. *cap.* 1. & 4. *de eccleſ. ædific.* Cum enim ſentiant emolumentum ab eccleſia, onus etiam detrectare non recuſent. Gonzalez. *loc. cit. n.* 8.

Quæ-

15 Quæres 7. *An etiam patroni ecclesiæ teneantur ad ejus refectionem concurrere?*

Sententia affirmativa 1. allegat Concil. Trident. *Sess. 21. de reform. cap. 7.* ubi ad refectionem obligantur *patroni & omnes alii, qui fructus aliquos, ex dictis ecclesiis provenientes percipiunt.* 2. Quia ecclesia est obligata, patronos, si seipsos alere nequeant, sustentare. Ergo vicissim patroni erunt obligati ecclesiam mediis destitutam reficere. Sed:

Respondeo negative. Ita P. Martinus Resch. *Tr. de jure patronat. p. 1. quæst. 2. art. 7. n. 5.* Pirrhing. *ad tit. de eccles. ædific. n. 20.* P. Wiestner *ibid. n. 45.*

Ratio est: quia hoc ipso quod patronus ecclesiam erexerit ac dederit esse, ecclesia erit magis devincta patrono, quam ipse ecclesiæ. Adeoque frustra patronus ad ecclesiam reparandam adstringitur, ne alias ipsi beneficium sit damnosum, & cæteros, quo minus ad fundandas, dotandas, vel ædificandas ecclesias se pronos exhibeant, absterrebit.

Ad I. rationem sententiæ oppositæ ex Concilio Tridentino, Resp. ibidem per patronos non intelligi qualescunque, sed tales qui ex speciali jure in fundationis exordio juxta *cap. 23. de jur. patron.* sibi reservato, fructus ab ecclesia percipiunt, tunc quippe, cum extraordinarium ab ecclesia favorem habeant, incommodum injuste declinant.

Ad II. Resp. N. Conseq. quod enim ecclesia sit obstricta, patronum pauperem sustentare, est actus gratitudinis, ex præcedenti beneficio patroni resultans. E contra autem patronus nullum beneficium ab ecclesia accepit, adeoque nec titulus apparet, ob quem ille constringatur ad reparationem ecclesiæ. Quod etiam patrono debeatur locus honorificus in ecclesia, nullam rursus infert ecclesiæ reparandæ obligationem, sed honor hic exhibetur in compensationem anterioris beneficii, & veterem duntaxat obligationem exsolvit. Quin etiam cum illo honore connexum est aliud onus, quod ecclesiæ curam gerere, eamque defendere & tueri obligetur; proinde ex hac prærogativa honoris non noviter onerandus, sed potius sublevandus est.

Qnæres 8. *An decimatores sive quibus jus decimandi competit ex jure speciali, v. g. Privilegio Pontificio, teneantur concurrere ad reparationem ecclesiæ parochialis?*

Resp. Affirmative. Ita P. Wiest- 16
ner. *ad d. tit. de Eccles. ædificand. n. 47.* Gonzalez. *ad cap. 1. eod. tit. n. 8.* Zypæus *in Analysi ad cit. tit. n. 2.* D. Francisc. Schmier. *tract. de person. reb. & Jur. Eccles. p. 2. c. 2. sect. 2. §. 3. n. 60.* aliique ab eo relati, quam responsionem datam non tantum authores allegati, sed etiam ii, qui tenent contrariam sententiam, fatentur in praxi esse receptam.

Prob. 1. per textum *in cap. 1. de Eccles. ædificand.* ubi sine distinctione præcipitur, ut, *quicunque Ecclesiasticum*

sticum beneficium possident, omnino adjuvent, ad tecta Ecclesiæ restauranda, vel ipsas Ecclesias emendandas. Subsumo: Atqui decimatores, quocunque titulo jus decimandi acquisiverint, habent beneficium ecclesiasticum, eo quod beneficium in *cit.* textu non accipiatur pro titulo ministerii spiritualis, sed pro qualibet utilitate, quæ ex juribus & rebus Ecclesiæ percipitur, ut notavit Gonzalez. *loc. cit. n. 2.*

Prob. 2. per concil. Trid. *sess. 21. de reform. cap. 7.* vi cujus *omnes, qui fructus aliquos ex Ecclesiis provenientes percipiunt*, ad earum reparationem adstringuntur; atqui decimatores, qualescunque sint, percipiunt fructus ex ecclesiis parochialibus, ad quas jus decimandi cæteroquin spectat *per cap. 18. cap. 26. in pr. cap. 29. de Decim.* Ergo.

Prob. 3. Decimis est annexum onus ex dispositione juris, non tantum parochum sustentandi, sed etiam sublevandi, ut alia onera facilius supportare possit; *cap. 2. §. ubi autem. de Decim. in 6.* Atqui inter illa onera est obligatio reparandi Ecclesiam parochialem. Ergo &c. Res autem & præsertim Decimæ transeunt ad quemcunque possessorem cum suo onere *cap. 5. de pignor. cap. 33. de Decim.* Ergo qui decimas possidet, habet etiam annexam obligationem & onus, ecclesiam parochialem restaurandi. Si

Objicias cum Zoësio ad *tit. de Eccles. ædificand. n. 5.* & Pirrhing. *n. 18.* quod obligatio reparandi, si quæ subesset deberet oriri ex eo, quod decimæ sint aliquod beneficium ab Ecclesia acceptum. Atqui, si decimæ ex jure speciali v. g. privilegio ad alium quam parochum spectent, nequeunt vocari beneficium ab Ecclesia acceptum: separantur siquidem penitus ab Ecclesia, præsertim si ad laicos deveniant; neque ex beneficio ecclesiæ, sed gratia summi pontificis colliguntur. Ergo &c.

Resp. N. Minorem. Decimæ enim, licet separentur ab ecclesia, sunt nihilominus beneficium ecclesiasticum, cum ad ecclesiam parochialem de jure communi pertineant; proinde etiam in casu, quo privilegio Pontificio conceduntur aliis, tum ecclesiastico tum laico, transeunt ad possessorem cum suo onere. quod insuper confirmatur ex eo, quia respectu parochi decimæ reputantur beneficium ecclesiasticum, tametsi parochiam non ab ecclesia parochiali, sed ab episcopo acquirat; ergo etiam reputantur beneficium ecclesiasticum respectu alterius decimatoris, tametsi jus decimandi non habeatur à parochia, sed à summo Pontifice.

Quæres 9. *Quodnam sit officium Archi presbyteri sive Decani ruralis?* 17

Resp. Officium Decani ruralis describitur *in cap. 4. & cap. ult. de offic. Archi-presbyt.* ubi in synodo Ravennæ habita *cap. 4.* statuitur: ut singulæ plebes Archi-presbyterum habeant, qui non solum sollicitam & sedulam imperitæ plebis

curam

curam gerat, sed etiam presbyteris, qui in minoribus titulis, seu parochiis, intendat; & qua quisque industria opus divinum exerceat, ad episcopum referat; ubi etiam redditur ratio, quia licet episcopus valde idoneus sit, decet tamen, ut sua onera cum aliis partiatur, cum ipse solus omnibus invigilare non possit, adeoque extra civitatem episcopalem, alios veluti Vicarios, nempe Archi-presbyteros seu Decanos rurales constituat, qui plebi commissæ invigilent, ita tamen, ut cuncta referant ad episcopum.

18 Quæres 10. *An prædicti Decani rurales habeant aliquam jurisdictionem externam?*

Resp. Affirmative, scilicet habere jurisdictionem externam, tum in clericos intra fines seu districtum decanatus sui constitutos, tum in plebem sibi commissam, quia sunt velut Vicarii episcopi, qui foris constituuntur ad gubernandum clerum, & populum, ideoque etiam Vicarii foranei appellantur. *Clement. 2. de rescript.* Est tamen eorum jurisdictio subordinata, & omnimode dependens ab episcopo & ejus Vicario generali, ita ut nihil contra præcepta eorum agere possit, & quæ dubia sunt, vel gravioris momenti, ad eosdem referre debeat, *cit. cap. ult. de offic. Archi-presbyt.* quamvis minora seu leviora negotia per se ipsos, determinare & expedire possint; verum hodie jurisdictio decanorum ruralium admodum exigua est, & pro diversitate locorum etiam diversa, ut potissimum eorum officium sit, delicta & excessus parochorum denunciare, episcopo. Neque etiam hi decani rurales dignitatem vel personatum habent, ut sentit P. Pirrhing. *de offic. Archi presbyt. §. 2. n. 13.* aliisque ab eo relati.

§. V.

DE PRÆLATIS REGULARIBUS NON BENEDICTIS, NEC PERPETUIS.

SUMMARIA.

1. An Prælati locales non perpetui habeant jurisdictionem ordinariam in suos regulares? 2. Nequeunt condere statuta regularia. 3. Habent potestatem ferendi censuras, & ab iisdem absolvendi. 4. An absolvere possint à censuris per superiorem Prælatum latis? 5. Possunt suæ absolutioni reservare quædam peccata. 6. An habeant liberam administrationem quoad bona temporalia?

Per prælatos regulares non benedictos nec perpetuos intelligo Priores Conventuales, Guardianos, Rectores & cæteros, qui in prælatura regulari nullum jus reale & ſtabile obtinent, ſed ſtatis temporibus ab officio removentur. Hinc

Quæres 1. *An hi prælati regulares habeant jurisdictionem ordinariam in ſuos ſubditos regulares?*

1 Reſp. Affirmative. Ratio, jurisdictio ordinaria eſt, quæ competit ex vi officii ſeu muneris, ad quod ab Univerſitate ſive reliquis religioſis ſunt electi; ut ſentit Innocent. *in cap. 3. n. 1. de offic. judic. ordin.* in plerisque autem religioſis ordinibus conſtituuntur Priores, Guardiani, Rectores, Provinciales per electionem capituli, accedente confirmatione ſuperioris, ſcilicet Generalis. quod tamen intelligendum eſt de iis ſuperioribus religionum, qui in eodem monaſterio non habent ſupra ſe alium præpoſitum, hi poſteriores enim non ordinariam ſed plerumque delegatam aliquam jurisdictionem habent, quia tota jurisdictio non ex lege aut determinatione juris, ſed ex arbitrio & voluntate prælati domeſtici pendet.

Quæres. 2. *An Prælati hi locales v. gr. Guardiani, Rectores, Priores, habeant poteſtatem condendi ſtatuta regularia?*

2 Reſp. Negative. ratio eſt, quia hi ſuperiores ſunt ſub uno capite, à quo totum corpus dirigitur, & in quod caput ſive ſuperiorem generalem tota poteſtas regularis eſt transluſa, & ab eo in prælatos inferiores derivata; adeoque hi poſteriores ſive prælati locales in exercitio ſuæ jurisdictionis à toto ordine vel præſide dependent. Tamburinus *tom. 3. de jure abbat. diſp. 3. quæſt. 1.*

Quæres. 3. *An prædicti prælati locales habeant poteſtatem excommunicandi, aliasque cenſuras vel pœnas inferendi & ab iis abſolvendi?*

Reſp. Affirmative, & ita colligi- 3
tur *ex cap. 10. de Major. & Obed. cap. 33. de ſimonia.* Adeoque hi prælati, priores, guardiani, rectores, habent poteſtatem excommunicandi, aut per alias cenſuras coercendi, licet hi prælati conventuales adhuc ſuperioribus ſint ſubjecti.

Et hinc etiam ſuperiores prælati religionis poſſunt abſolvere ſubditos à cenſuris latis ab inferioribus, v. g. provincialis abſolvere poteſt religioſos, quos excommunicavit prælatus conventualis, ſeu localis, & generalis, quos excommunicavit provincialis, quia inferior habet quidem jurisdictionem ordinariam, ſed ſubordinatam & dependentem à ſuperiore, ita ut hic quoque jurisdictionem habeat in cauſam & perſonam abſolvendam; poteritque ſuperior cauſam ab inferiore inchoatam ad ſe avocare, eamque cognoſcere, etiam ſi ad eum appellatum non ſit. Suarez *diſp. 3. de cenſur. ſect. 2. n. 12.*

E contrario hic advertendum, 4
quod hi prælati locales & inferio-

res

res non possint absolvere, à censuris latis à superiori prælato, nisi quando superior illa specialiter sibi non reservasset. Juxta *cap. 29. de sent. excomm.* Suarez *tom. 4. de relig. tract. 8. lib. 2. cap. 20. n. 22. & 23.*

Quæres. 4. *An priores, guardiani, rectores & alii prælati conventuales seu locales possint certa peccata quæ graviora sunt, aut magis noxia, absolutioni suæ reservare?*

5 Resp. Affirmative, & probatur ex constitutione Clementis VIII. anno 1593. die 26. Maji edita, quæ incipit. *ad futuram rei memoriam.* In qua Pontifex loquitur indefinite de superioribus regularium, ut notat Suarez *loc. cit. n. 14.* & quamvis in Concil. Trident. *sess. 14. cap. 7.* solum fiat mentio de summo Pontifice & episcopis, tamen sub episcopis ibi sunt intelligendi omnes episcopalem vel quasi episcopalem jurisdictionem obtinentes, quia actus reservandi peccata, non spectat ad potestatem ordinis episcopalis, sed ad potestatem jurisdictionis.

Quæres 5. *An Prælati hi locales, habeant liberam administrationem monasterii quoad temporalia?*

6 Resp. Quamvis hæc libera monasterii administratio alias concessa sit prælatis monasteriorum, quæ ex antiqua institutione) etiamsi ejusdem regulæ & ordinis sint) jura tamen & bona omnino divisa & separata habent, prout colligitur ex *can. 9. cauf. 18. quæst. 2. can. 11. cauf. 12. quæst. 1. cap. 21. de rescript.* nihilominus id fallit in religionibus mendicantium, quæ habent unum generalem præsulem, seu præpositum, ita ut immediati seu locales prælati, videlicet priores, Guardiani, rectores subordinati sint & subjecti provincialibus, provinciales vero uni generali totius ordinis, a quo omnes non solum subditi, sed etiam subordinati prælati, tanquam unius corporis seu congregationis membra dependent, tam quoad jurisdictionem exercendam in subditos regulares, quam quod ecclesiarum, monasteriorum & jurium ac bonorum administrationem; in his enim religionibus, qualem Prælati subordinati: videlicet provinciales & Prælati conventuales seu locales jurisdictionem habeant in personas, vel quam potestatem administrandi bona, id ex uniuscujusque religionis constitutionibus, consuetudinibus & privilegiis colligi potest. Layman. *in cap. edoceri 21. n. 7. de rescriptis.*

§. VI.

DE JURE ET POTESTATE ABBATISSARUM.

SUMMARIA.

1. Abbatissæ habent potestatem dominativam seu gubernativam Monasterii. 2. An possint præcipere sub virtute obedientiæ. 3. Non habent spiritualem

tualem & ordinariam jurisdictionem. 4. Nequeunt ferre censuras ecclesiasticas. 5. Quæ sit potestas Abbatissarum sæcularium. 6. In quo differat jurisdictio spiritualis à potestate gubernativa spirituali. 7. Potestas gubernativa privativè spectat ad Abbatissas, nec à Prælatis in ea turbari debent.

Quæres 1. *An Abbatissæ, Præpositæ, seu Priorissæ regulares habeant aliquam potestatem dominativam, seu gubernativam temporalem?*

1 Resp. Affirmative. Nimirum illas habere potestatem aliquam politicam sive domesticam administrandi & regendi monasterium in temporalibus, sicut quævis mater familias. Imo huic potestati annexa est altera quædam potestas spiritualis in moniales, vi cujus Abbatissa potest spiritualia præcepta seu in ordine ad finem spiritualem eis imponere, atque ratione voti obedientiæ sibi tanquam præfectæ ac matri suæ spirituali præstiti, si res postulet, etiam in virtute S. obe-
2 dientiæ, ipsis, quæ ad salutem animæ spectant, & regulæ conformia sunt, præcipere possit; & moniales ipsi ex religionis virtute, sive vi voti in conscientia & sub peccato obedire tenentur. Suarez *tom. 3. lib. 10. cap 11. n. 20. & tom. 4. tract. 9. lib. 1. cap. 12. n. 9.* Ratio est, quia abbatissa talis fungitur munere publico, eique moniales vi professionis emissæ, obedire coguntur, & in eam superiores ordinis illius regularis, in quo versatur, eam potestatem transtulerunt.

Quæres 2. *An Abbatissæ vel Priorissæ regulares etiam habeant spirituale & ecclesiasticam ordinariam jurisdictionem?*

Resp. Negative. Ita communi-3 ter Theologi & canonistæ, glossa *in cap. dilecta 12. V. jurisdictioni. de major. & obed.* Suarez *tom. 4. de relig. tract. 9. lib. 1. cap. 12. n. 8.* Ratio est, quia mulieres sunt incapaces jurisdictionis spiritualis & ecclesiasticæ, ejus præsertim, quæ pertinet ad claves Ecclesiæ, per quas traditur potestas ligandi & solvendi, quia etiam à civilibus officiis mulieres jure civili excluduntur. *l. 1. § 1. ff. ad SCt. Vellejan.*

Objicies. *cap. dilecta. 12. de Major. & obed.* dicitur Abbatissas posse *suas Canonicas & Clericos suæ jurisdictioni subjectos propter inobedientias & culpas eorum officio beneficioque suspendere.* Ergo Abbatissæ competit jurisdictio spiritualis.

Resp. Recitata verba non esse Pontificis, sed Abbatissæ, nec in dispositione sed narratione posita, adeoque nec jurisdictionem nec suspensionem probant; deinde supponitur aperte, quod Abbatissa non habeat jurisdictionem ecclesiasticam criminalem dum dicitur, quod *excommunicare* non possit. Præter hæc æqualiter de clericorum & canonicarum suspensione loquitur, non obstante, quod fæminæ nequeant proprie suspendi & privari spirituali potestate aut functione, cujus aliunde sunt expertes. Demum ejusmodi

modi ſuſpenſiones vocantur ſalutaria monita & mandata, quibus ſi obedientiam & reverentiam non impendant, clerici & canonicæ excomunicari jubentur, non ab Abbatiſſa ſed ab abbate. Sicque ex omnibus hiſce colligitur jurisdictionem in *cit. cap. dilecta.* accipi plane improprie, quatenus ſolam poteſtateſtatem œconomicam non etiam publicam & authoritativam denotant; ſuſpenſionem quoque accipi non pro cenſura, ſed pro ſimplici prohibitione, qua clericis ſub pœna ſubtractionis fructuum, ne celebrent, interdicitur.

4 Corollarium 1. Cum ergo Abbatiſſæ jurisdictionem ſpiritualem non habeant, exinde ſequitur, quod excommunicare vel alias cenſuras proprie dictas inferre non poſſint, nec ab illis abſolvere, neque etiam unà cum toto conventu ſuo propriam legem vel ſtatutum condere.

5 Corollarium 2. Non tantum Abbatiſſæ regulares, ſed etiam ſæculares poteſtatem gubernativam & exercitum alicujus poteſtatis ſpiritualis, præter adminiſtrationem in temporalibus, habent in canonicas ſuas itidem ſæculares, ut colligitur ex *cit. cap. dilecta. 12.* ibi: *Canonicas. de Major. & obed.* quales plures in Germania reperiuntur, quæ nullam profeſſionem emittunt, nec propriis facultatibus renunciant, imo matrimonium etiam adhuc contrahere poſſunt, quales ſunt Auguſtæ Vindelicorum Canoniſſæ ad S. Stephanum, Ratisbonæ in ſuperiori & inferiori Monaſteriorio, in Ober- und Nieder-Münſter / & plures aliæ.

6 Corollarium 3. Jurisdictio ſpiritualis ſeu eccleſiaſtica differt à poteſtate gubernativa ſpirituali, quæ quidem in viris aliquando conjunctæ eſſe poſſunt, ut in prælatis, qui habent jurisdictionem ſpiritualem, ſeu poteſtatem ligandi & ſolvendi; quæ directe & proxime non à voventibns ſeu profeſſione in religione emiſſa, ſed à ſuperioribus eccleſiæ prælatis ipſoque ſummo Pontifice convenienter derivatur, ſed præter hanc habet prælatus etiam gubertivam ſpiritualem, per quam regularibus ſubditis ratione voti obedientiæ ſibi tanquam patri ſpirituali præſtiti, præcepta ad ſalutem animæ ſpectantia imponere, & eis præcipere poteſt in virtute obedientiæ. Porro ad cognoſcendum quanta ſit poteſtas in ſingulis abbatiſſis, indagandum eſt, quæ ſint ſpecialia ſtatuta & propriæ conſuetudines uniuscujusque religionis vel monaſterii.

Denique cum hæc poteſtas œconomica ac etiam directiva monialium ſit poteſtas ſpiritualis, quam Abbatiſſæ obtinent, nequeunt in ea turbari à prælatis regularibus, cui ſunt ſubjectæ, ſed penes easdem eſt liberum hujus poteſtatis exercitium, quousque in eodem non excedunt, ſicut ipſimet prælati, etiamſi aliis ſint ſubjecti, in exercitio ſuæ jurisdictionis nequeunt turbari, quousque exceſſus non oſtenditur.

§. VII.

DE ABBATIBUS ABBATISSIS S. R. I. PRINCIPIBUS AUT EJUSDEM STATIBUS.

SUMMARIA.

1. Abbas & Princeps Fuldenſis. 2. Campidonenſis. 3. Murbacenſis. 4. Præpoſitura Berchtolsgadenſis. 5. Stabulenſis. 6. Corbeyenſis. 7. Sancti Gallenſis. 8. Einſidlenſis. 9. Recenſentur quidam alii Abbates Principes. 10. Præpoſitura Elvacenſis refertur. 11. Notantur Abbates qui ſunt ſtatus Imperii ex ſcamno Svevico. 12. Abbates immediati ex ſcamno Rhenano. 13. Referuntur Abbatiſſæ, quæ ſunt Principiſſæ Imperii. 14. Abbatiæ fœminarum quæ fruuntur jure ſtatuum Imperii.

Pro coronide addere lubet, qua prærogativa in imperio ſint donatæ perſonæ eccleſiaſticæ regulares, quæ tum in principes imperii ſunt aſſumptæ, tum etiam, ſi hac dignitate non fulgeant, ſaltem plures jure ſtatuum imperialium gaudent, quod pariter vix in ullo alio regno invenimus, in quo regulares tot inſignibus præeminentiis eſſent decorati; igitur primo referam, quinam ſint abbates imperii principes, ſecundo, quinam abbates ſint ſtatus imperii, & votum habeant in comitiis imperialibus, tertio, quænam abbatiſſæ ſe ſcribant imperii principiſſas, aut ſaltem jure ſtatuum gaudeant;

1 Inter abbates S. R. I. principes primo venit abbas & princeps Fuldenſis

Das Stifft Fulda.

Principalis hæc abbatia ordinis S. Benedicti fundata eſt anno 744. a S. Bonifacio, & a Carolo Magno ac Pipino ditionibus & bonis ditata; eſt fere ditiſſima Germaniæ Abbatia. Modernus abbas eſt: Reverendiſſimus ac Celſiſſimus S. R. I. Princeps ac Dominus,

D. Adalbertus,

Ex perilluſtri familia de Schleiffras, electus anno 1700. Neo-electus Abbas pro obtinenda inveſtitura nullam ſolvit taxam imperialem: reſidentia principis & monaſterium principale eſt in civitate Fuldenſi, territorium ejus vocatur Buchonia, intra Haſſiam & Franconiam ſita; plurimas numerat præpoſituras & ſatrapias; hic Abbas & Princeps ſe ſcribit Cancellarium Auguſtæ ſive Imperatricis, nulli epiſcopo eſt ſubjectus, ſed immediate dependet a ſede pontificia, eſt Primas abbatum per Germaniam. Unicum habet officialem hæreditarium, ſcilicet Mareſchallum, quod officium pertinet ad familiam de Schlicht vel Görz.

Huic

Huic succedit ducalis abbatia Campidonensis.

Das Stifft Kempten.

2 Est hæc abbatia ordinis S. Benedicti, fundata ab Hildegarde, Caroli Magni conjuge, circa annum 777. Primusque ibidem Abbas erat Andelgarius, adhunc principatum pertinet territorium Buchembergense, castrum Illerbergense, diversa bona in Algow, Sagow, Risgow, Heylpertsgow. Dicitur etiam sub se habere 72. parochias & totidem vasallos. Princeps hic se scribit Augustæ sive Imperatricis Archimareschallum, inter officiales hæreditarios Archi-dapiferum numerat Duces Bavariæ, Archi-pincernam habet Duces Saxoniæ. Modernus Abbas & Princeps est:

Reverendissimus & Celsissimus S. R. I. Princeps ac Dominus, D. Rupertus.

Natus est ex perantiqua & perillustri stirpe L. Baronum de Pottmann in Streislingen, electus an. 1677. magni hujus Principis merita abunde nota sunt imperio, quem quondam Salisburgum erudivit convictorem, & imperium hactenus sensit in omni litteratura ac insigni prudentia celeberrimum, & ultimo cameræ imperialis visitatorem zelosissimum. Huic succedit:

Principalis abbatia Murbacensis, 3 sita in superiori Alsatia, ordinis S. Benedicti, fundata circa annum 724. a Duce Alemanniæ Everhardo. Modernus Abbas est Reverendissimus ac Celsissimus Princeps,

Philippus Everhardus.

Ex comitibus de Lowenstein & Wertheim. Hanc sequitur:

Præpositura Berchtholsgadensis, Canonicorum regularium S. Augustini, fundata circa annum 1108. 4 a Bernige & Cunone eorumque matre Immengarde, Comitibus de Sultzbach. Erat hæc præpositura exempta ab omni jurisdictione episcopali, sed ab anno 1384. perhibetur præstare juramentum fidelitatis Archi-episcopo Salisburgensi, Archi ducibus Austriæ & Ducibus Bavariæ. Modernus Princeps & Præpositus est Serenissimus Princeps Josephus Clemens, e Ducibus Bavariæ, de quo alibi. Ordine deinceps sequitur:

Die gefürstete Abbtey Stablo/

Abbatia Stabulensis, ordinis S. Benedicti, fundata a Sigeberto 5 Austrasiæ Rege circa annum 653. sita in episcopatu Leodiensi. Abbas Stabulensis insignitus est titulo S. R. I. Principis. Huic succedit:

Die gefürstete Abbtey zu Corvey.

Abbatia Corbeyensis ordinis 6 S. Benedicti fundata circa annum 815. a Ludovico Pio Imperatore; insignita est titulo S. R. I. Principis, nulli episcopo subjecta, modernus & anno hoc præsente 1714. Electus, est,

Reverendissimus ac Celsissimus Princeps ac Dominus, D. Maximilianus.

Ex prænobili familia de Horrich, ex ducatu Juliacensi.

His accedit: Principalis abbatia 7 St.

St. Gallenſis, die gefürſtete Abtey St. Gallen. Reverendiſſimus & Illuſtriſſimus Princeps ratione quorundam bonorum ſe ſcribit Principem imperii, quamvis ipſa eccleſia & monaſterium ſita ſint in Helvetia; eſt ordinis S. Benedicti.

8 Principalis abbatia Einſidlenſis, die gefürſtete Abtey Mariä Einſidlen. Reverendiſſimus & Illuſtriſſimus ejusdem celeberrimi cœnobii Princeps & Abbas titulo Principis quidem eſt inſignitus, votum tamen & ſeſſionem in Imperio non habet.

9 Sunt præterea adhuc alii tres Abbates, Principes in Helvetia, ſcilicet der Abt und Fürſt zu Pfeffers/ der Fürſt zu Dieſenthis, der Fürſt zu Murri, qui pariter votum & ſeſſionem in imperio non habent.

10 Denique principatus & præpoſitura Elvacenſis olim erat abbatia, ordinis S. Benedicti, modo autem in eccleſiam equeſtrem canonicorum ſæcularium eſt commutata.

Abbates S.R.I. Principes ſequuntur abbatiæ imperio Romano-Germanico immediate ſubjectæ, quæ proinde inter ſtatus imperii numerantur, & quidem ad ſcamnum Suevicum pertinent:

11 1. Salmansweiler, Ord. Ciſtercienſis. 2. Weingarten, Ord. S. Bened. 3. Ochſenhauſen, O. S. B. 4. Elchingen, O. S. B. 5. Irſingen, O. S. B. 6. Ursperg, Ord. Præmonſtratenſis. 7. Roggenburg, Ord. Præmonſt. 8. Munichsroden, Ord. Præmonſt. 9. Weitenau, Ord. Præmonſt. 10. Schuſſenrieth, Ord. Præmonſtr. 11. Marſtall, Ord. Præmonſtr. 12. Petershauſen, Ord. S. Bened. 13. Wettenhauſen, Can. Regular. 14. Gengenbach, Ord. S. Bened. 15. S Blaſii, Ord. S. Bened. 16. Ottobayren, Ord. S. Bened. 17. Zweyfalten, O. S. B.

12 Ad Scamnum Rhenanum pertinent: 1 Kayſersheim, Ord. Ciſtercienſis. 2. Bruchſal ſive Odenheimenſe, Ord. S. B. 3. Werden, O. S. B. 4. S. Udalrici & Affræ, Auguſtæ Vindelicorum Ord. S. Bened. 5. Monaſterium in valle S. Gregorii. 6. S. Georgii in civitate Iſnienſi. 7. S. Cornelii, Cornelii Münſter, O. S. B. S. Emerani Ratisbonæ. O. S. B.

13 Principes Abbatiſſæ ſunt I. Abbatiſſa Eſſenſis, die Aebtißin und Fürſtin von Eſſen. Abbatia hæc fundata eſt ab Altfrido epiſcopo Hildeſienſi circa annum 870. Perſonæ quæ hic ſuſcipiuntur, ad minimum debent eſſe ex familiis Baronum, & ſunt numero 52. non ſunt obſtrictæ votis clauſtralibus. Moderna Abbatiſſa eſt Bernardina Sophia ex comitibus de Oſtfrieſsland & Riedberg.

Abbatiſſa & Principiſſa Buchavienſis, die Aebtißin zu Buchau an Federſee. Abbatia hæc fundata eſt ordinis S. Auguſtini, omnibus ibidem liberum eſt ad matrimonium tranſire, & eccleſiæ renuntiare, præterquam ſoli abbatiſſæ id non amplius licet. Moderna, abbati-

tissa est, Maria Theresia, Comitissa de Montfort.

III. Abbatissa Quendlinburgensis, quæ abbatia fundata est circa annum 930. ab Henrico I. Imperatore; sed anno 1539. fuit reformata, & ex eo tempore canonissæ fuerunt amplexæ confessionem Augustanam, eandemque hodiedum retinent.

IV. Abbatissa Andlaviensis, die Aebtißin von Andlau. Abbatia hæc sita est in inferiori Alsatia, fundata à Richarda, Caroli Crassi conjuge, circa annum 880. Moderna est Anna Sabina de Hugshofen.

V. Abbatissa Lindaviensis, die Aebtißin zu Lindau am Bodensee. Abbatia fertur esse fundata ab Adalberto Comite de Rohrbach anno 866. ad quam solæ filiæ nobiles & illustres suscipiuntur. Anno 1689. electa fuit Maria Magdalena, Comitissa de Halweil.

VI. Abbatissa Herfortensis, die Aebtißin zu Herfort in Westphalen. Abbatia hæc dicitur initium ac fundationem sumpsisse circa annum 815. a Ludovico Pio Imperatore. Modo hæc abbatia addicta est Protestantibus. Abbatiæ autem eminentia partim ex eo relucet, quod suos habeat officiales hæreditarios, inter quos dapiferum numerat D. de Lederbur, Mareschallum D. de Morrien in Rheve, Pincernam D. de Munich. Venationum Præfectum, Comitem de Biland.

VII. Abbatissa Grinrodensis, die Aebtißin von Grinrod oder Gernrod am Hartz. Fundata est hæc Abbatia a Comite Gerone Sylvæ Hyrciniæ circa annum 960. Abbatia hæc confessionem Augustanam amplexa fuit anno 1521. Moderna abbatissa est, Henrietta Christina, Ducissa Brunswicensis.

VIII. Abbatissa inferioris monasterii zu Nieder-Münster Ratisbonæ, quæ abbatia fundata est a Juditha, Ducissa Bavariæ, circa annum 900. suscipiuntur hic non nisi nobiles filiæ, quæ antiquam prosapiam per legitimos ascendentes probare possunt, quibus liberum semper manet, recedere ab ecclesia & matrimonium eligere. Moderna abbatissa est Joanna Francisca ex Baronibus de Muggenthal.

IX. Abbatissa superioris Monasterii zu Ober-Münster Ratisbonæ, quæ ecclesia fuit condita a matre Caroli Crassi, & eodem jure fruitur, quo præcedens. Moderna abbatissa est Maria Theresia ex Baronibus de Sandizell.

X. Abbatissa Gandersheimensis, zu Gandersheim im Braunschweigischen. Fundata fuit hæc abbatia a Leudolfo Magno Saxone, circa annum 843. & modo profitetur confessionem Augustanam. Moderna Abbatissa est Henrietta Christina, Ducissa Luneburgo-Brunsuicensis.

14. Abbatiæ fœminarum, quæ Principum titulo quidem carent, immediati tamen status imperii sunt, recensentur hæ, &:

I. Est Abbatia Heigenbacensis, zu Heygenbach / fundata circa an-

num 1233. a duabus monialibus ex familia de Rosenburg & Landenburg, sita in Suevia prope Bibracum, est ordinis Cistercienſis.

II. Abbatissa Gutencellenſis, Guttenzell fundata a duabus ſororibus Comitisſis de Schloſsberg, ſita in Suevia intra Ulmam & Memingam.

III. Abbatia Rothmonaſterienſis, Rothen-Münſter fundata anno 1626. ab Hemma Baroniſſa de Wildenberk, ordinis Ciſtercienſis, ſita in Suevia prope Rothwilam.

IV. Abbatia Bayndenſis zu Bäynd/ fundata ſeculo 13. à Barone Schenck de Winterſtett, Ord. Ciſtercienſis. Sita in Suevia prope Ravensburg.

V. Abbatia Burſcheidenſis, ex monaſterio virorum anno 1220. verſa in Abbatiam fœminarum, Ordinis S. Bened. ſita prope Aquisgranum.

VI. Abbatia ad S. Joannem Lubecæ, quæ modo addicta religioni Proteſtantium; Abbatiſſa per ſuos delegatos adhuc habet vocem & ſeſſionem in Comitiis Imperii.

§. VIII.

DE NUNTIIS SIVE LEGATIS SEDIS APOSTOLICÆ.

SUMMARIA.

1. Dignitas Nuntiorum Apoſtolicorum. 2. Quotuplex ſit differentia legatorum ſedis Apoſtolicæ. 3. Sunt inſtar Romanorum Proconſulum & Præſidum in Provincia legationis. 4. Poſſunt condere ſtatuta etiam poſt diſceſſum ſuum valitura. 5. Poſſunt ſuper cauſa electionis Epiſcopi examen inſtituere. 6. An & quando poſſit ſe immiſcere cauſæ alteri ſpecialiter delegatæ. 7. Poteſt judicem delegatum prævenire. 8. Poteſt ſententiam judicis à Papa delegati confirmare. 9. Legati à latere in quo ſint digniores Nuntiis Apoſtolicis? 10. Legati à latere an & quatenus poſſint conferre beneficia in Provincia ſuæ legationis. 11. Quæ beneficia excipiantur. 12. Legatus à latere, vel qui miſſus cum poteſtate legati à latere, an & quatenus poſſit abſolvere ab excommunicatione reſervata Pontifici. 13. Quid proprium ſit legatis miſſis ſeu Nuntiis Apoſtolicis. 14. Quæ prærogativa competat legatis natis. 15. Recenſentur diverſi legati nati variarum Nationum. 16. Legati in Provinciis ſibi aſſignatis habent jurisdictionem ordinariam.

1 Maxima inter perſonas eccleſiaſticas refulgent eminentia legati ſedis apoſtolicæ, quos huc refero, non quaſi ordo dignitatis eos huc juberet collocandos, cum eosdem alias ſtatim poſt cardinales retuliſſem,

sem, sed quia extraordinaria nec perpetua, ut alii prælati, dignitate aut jurisdictione funguntur.

2 Legati sedis apostolicæ in triplici sunt differentia, legati à latere nimirum, legati missi, legati nati. *legati à latere* dicuntur, qui ex collegio cardinalium ad latus Pontificium Romæ residentium, ex causa legationis in provincias destinantur; *Legati missi* seu *nuntii apostolici* compellantur, qui extra collegium cardinalium ad imperatores, reges, principes, provincias ablegantur. *Legati nati* vocantur, quibus legationis munus cum officio & dignitate quasi connascitur.

Quæres 1. *Quænam sint communia omnibus legatis?*

3 Resp. Quod sint 1 instar Romanorum proconsulum & præsidum, in provincia legationis jurisdictionem & gubernationem habentes, ut ibidem, *evellant & dissipent, & ædificent & plantent.* Prout loquitur Clemens IV, *in cap. legatos 2. de offic. leg. in 6.*

4 Secundo: Quod statuta possint condere, post suum discessum quoque duratura, *dict. cap. legatos. & cap. ult. eod.* proindeque in prima statim instantia per viam simplicis quærelæ jure decretalium adiri possunt. *cap. cum non ignoretis 1. de offic. legati* quamvis per concilium Trid. *sess 24. de reform. cap. 20.* statutum fuerit primam instantiam episcopis seu judicibus ordinariis, nequidem à sedis apostolicæ legatis præripi vel auferri debere, P. Engel *n. 10. de offic. leg.* P. König. *ibid. n. 9.* P. Wiestner. *ibid. n. 9.* nisi scilicet ordinarius intra biennium à die motæ litis numerandum negligat, vel nisi per appellationem à sententia definitiva ad legatum devolvatur.

Et in ipso appellationis processu observandum est *cap. 3. de appellat. in 6.* ut decernit idem Trident. *sess. 22. cap. 7.* & quoad appellationem in causis criminalibus observari debet decretum ejusdem concilii *sess. 13. cap. 3. de reform.*

Tertio: Potest legatus sedis apo- 5
stolicæ etiam super causa electionis episcopi examen instituere, ita tamen, ut examen & informationes ad Papam mittere debeat, & ex eo tempore non possit amplius in causa procedere, quia interim suspensa est ejus jurisdictio. Prout sumitur ex *cap. licet 5. de offic. legat.* Ratio est, quia si judex examen causæ, seu causam instructam ad principem seu superiorem referre decrevit cum partium approbatione, & tamen pendente relatione procedat, irritus est processus, tanquam factus à judice incompetente; alioquin enim, si inferior interim posset aliquid in causa procedendo immutare, videretur superioris authoritati illudere. *l. 13. C. de appellat. l. 1. C. de relat. can. 12. caus. 2. quæst. 1.*

Quarto: Quamvis legatus sive 6
nuntius (etiam de latere) non possit causam specialiter à S. Pontifice alteri delegatam, ad suam cognitionem trahere, vel sententiam à

delegato in causa speciali, secundum formam mandati, latam irritare, adeoque se non possit immiscere cognitioni ac processui certæ causæ specialiter commissæ, nec impedire commissionem specialem, *cap. studuisti. 2. de offic. legati*, quia scilicet mandatum generale non derogat speciali, quoad illam speciem; neque jurisdictio minoris judicis exspirat præsente majore, *can. 39. cauſ. 11. quæst. 1. can. 6. dist. 95.* id tamen limitatur, nisi causa nova, vel antea non prævisa à delegante superveniat, qua cognita verisimiliter non emanasset illa commissio specialis; quo casu legatus generalis prohibere potest delegato speciali, ne in negotio sibi commisso procedat, vel formam procedendi ei præscribere. *arg. l. 10. ff. mandat.* Abbas *in cap. 2. n. 2. de offic. legati* limitatur etiam secundo, nisi delegatus specialis contra formam mandati apostolici procedat, tum enim legatus generalis se immiscere & acta ejus rescindere aut declarare potest, quia jurisdictionem super causa specialiter commissa habitualiter retinet. Imola *in cap. 2. n. 3. de offic. legati* idque colligitur argumento à contrario sensu, quia per *cit. cap.* non potest legatus generalis sententiam delegati specialis, si secundum formam mandati lata sit, irritare; ergo si contra formam mandati lata sit, irritare eam poterit. Idem dicendum, si sententia delegati ex alio capite sit nulla, ut quia lata contra jus constitutionis; tunc enim legatus generalis non impeditur cognoscere & declarare, illam esse nullam.

Quinto: Potest legatus generalis seu ordinarius delegatum in causa prævenire & causam contra impetrantem mandatum seu commissionem specialē cognoscere, antequam litteræ cōmissionis sint præsentatæ judici delegato, quo casu poterit legatus in causa cæpta progredi; secus si illæ jam fuerint præsentatæ delegato, quia quoad exercitium jurisdictionis non attenditur tempus datæ, sed præsentationis litterarum. Hostiensis & alii apud Fagnanum *in cit. cap. studuisti 2. n. 12. de offic legati.* 7

Sexto: Quamvis legatus generalis non possit sententiam delegati sedis apostolicæ irritare, potest tamen sententiam rationabiliter latam à delegato confirmare, & executioni mandare, *cit. cap. 2. in fin.* Quæ confirmatio saltem est approbatio quædam seu testimonium quoddam, ad hoc inserviens, ut legatus sententiam à delegato latam, & à se approbatam, nullitatis postea arguere non possit. Glossa *in cit. cap. 2. V. confirmare*, & ibidem Hostiensis *V. eod. Abbas ibid. n. 5. de offic. legat.* 8

Corollarium. Quæ dixi hactenus communia esse legatis, & quæ dicam paulo inferius de speciali jurisdictione ac potestate, ita intelligenda sunt, quod pendeant tum absolutè, tum quoad extensionem aut restrictionem ex voluntate

luntate Pontificis delegantis. Layman. *in cap. 4. n. 4.* Pirrhing §. *2. n. 3. de offic. Legat.*

9 Quæres 2. *Quænam sit potestas specialis legati à latere?*

Resp. 1. Legatus à latere seu Cardinalis majorem, quam alii legati potestatem habet, ideoque eo velut digniore præsente, legatus missus, qui non est à latere, non potest exercere potestatem legationis suæ, sed ipsius officium, licet non omnino exspiret, interim tamen quoad exercitium est suspensum, dum Cardinalis legatus ibidem moratur. *cap. 8. de offic. legat.*

10 Resp. 2. Legatis à latere concessum est, ut ratione muneris sui, adeoque jure ordinario, conferre possint beneficia, in provincia ad quam sunt destinati. *cap. 1. in fin. dict. tit. in 6.* Pirrhing. *loc. cit. §. 3. n. 8.* quare sicut Papa, ita & legatus à latere in sua provincia concurrit cum quolibet ordinario in collatione beneficiorum, ita ut inter eos sit locus præventioni, & legati collatio præferatur collationi ordinarii, si utraque eodem tempore facta sit. *cap. 31. de præbend. in 6.* alii tamen legati sedis apostolæ, qui non sunt a latere, sive sint nuncii missi, sive legati nati, ex officio legationis sibi generaliter commissæ, nullam habent potestatem conferendi beneficia, nisi hoc ipsis specialiter sit concessum. *cap. 1. d. tit. in 6. cap. 4. de supplend. neglig. Prælat.*

11 Resp. 3. Quamvis legatus a latere possit conferre beneficia, id tamen non extenditur ad ecclesias cathedrales, regulares, aut collegiatas, vel etiam dignitates, quæ in cathedralibus, post episcopatum majores sunt, & per electionem capitularem conferuntur, has enim legatus suæ ordinationi, collationi, provisioni, aut dispositioni, reservare aut se immiscere, vel electores impedire non potest, quominus libere, cum ecclesiæ vacabant, eligere vel postulare possint, & quidquid contra actum fuerit, eo ipso irritum sit & inane. *cap. 4. in Princ. d. tit. in 6.* Ratio est, quia id cederet in præjudicium electorum, quorum juri nec ipse Papa facile derogare solet, sed liberam eis eligendi potestatem relinquit. *arg. cap. 16. §. illis vero. de præbend. in 6.*

Resp. 4. Legatus a Latere nequit conferre beneficia a summo Pontifice suæ collationi reservata, sive generaliter sive specialiter, absque speciali ejus mandato, nam in reservatis sedis Apostolicæ legatus se immiscere non potest. *cap. 4. de offic. leg.* nec beneficia vacantia in curia. *cap. 2. de præbend. in 6.* nec etiam potest legatus Papæ conferre beneficia litigiosa. *arg. cap. 1. & 2. ut lite pendente.* quæ non ab aliis, quam à Papa conferri possunt.

Corollarium. Quæ hactenus dicta sunt de legatorum potestate conferendi beneficia, probabilius non procedunt, quoad illa beneficia intra 6. menses alternos assignatos per concordata, Germaniæ or-

dinariis collatoribus, eos præveniendo; quia hæc concordata Nicolai V. cum Natione Germanica habent rationem pacti, cui nec summus Pontifex derogare solet. Layman. *in cap. dilectus. 6. n. 2. de off. legat.*

12 Resp. 5. Legatus à latere, vel qui potestate legati à latere missus est, etiamsi Cardinalis non sit, à die egressus sui ex urbe usque ad diem reditus in urbem potest absolvere quoscunque clericorum, aut ecclesiasticarum personarum percussores ab excomunicatione contracta, etiam propter percusionem enormem, sive illi sint de provincia, ad quam missus est legatus, sive de alia, etiam post legationem finitam, dummodo à summo Pontifice non sit revocatus. Colligitur *ex cap. 9. cap. 4. de off. legat.* Molina. *tract. de Justit. disp. 9. n. 4.* idque introductum est tum ob reverentiam Apostolicæ sedis, cujus vices gerunt tales legati, tum in favorem animarum, ut periculum moræ evitetur. Non tamen potest talis legatus ab aliis excommunicationibus Papæ reservatis absolvere, sine speciali concesione seu mandato, quia in istis exorbitantibus & prohibitis non debet fieri extensio de casu ad casum non expressum. Abbas *in cap. penult, n. 4. de offic. judic. delegat.*

Quæres 3. *Quid poprium sit legatis missis seu Nuntiis Apostolicis?*

13 Resp. Nuntius Apostolicus præter excommunicationem, à subditis suæ provinciæ vel etiam Advenis in sua provincia per injectionem manuum in clericos contractam, à qua absolvere, potest etiam aliqua leviora in legationis indulto non comprehensa, facere. *Per text. in cap. 9. de offic. legat.* & ibidem Panormitanus *n. 6. cap. 6. de præsumpt. cap. 18. de accusat.*

Quæres 4. *Quid proprium sit legatis natis?*

Resp. Eis proprium esse, quod 14
eorum potestas non sit personalis, velut est potestas cæterorum legatorum, sed realis atque in successores in dignitate transitoria *cap. 13. de Privileg.* cæterum legatus natus nequidem provinciales subditos absolvere potest ab excommunicatione lata in percussorem clerici, quia alias tales percussores nunquam deberent pro ab absolutione petenda adire Papam, cum haberent præsentem superiorem, qui eos absolvere posset, & sic clerici illius provinciæ perderent privilegium canonis.

Porro legatus natus olim in Ger- 15
mania nostra erat Archi-Episcopus Magdeburgensis, nunc autem est Salisburgensis; in Anglia Archi-Episcopus Cantuarienſis, in Italia Pisanus, in Gallia Rhemensis, in Hispania Toletanus, in Polonia Gnesn.

Corollarium. Omnes isti legati 16
Apostolici in Provinciis ad quas sunt deputati, vices Papæ gerunt, & loco ipsius ordinariam jurisdictionem in omnes de Provincia exercent, atque, Apostolica authoritate funguntur, ideoque vicarii Papæ sunt & dici possunt, *cap. 1. in fin. de off. legat.*

§. IX.

§. IX. & ultimus.

DE PRIVILEGIIS OMNIUM PERSONARUM ECCLESIASTICARUM.

SUMMARIA.

1. Privilegium fori quid sit? 2. Quinam gaudent hoc privilegio. 3. An persona ecclesiastica post assumptum clericatum aut professionem religiosam possit in foro seculari conveniri de contractibus aut delictis in sæculo admissis? 4. An clericus dimisso clericatu, vel novitius monasterio egressus, possint à judice laico castigari ob delicta in clericatu vel novitiatu admissa. 5. An clericus hæres laici teneatur in foro defuncti laici comparere, si tanquam hæres actione quadam defuncti nomine conveniatur. 6. Si lis cum defuncto in foro seculari jam cœpta sit, an tunc ab hærede clerico ibidem continuari debeat? 7. An clericus actor possit coram judice laico reconveniri? 8. Quale forum clericus in actione reali sortiatur. 9. Personarum Ecclesiasticarum forum competens in causis criminalibus. 10. Si clericus in servitio vel ministerio apud Principes seculares constitutus delinquat vel excedat, an ratione delicti ab iisdem Principibus puniri possit? 11. Si clericus non solvit vectigal aut gabellam in emptione venditione præstitutam, an ipsius merces in commissum cadant. 12. An Clericus reus læsæ majestatis ab offenso Principe coerceri possit. 13. Forum competens clericorum in causis feudalibus. 14. Clerici nequeunt renuntiare privilegio fori. 15. Privilegium Canonis quid sit & quos effectus producat. 16. Hoc privilegium quando locum non habeat & obtendi non possit. 17. Describitur privilegium competentiæ. 18. Quibus competat? 19. Quando locum non habeat. 20. Immunitas Clericorum quotuplex. 21. Immunitas personalis quid sit. 22. Ad quæ se extendat immunitas personalis. 23. An summus Pontifex potuerit Clericis concedere Immunitatem personalem. 24. Immunitas realis quid sit & ad quæ se extendat. 25. In quo casu hæc immunitas cesset.

Privilegia clericorum quadruplicia sunt (nimirum principaliora) *fori, canonis, competentiæ, immunitatis.* Hinc

Quæres 1. *Quid sit privilegium fori?*

1 Resp. Privilegium *fori* est prærogativa, quâ personæ ecclesiasticæ à jurisdictione sæculari exemptæ, nullum contra se judicem agnoscunt, quam ecclesiasticum; hoc privilegio: primo gaudent non tantum clerici stricte sic accepti, sed & clerici paulo latus sumpti, quot-2 quot nimirum in sortem Domini cooptati, sæculo & rebus sæcularibus renunciarunt, hoc est: omnes regulares utriusque sexus. *c. 15. can. 38. caus.*

cauſ. 11. quæſt. 1. cap. 3. de immunit. eccleſ. in 6. auth. cauſa quæ. auth. ſtatuimus. C. de epiſcop. & cleric. nov. 123. cap. 21. tales ſunt ſecundo: ex clericis qui in minoribus conſtituti, aut beneficiũ habent, aut habitum cum tonſura gerunt, ſimulque *alicui eccleſiæ ex mandato epiſcopi inſerviunt; vel in ſeminario clericorum aut in aliqua ſchola vel univerſitate de licentia epiſcopi, quaſi in via ad majores ordines ſuſcipiendas verſantur.* Trident. *ſeſſ. 23. de reformat. cap. 6.* tales ſunt tertiò & illi clerici, qui in majoribus conſtituti habitum ex cauſa, vel ſine cauſa dimittunt, ſi modo vel ab epiſcopo ter, vel à ſynodo ſub expreſſa comminatione amittendi privilegii ſemel moniti reſipuerint; & hi omnes ut rei conveniri debent coram competente judice eccleſiaſtico; quando enim actoris vices ſuſtinent, ſubintrat vulgata regula: quod actor ſequatur forum rei. *cap. 5. & 8. de foro complet.*

3 Dubitari poteſt, *an perſona eccleſiaſtica, poſt aſſumptum clericatum aut religioſam profeſſionem emiſſam, poſſit in foro ſæculari conveniri, de contractibus aut delictis in ſtatu laicali admiſſis?*

Reſp. Diſtinguendum eſſe: an clericatus citra fraudem & ex ſancto Zelo ſit ſuſceptus, aut profeſſio emiſſa, quo caſu conveniri nequit coram judice laico. an vero in fraudem legis, ut evitet ſupplicium? & tali caſu conveniri poſſe affirmandum eſt, cum Farinacio *lib. 1. prax. crim. tit. 1. quæſt. 8. n. 104.* Covarruv. *pract. qq. cap. 32. n. 4. concluſ. 1. & 2,* Ratio prioris partis eſt, 1. quia jura hactenus citata perſonas eccleſiaſticas abſolute eximunt à foro ſæculari, 2. eſt regula generalis, eos qui una cum ſtatu forum mutant, ſuper actibus præteritis in foro deſerto conveniri non poſſe. *l. 12. in princ. ff. de accuſat. l. 4. §. 5. ff. de re milit.* inſuper eſt textus ſpecialis *in clement. 1. de vit. & honeſt. cleric.*

Ratio poſterioris membri fundatur tum in *l. ult. in princ. ff. de re milit. l. 21. C. ad l. Cornel. de falſ.* ubi qui militiam vel decurionatum ſuſceperunt, non poſſunt ſe eximere foro, cui ratione delicti antea perpetrati ſubjecti erant; Tum etiam in regula juris, quod ſua fraus & dolus nemini debeat patrocinari. *cap. 16. de reſcript.* Quodque privilegium clericorum non debeat eſſe fomentum & fomes delictorum.

Dubitari poteſt 2. *An Clericus dimiſſo clericatu ad ſæculum reverſus, vel novitius monaſterio egreſſus, poſſint à judice laico caſtigari ob delicta in Clericatu vel monaſterio commiſſa?* 4

Reſp. Negative. ita Barboſa *J. E. V. lib. 1. cap. 39. §. 2. n. 98.* Marta *de jurisdict. part. 4. caſu 121.* Covarruv. *loc. cit. cap. 31. n. 8.* Ratio eſt, quia in caſtigandis delictis ad hoc ut delinquens gaudeat ſuo privilegio, inſpicitur tempus delicti. *arg. l. 1. in princ. ff. de pœnit.* tunc enim privilegium maxime operari debet, ubi eſt maximè neceſſarium, quod ſit tempore delicti, quo forum ſpeciale contrahitur. Cum ergo

ergo cum in casu posito personæ delinquentes, admissi delicti tempore privilegio fori clericalis munitæ fuisse præsumantur, id privilegium etiam postea retinere censendæ sunt.

Cum itaque personæ ecclesiasticæ quoad forum in actionibus personalibus sint privilegiatæ: dubitari potest

5 Primo: An si clericus hæres sit laici, teneatur in foro defuncti laici comparere, si tanquam hæres actione quadam defuncti nomine infestetur? & quidem si lis cum defuncto nondum sit cœpta, satis convenit inter canonistas & civilistas, clericum in foro proprio conveniendum esse, juxta Abbatem *in cap. quia 11. de judic. n. 12.* Covarruv. *pract. q. q. cap 8. n. 4.* Gail. *1. lib. 1. obs. 37. n. 10.* Ratio desumitur *ex l. 19. in princ. ff. de judic.* ibi: *hæres absens ibi defendendus est, ubi defunctus debuit, & conveniendus, si ibi inveniatur, nulloque suo proprio privilegio excusatur.* cum ergo privilegium fori, quo gaudent clerici, non sit clericis in singulari proprium & speciale, sed universo clericorum ordini commune, ac in corpore juris clausum, certe clericus tanquam hæres laici in foro defuncti conventus, recte communi suo privilegio excusatur.

6 Major controversia urget, si lis cum defuncto in foro sæculari jam cæpta sit, an tunc ab hærede clerico ibidem continuari debeat?

Affirmativam tenet Covarruv. *cit. cap. 8. n. 8.* Gail. *d. obs. n. 8. & 9.* Haunold. *tom. 5. tract. 1. n. 237.* quorum ratio prima est, *ex l. 30. ff. de jud.* quia judicium, ubi acceptum semel, ibi & finem accipere debet, cum instantia cum defuncto contracta, hæredem quoque obstringat. 2. Fundantur in identitate personarum, hæredis & defuncti, quorum uti actiones & obligationes sunt eædem, sic & judicium est idem. *l. 34. ff. de tit.* 3. Æquitas naturalis nullatenus pati videtur, ut actoris causa ob hæredis personam evadat deterior, isque in una instantia duplicem judicem adire cogatur.

Resp. Negative. Ratio prima est, *ex l. 19. in princ. ff. de judic.* ubi indefinite deciditur: hæredem in foro defuncti non esse conveniendum, quando non proprio sed communi & in corpore juris clauso privilegio munitus est, nec distinguitur, sit ne lis cum defuncto jam cœpta, nec ne; quapropter aliis quoque distinguere non erit licitum. 2. In *l. 32. §. 4. ff. de recept. qui arbit.* ubi JCtus Ethnicus ait: *sacerdotio obveniente* non cogi arbitrum sententiam dicere; *Id enim non tantum honori personæ, sed & majestati Dei indulgetur, cujus sacris vacare sacerdotes oportet.* si ergo, dum clericatus supervenit ex parte arbitri, post arbitrium jam susceptum, arbiter clericus non amplius cogi possit ad sententiam dicendam, quia videlicet & statum & personam & forum mutavit: quis coget clericum ad judicium in foro sæculari prose-

quendum, si laico in lite succedat? cum & ipse statum & personam ac forum mutaverit? 3. Si clericus litem cum defuncto inchoatam, coram judice sæculari teneretur prosequi, id proveniret ex titulo prærentionis. Atqui id titulus præventionis efficere nequit: sicut enim tollere non potest privilegium fori clericalis, & facere ut clericus, coram judice laico comparere debeat, sic efficere non potest, ut judicium coram eodem finire obstringatur.

Resp. ad 1. Quod quidem judicium in uno loco cæptum, in eo continuandum sit, sed hoc tamen principium fallere, quando succedit persona privilegiata; sicuti & tunc fallit, quando causa inferiori judicio jam pendens a superiori avocatur.

Resp. ad 2. Quod jura, obligationes ac forum defuncti & hæredis communia sint, hac tamen communione non obstante hæredem non posse conveniri in foro defuncti, si forum jure communi privilegiatum hæres sortiatur. vel defunctus & hæres sunt una persona, ita tamen ut hæres privilegium quod habet non amittat, C. patet in pupillo & minorenne, qui si majorenni succedat, nec præscriptionis, nec restitutionis privilegium amittit, per *l. 19 ff de Minor. 25. ann.* sunt una persona, ita ut hæres privilegium jure communi concessum amittat N.

Resp. ad 3. Negando quod æquitas naturalis prohibeat, ne actor in una instantia duplicem adire judicem cogatur, prout patet, cum supremus judex causas in inferiori judicio jam pendentes ad se avocare posit, absque eo quod ulli præjudicium causare censeatur, quia expensas majores, quæ tunc causantur, is qui temere litem aut incepit aut suscepit, refundere tenetur; vel distinguo æquitas prohibet, ne quis in eadem instantia teneatur adire duplicem judicem Laicum & in foro sæculari T. si succedat judex ecclesiasticus, & impediat privilegium commune quin prior instantia observari possint. N. nunc

Quæres 1. *Si Clericus laicum coram judice laico convenit, an possit clericus coram eodem judice à convento reconveniri?*

Resp. Negative. ita Panormitan. *in cap. 4. de judic. n. 2.* Layman. *ad cap. 1. de mut. pet. conclus. 4.* D. König. *ad tit. de mut. petit. n. 8.* Pirrhing. *ibid. n. 9.* Umm. *de Proc. disp. 10. th. 2. num. 8.*

Ratio est, quia hæc reconventio clerici coram judice sæculari nec jure civili nec canonico permissa est; non jure civili: hoc enim nec potuit nec voluit, generalitate suorum textuum *in l. 22. ff. de judic. l. 14. auth. & consequenter. C. de sent. & interlocut. Nov. 96. cap. 1. & 2.* Clericis reis forum suum privilegiatum auferre, cum non genus speciei, sed species generis deroget. nec etiam jure canonico: id enim cum abso-

absolute jubeat, ut clerici tanquam personæ superioris ordinis judicentur à judicibus ejusdem ordinis, nec inferiorum seu laicorum arbitrio submittantur. *can. 6. can. 7. & seqq. dist. 96. cap. 17. de judic. cap. 2. cap. 4, cap 5. cap. 12. cap. 13. de foro compet.* prohibet quoque ne coram laico judice reconveniantur, cum eadem prorsus ratio conventionem & reconventionem prohibeat, ne videlicet illi, qui alterius & superioris sunt ordinis, ab iis, qui inferioris sunt ordinis, judicentur.

Probatur 2. Clerici nequeunt judicis sæcularis jurisdictionem in se prorogare; jam autem reconventio fundatur in tacita prorogatione jurisdictionis *l. 14. C. de sentent. & interloc.* ubi Imperator rationem introductæ reconventionis reddit, *cujus enim*, inquit, *in agendo observat actor arbitrium, eum & habere contra se judicem in eodem negotio non dedignetur.*

Probatur 3. Clericus nequit reconveniri coram judice laico, quoties causa ecclesiastica controvertitur *cap. 2. de judic.* ibi: *Laici Ecclesiastica tractare negotia non præsumant.* Atqui quando clericus reconvenitur, tunc causa vere dicitur Ecclesiastica, denominatione à persona, quam tangit, desumpta.

Objicies 1. Si laicus clericum conveniat coram ecclesiastico judice, coram eodem à clerico reconveniri potest. Ergo etiam si clericus laicum conveniat coram judice laico, poterit ibidem reconveniri: cum non deceat clericum esse melioris conditionis in reconventione, quam laicum.

Resp. N. Conseq. disparitas inter clericos & laicos hæc est, quod inconveniens plane sit, superiorem ab inferiore judicari; cum tamen nullatenus dedeceat, inferiorem superioris judicio substerni.

Objicies 2. Judex laicus non est absolute incapax jurisdictionis in clericum, cum eidem de facto actor clericus fuerit subjectus in ordine ad sententiam definitivam, quæ in non subditum pronuntiari non valet. Ergo.

Resp. ad antec. in clericum actorem non aliter exerceri jurisdictionem, quam negative, declarando scilicet per sententiam, nihil juris adversus reum ipsi competere. Cæterum, si etiam admittamus positive jurisdictionem in ipsum exerceri, eodem modo discurrere oportet, quomodo de legibus civilibus obstringi clericos docetur; vel etiam sententia contra clericum est justa vel injusta? Si prius: stringit clericum non aliter ac lex civilis justa, scilicet indirecte; si posterius: nullo modo habet robur.

Objicies 3. Clericus potest à judice laico condemnari in expensas; & hoc ideo, quia æquitas naturalis postulat, ne causa principalis separetur à causa accessoria & connexa. Ergo clericus etiam reconveniri potest; quia æquitas naturalis suadet, ne causa conventio-

nis & reconventionis ob mutuam connexitatem dividantur.

Resp. 1. N. antec. Expensæ enim contra clericum temere litigantem in foro ecclesiastico probabilius petendæ sunt.

Resp. 2. T. anteced. N. conseq. quia major connexio inter expensas & causam principalem intercedit, quam inter causam conventionis & reconventionis: nam prior connexio est ex natura rei, posterior ex libera dispositione juris positivi. 2. Altera disparitas est, quia condemnatio in expensas potest fieri citra usurpationem jurisdictionis in clericum, secus reconventio, in qua clericus ad causam citari, & si contumacem se ostenderet, processus in contumaciam formari deberet.

Quæres 2. *Quale forum clericus in actione reali sortiatur?*

Resp. Quod clericus non minus in realibns actionibus, considerato jure communi, foro privilegiato gaudeat. Abbas *in cap. 10. de constit. n. 22.* Covaruv. *pract. quæst. cap. 31. n. 5.* P Engel. *de foro compet. n. 40.* D. Konig. *ibid. n. 30.* D. Francisc. Schmier, *tract. de judic. cap. 3. sect. 6. §. 3. n 179.* contra Gail. *lib. 1. obs. 37. n. 4.* Mynsing. *centur. 1. obs. 22.*

Ratio prima: Quia clericos in causis realibus quoque exemptos esse, deduci potest tum ex manifesto textu *in cap. 4. de censib. in 6.* tum quia personarum exemptio parum clericis prodesset, nisi & ratione bonorum quæ habent, exempti forent, cum & in actione reali possessorem conveniri, ac si contumaciter absit, immissionem in illius bona decerni, constat *ex l. 2. C. ubi in rem actio,* unde enatum axioma *ex l. 43. ff. de R. V.* ea, quæ religiosis adhærent, religiosa censeri, ac bona conditionem personæ seu accessoria suum principale sequi. *l. 28. in princ. ff. de usur. & fruct.*

Ratio 2. Quia jus canonicum clericorum causas simpliciter & absolute eximit e potestate sæculari, nec vult clericos tanquam reos coram judice profano stare. Atqui causa realis clericorum est causa clericalis, respiciens immediate commodum & incommodum clericorum. Ergo

Ratio 3. Quia & jus civile prorsus indistincte clericos a foro sæculari facit immunes. *auth. nullus episcopus. auth. causa quæ. auth. clericus. auth. statuimus. C. de episc. & cler.* in qualibet causa civili & pecuniaria clericos ad forum sæculare evocari prohibet; adeoque & causas clericorum reales quæ etiam civiles & pecuniariæ sunt, foro sæculari subtrahit.

Objicies 1. Actio realis non tam in personam quam in rem dirigitur. *§. 1. inst. de act.* ergo movenda est in foro rei sitæ, *l. ult. C. ubi in rem actio.*

Resp. Actionem realem in rem dirigi; jurisdictionem vero & judicium non in rem velut aliquid in animatum & jurisdictionis incapax, sed in rei possessorem dirigi, & con-

consequenter actionem realem in foro rei sitæ institui quidem posse contra clericum, ita tamen ut episcopus rei sitæ adeatur. *cap. 3. de foro compet.*

Quoniam vero pluribus in locis consuetudo invaluit, ut clerici sine scrupulo judicem profanum in causis realibus agnoscere cogantur, difficilior supereſt quæstio, an talis consuetudo defendi possit? Covarruv. *loc. cit.* Zoës. *ad decret. de for. compet. n 24.* Schambogen *ibid. n. 31.* & alii tacite eam defendere videntur, imo alii expresse eam defendunt ex ea ratione, quod consuetudo tantarum sit virium, ut legem humanam, canonicam & civilem tollere possit, adeoque & privilegium fori clericalis in actionibus realibus. Verum quia probabiliter exemptio clericorum ex jure divino descendit, ea per consuetudinem contrariam, sicut & ipsum jus divinum contraria consuetudine tolli nequit. imo etiamsi descenderet ex solo jure humano, tamen contraria consuetudo non subsisteret, quia utroque jure canonico & civili reprobata. Nam consuetudo quævis immunitati ecclesiasticæ contraria damnatur per bullam Urbani Octavi editam 5. Junii Anno 1641. & quot annis per bullam cœnæ coram Principum oratoribus solenniter promulgari consuetam reprobatur.

Denique argumentantur: Principes sæculares possunt jurisdictionem in bonis, quæ noviter ad Ecclesias vel personas ecclesiasticas transferuntur, jurisdictionem sibi reservare; *arg. cap. 23. de jure patron. cap. 4. de condit. appoſit.* Ergo etiam possunt decernere, ut bona, quæ noviter ita transferuntur, petantur coram judice sæculari. Ergo etiam possunt urgere observantiam hujus decreti. Ergo si de facto prætendant, ut in causis realibus respondeant clerici coram judice sæculari, reprehendi nequeunt, quia signum est, quod tum ipsi, tum anteceſſores eorum, jurisdictionem sibi reservaverint in bonis ad ecclesias & personas ecclesiasticas translatis.

Resp. 1. Negando, quod citra consensum Pontificis talis reservatio subsistat, tum quia si talis reservatio esset per se licita, non deberet summus Pontifex consuli pro facienda contributione ex bonis ecclesiasticis, in casu necesitatis, quod tamen requitur, *per cap. 4. & cap. 7. de Immunit.* tum quia pactum non potest habere majorem vim, quam statutum, quod tamen, si libertati ecclesiasticæ repugnet, declaratur irritum ab Imperatore Friderico *in auth. cassa C. de SS. Eccles.* interim, quando princeps aliquis per tempus immemoriale in causis clericorum realibus jus dixit, præsumptionem habet, quod jurisdictionem legitima & rite approbata reservatione, vel alias ex privilegio Apostolico nactus fuerit: cum enim cursus temporis immemorialis præsumptionem privilegii, tituli

& legitimæ acquisitionis operetur, sane pro Principe, qui per tempus immemoriale in causis clericorum realibus jus dixit, præsumptio nascitur, quod jurisdictionem legitime hactenus exercuerit.

8 Quæres 3. *Quale forum clerici habeant in causis criminalibus?*

Resp Clerici à foro & jurisdictione sæcularium etiam in causis criminalibus eximuntur.

Ratio est, quia causæ criminales vel maxime sunt personales, tum etiam, quia reverentia personarum Deo sacratarum postulat, ut causæ criminales clericorum sine strepitu & contentione fori sæcularis discutiantur, prout religiose jam pridem sensit Magnus Imperator Constantinus, dum clericorum accusatione ad se delata; *Vos*, inquiebat, *Dii estis à vero DEO constituti, Ite & inter vos causas vestras discutite: quia dignum non est, ut judicemus Deos.* Prout refertur *in can. 5. can. 41. caus. 11. quæst. 1.* qui ipse pientissimus Princeps alia vice dixisse narratur, *in can. 8. dist. 96. verè, si propriis oculis vidissem sacerdotem DEI, aut aliquem eorum, qui monachico habitu circumamicti sunt, peccantem, chlamidem meam exspoliarem, & cooperirem eum, ne ab aliquo videretur.*

9 Dubitari potest, *si personæ ecclesiasticæ in servitio vel ministerio apud Principes sæculares constitutæ, delinquant vel excedant, an ratione delictorum ab iisdem principibus puniri possint?*

Resp. Quod puniri nequeant, certa in jure, & in conscientia magis tuta est sententia, prout cum Diana, Ambrosino, Haunold, & multis aliis tenet Pignatellus *tom. 2. consult. 27. n. 5.* ratio est, quia personæ ecclesiasticæ, quamdiu manent tales, privilegiatum forum obtinent, nec illud amittunt, etsi alibi delinquant; *cap. 4. de judic.* etsi autem illicitis negotiationibus operam dent, adhuc retinent idem forum, antequam ter fuerint moniti à judice ecclesiastico. *cap. ult. de vit. & honest. cleric.*

10 Dubitatur 2. Si clericus non solverit vectigal aut gabellam in emptione venditione præstitutam, an merces ipsius in commissum cadant & fisco judicis sæcularis cedant, ab eoque auferri vel arrestari possint?

Resp. Negative. Ratio est, quia clerici legibus civilibus quoad vim coactivam non adstringuntur, adeoque punitio & arrestatio nequit fieri a judice laico. D. Francisc. Schmier *loc. cit. §. 4. n. 205.* aliique ab eo relati.

11 Gravissima denique supereſt controversia: *An clericus criminis læsæ majestatis reus, ab offenso principe coerceri possit?*

Negant turmatim DD. Abbas *in cap. 4. de jud. circa fin.* Marta *de jurisdict. part. 4. cent. 1. casu 133. n. 27.* Pignatellus *tom. 1. consult. 124. n. 2.* & alii plures. Ratio. *quia in cap. 4. cap. 10. de judic.* clericus ob nullum prorsus crimen punitioni sæcularis

ris

ris judicis obnoxius est. Tum quia *in can. 190. cauſ. 22. quæſt. 5. in fin.* Clericus in mortem Principis conſpirans degradari jubetur. Atqui ante degradationem judex laicus in clericum nequit manus extendere. Aſſerunt tamen aliqui clericos conſpirationi ac rebellioni ſe immiſcentes tanquam hoſtes non ſolum in conflictu, ſed etiam poſt illum, non jure jurisdictionis, ſed jure defenſionis ab offenſo Principe capi; antea tamen in ipſos procedi non poſſe, quamdiu in foro eccleſiaſtico juſtitia adminiſtranda ſperatur.

Corollarium. Juxta probabilem ſententiam, quam tenent Panormitanus *ad cap. 35. de ſentent. excommunicat.* Felinus *in cap. 3. eod. tit.* Covarruv. *lib. 2. var. reſolut. cap. 1. n 9.* & alii, poteſt clericus in flagranti crimine deprehenſus a judice laico capi & poſtea ad judicem eccleſiaſticum deduci. Ratio eſt, quia clerici in flagranti crimine (ſi unum ex atrocioribus ſit) deprehenſi, plerumque fugam meditari ſolent, ac proinde niſi judicibus laicis concedatur poteſtas illos capiendi, & ad judicem eccleſiaſticum deducendi, dabitur clericis cauſa elabendi, & ſic liberius ac impune peccandi. Textus *in cap. 3. cap. 35 de ſent. excommunic.* qui videri poſſunt obſtare, vel non loquuntur de clerico in flagranti deprehenſo, ſed poſt delictum jam conſummatum capto, vel ſupponunt periculum fugæ non ſubeſſe.

Quæres 4. *Quale forum clerici in* 12 *cauſis feudalibus ſortiantur?*

Reſp. Clerici æque ac laici in cauſa feudali ſubjiciuntur judici feudali, prout traditur *in cap. 5. de judic. cap. 6. cap. 7. de for. compet.* & ratio eſt, quia dum cauſæ feudales ex antiquiſſima conſuetudine ſpeciales ſemper habuerunt judices, eaque conditione feuda conferuntur vaſallis, ut illorum ratione coram judice feudali reſpondeant; clerici quoque feuda a dominis ſæcularibus recipientes eandem conditionem ſervare tenentur, eccleſia connivente, & juxta recitatos textus conſentiente. Gonzalez *in cap. 5. de judic.* Rationem aliam dat Panormitanus *in cap. 7. dict. tit.* quod cum rei feudalis dominium directum maneat penes concedentem, ille per ſe vel ſuos de feudali cauſa cognoſcendo, quaſi de re propria cognoſcere & judicari videatur. Dubitari poteſt, utrum judex feudalis, an vero judex ordinarius eccleſiaſticus notionem habeat, quando in cauſa feudali contra vaſallum clericum agitur ex crimine ad privationem feudi?

Reſp. Si delictum clerici ſit mere feudale, hoc eſt: ſolo jure feudali prohibitum, veluti ſi vaſallus clericus feudum inconſulto domino alienet, inveſtituram tempore debito non petat, periculum domino non denuntiet &c. notionem judici feudali deferendam eſſe. prout ſentiunt Fagnanus *in cap. cæterum. de judic. n. 29.* P. Wieſtner

num.

n. 112. de for. compet. D. Schmier. *loc. cit.* §. *5. num. 218.* aliique ab eo relati.

Ratio est; partim quia causa mere feudalis, ex dictis pendet ab arbitrio judicis feudalis, partim quia delicta mere feudalia non tam personam vasalli infamant, quam causam privationis Domino subministrant; partim quia, qui potest cognoscere de contractu, potest etiam cognoscere de distractu, seu causis, ex quibus contractus resolvitur.

Si vero delictum non mere feudale sed commune sit, hoc est jure communi prohibitum, habens tamen ex jure feudali privationem feudi connexam, uti si vasallus in crimen proditionis incidat, paricidium aut stuprum inferat uxori vel filiæ domini directi: tunc probabilius est, domino directo notionem de crimine non competere; ita cum AA. *cit.* Abbas *in cap. verum. 7. de foro compet. n. 7.* Barbosa *J. E. V. lib. 1. cap. 29. n. 135.* Ratio est, quia à regula, quod clerici in criminibus nequeant judicari à laicis, nullibi sunt excepta crimina communia, in quibus agitur ad privationem feudi. Ergo à regula hac recedere non licet, quia in materiâ immunitatis non licet argumentari à paritate, sed illud omne reperitur prohibitum, quod authoritate pontificia expresse non concessum est.

13 Corollarium. Huic Privilegio fori, de quo hactenus dictum est, etiam accedente consensu ordinarii renunciare non possunt clerici; textus & ratio est in *c. 12. de for. comp.* ibi: *manifeste patet, quod non solum invuti sed etiam voluntarii paciſci non possunt, ut sæcularia judicia subeant, cum non sit beneficium personale: cui renunciari valeat, sed potius toti collegio ecclesiastico sit publice indultum, cui privatorum pacto derogari non potest.* textum alium habes *cap. 18. d. tit.*

Alterum personarum ecclesiasti- 14
carum privilegium est, & dicitur *Canonis*, quod est prærogativa, qua clerici ab omni violenta percussione vel injuriosa læsione specialiter immunes pronuntiantur. Ejus origo tam quoad nomen, quàm quoad effectum promanat ex canone seu constitutione concilii lateranensis sub innocentio II. habiti, prout refertur *in can. 29. caus. 17. quæst. 4.* ibi: *si quis* suadente diabolo hujus sacrilegii reatum incurrit, quod in clericum vel *monachum violentas manus injecerit, anathematis vinculo subjaceat, & nullus episcoporum illum præsumat absolvere (nisi mortis urgente periculo) donec apostolico conspectui præsentetur, & ejus mandatum suscipiat.* Ratio hujus privilegii non obscura est: quia, sicut in statu politico dantur quædam personæ sanctæ, quas violare, ausu temerario attingere, & percutere nefas est, sic jure merito in statu ecclesiastico quædam personæ sunt, quas violenta manuum injectione temerare, grande piaculum & sacrilegum est, juxta illud

lud Zachariæ *2. verſ. 9. Qui tetigerit vos, tangit pupillum oculi mei*; quotquot igitur ſtatui eccleſiaſtico annumerati reperiuntur, ſancti cenſentur eo ſenſu, ut ſine ſacrilegio & anathemate nequeant ab ullo pulſari, verberari, capi, incarcerari, occidi, vel alia injuria reali offendi; *d. can. ſi quis ſuadente, cauſ. 17. quæſt. 4. cap. 3. cap. 5. cap. 9. cap. 10. cap. 29. cap. 33. de ſentent. excommunic.* Barboſa *J. E. V. lib. 1. cap. 39. §. 1. n. 15. & ſeqq.* quo privilegio ipſi etiam gaudent novitii, quia in materia favorabili habendi pro profeſſis. *cap. 21. de ſent. excomm.*

Nec intereſt quoad injuriantes, utrum nomine proprio vel alieno, per ſe vel per alium, phyſice aut moraliter in clericos delinquant, nam etiam qui mandant, conſulunt, &, cum poſſent, *manifeſto facinori deſinunt obviare*, delinquunt contra privilegium canonis & illius pœnam incurrunt, *cap. 6. §. illi vero. cap. 24. cap. 47. de ſentent. excomm.*

15 Corollarium ceſſat hoc privilegium, cum annexa in transgreſſores pœna:

1. Quando perſona eccleſiaſtica propter delictum amiſit privilegium fori: tunc enim privilegium canonis plerumque ſimul amittit.

Ceſſat 2. quando clericus non injuria, ſed correctionis cauſa, à ſuperiore vel magiſtro moderatè caſtigatur. *cap. 1. cap. 10. cap. 24. de ſentent. excomm.*

Ceſſat 3. Quando juſti doloris, quem continere difficillimum judicatur, magnitudo concurrit, ac clericus v. gr. cum percutientis uxore, matre, filia, vel ſorore, turpiter agere deprehenditur. *cap 3. d. tit.*

Ceſſat 4. Quando clericus non ex vindicta, ſed juſta defenſione, cum moderamine inculpatæ tutelæ, percutitur, *d. cap. 3. cap. 10. de ſentent. excommun.* Servatur autem moderamen, ſi ſervetur imprimis modus, & tanta ſit propulſatio injuriæ, quanta ad defenſionem eſt neceſſaria: neque enim is, cui clericus impingit alapam, poteſt repercuttere, niſi probabiliter timeat, ne altera & tertia ſequatur; Deinde ſi ſervetur tempus, ac defenſio fiat in continenti: quia ex intervallo non poteſt amplius habere locum defenſio, ubi ceſſat invaſio. Barboſa *loc. cit. §. 1. n. 66.*

Tertium privilegium, quod 16
perſonis eccleſiaſticis conceditur, eſt privilegium *competentiæ*; quod eſt prærogativa, qua perſonæ eccleſiaſticæ, debitis oneratæ, nec excommunicari, nec incarcerari, nec ad bonorum ceſſionem compelli, nec à ſuis creditoribus in plus conveniri poſſunt, quam facere poſſint, deducta congrua ſuſtentatione; ideoque vel fructus beneficii, ſi quod habeant, deducta congrua, in ſolutum cedere, vel juratoriam cautionem præſtare debent de integre ſolvendo, ſi ad pinguiorem fortunam pervenerint;

prout habetur *in cap. 3. de solut.* Rationes illius varias assignat Gonzalez. *ibid. num. 14.* inter quas prima est: quia de jure civili simile privilegium concessum est militibus, *l. 6. in princ. l. 38. de re jud.* adeoque conveniens est, ut jure canonico clerici, qui sunt milites Christi. *can. 19. cauſ. 23. quæſt. 8.* non minori privilegio honorentur; 2. quia de jure civili memoratum privilegium tribuitur omnibus fere personis, quibus aliqua debetur reverentia, puta marito, patri, patrono, si ab uxore, liberis aut libertis conveniantur. *l. 16. l. 17. l. 30. ff. de re judic.* unde nec clericis, quibus ob eminentiam status utique debetur reverentia *can. 8. & seqq. dist. 69.* negandum erat. 3. est, quia persæpe cæteroquin accideret, ut clericus, debitis ultra modum gravatus, usque ad sacculum & peram excuti, & cum opprobrio status ecclesiastici mendicare deberet contra dispositionem Tridentini *sess. 21. de reform. cap. 2.*

17 Competit hoc privilegium clericis non tantum sæcularibus, sed etiam regularibus, constitutis non solum in ordinibus majoribus, sed etiam minoribus, eo quod *cit. cap. 3. de solut.* tanquam constitutio favorabilis & de clericis generaliter loquens, amplissimam extensionem mereatur; Barbosa *J. E. V. dict. lib. 1. cap. 39. §. 6. n. 15.*

Indulgetur hoc privilegium clericis citra causas civiles tum reales, tum personales, quando agitur ad solvenda debita vel interesse ob rem deperditam, aut amissam restituendam, prout colligitur ex *cit. cap. 3. de solut.* ibi: *quibusdam debitis convenissent.* Quando autem agitur ad rem actoris propriam restituendam, sive rei vindicatione, sive actione personali commodati, depositi, &c. tenetur clericus rem illam, non attento competentiæ privilegio, restituere. Covarruv. *l. c.* in delictis verò videndum est, an agatur civiliter vel criminaliter ad interesse publicum, seu mulctam pecuniariam fisco inferendam? posteriore casu clericus, qui non habet in ære, in corpore luere debet. *per cap. 5. de dolo & contumac. l. ult. ff. de in jus vocand.* priore casu beneficium competentiæ procedit, *arg. cit. cap. 3. de solut.* quod simpliciter de debito loquitur, absque distinctione, an ex contractu, vel delicto descendat.

Cessat hoc privilegium 1. quando 18
clericus ob debitum conventus, judicialiter & pertinaciter suum debitum negat. *arg. cit. cap. 3. in verb. recognoscentem hujusmodi debita.* prout etiam in jure civili neganti debitum negatur beneficium cessionis bonorum. *l. penult. ff. de cess. bonor.* Et neganti se socium esse, negatur beneficium competentiæ. *l. 67. §. ult. ff. pro socio.* Quod si extra judicium negaverit debitum, aut in judicio quidem negaverit, sed ante sententiam fuerit confessus, est locus privilegio. Fagnanus *in cit. cap. Odoardus, 3. n. 56. de solut.*

Cessat

Cessat 2. Quando clericus dolose versatus est, ut si finxerit se non esse clericum, vel falso jactaverit se esse divitem, vel bona sua dissipaverit, aut destruxerit in fraudem &c. Gonzalez. ad *cit. cap.* 3. *n.* 16. Non enim decipientibus jura succurrere solent. *l.* 37. §. *1. ff. de minor. l.* 30. *in princ. ff. ad SCtum Vellejan. l. penult. ff. de jure dot.* Dolus si absit, clerico non erit negandum hoc beneficium, licet in ludo, luxu, luxuria dilapidaverit sua bona. Hostiensis. *in cit. cap.* 3. *n.* 3. Fagnan. *ibid. num.* 35. Militant namque rationes omnes concessi privilegii pro tali clerico; nec textus occurit, quo illius privatio statuatur.

Cessat 3. Quando clericus ex delicto amittit privilegium fori: talis siquidem in consequentiam amittit privilegium competentiæ. *arg. cap. ult. de vita & honest. clericor. cap. un. eod. in 6. cap. 1 de homicid. in 6.*

Cessat 4. Quando clericus eidem renunciat, non quidem simpliciter (cum enim non in favorem privatum clericorum, sed in honorem totius ordinis clericalis introductum esse noscatur) non magis renunciationem simplicem admittit, quam privilegium canonis & fori.

19 Quartum Privilegium clericis concessum est *immunitas*, quæ est
20 vel personalis vel realis, immunitas personalis est prærogativa personis ecclesiasticis concessa, vi cujus â communi laicorum subjectione, onere & obligatione eximuntur.

Dixi: *onere & obligatione*, intelige personali, cujusmodi onera & 21
obligationes sunt munera tutelæ, curatelæ; Angariæ & Perangariæ, hoc est; operæ personales, Frohndienst/ Scharwerck/ robalten/ viaticæ & telonia personalia, Zoll- und Mauth-Gelder/ census personalis seu capitatio, Kopff- oder Leibs-Steur; à quibus & aliis ex actionibus personæ ecclesiasticæ sunt immunes. *per cap. 1. de Immunit. Eccles. in 6. l 1. l. 2. in princ. §. 2. & 3. C. de Episc. & Cleric. auth. item nulla. C. eod.*

Quod autem summus Pontifex clericos à jurisdictione sæculari 22
potuerit immunes facere, (probabiliter enim etiam de jure divino hanc immunitatem obtinent) ratio fortissima est, quia summus Pontifex potest condere leges, in quantum hoc exigit utilitas vel necessitas rectæ gubernationis Ecclesiæ, sed utilitas æque ac necessitas rectæ gubernationis ecclesiæ suadet exemptionem clericorum à communi subjectione, onere & obligatione laicorum, ut eo liberius vacare possint servitio divino, nec secularibus operibus semet immiscere teneantur; tum quia summus Pontifex non minorem prærogativam clericis suis concedere potest, quam concessa fuerit levitis in antiquo testamento, in quo à subjectione laicorum erant immunes. *Gen. 47. v. 22. Levit. ult. v 28. Num. cap. 18. vers. 8. & 9.* Quæ causa est, quod ipsimet principes sæcu-

lares hanc immunitatem censuerint æquissimam, eamque suis constitutionibus muniverint & stabiliverint, ut constat ex *auth. causa quæ. auth. clericus, auth. statuimus. C. de Episcop. & Cleric.* sicut universus propemodum orbis in hanc immunitatem consensit. Qui hanc immunitatem velut iniquam arguunt, sic arguunt: quamdiu Ecclesia sub ethnicis principibus militabat, omnes Christiani, tam clerici quam laici, in Regum ac Imperatorum potestate fuerunt, quando deinde principes ad fidem sunt perducti, omnes clerici manserunt eodem ordine, cum neque lex Christi (qui neminem suo privat dominio) principibus ademerit suam potestatem; neque principes, licet clericis aliquam dederint exemptionem, eos à se tam liberos dimiserint, aut dimittere potuerint, ut ipsis amplius non subessent, nec majestatem agnoscerent.

Resp. Illis, qui ita arguunt, merito esse occinendum illud *Psalm. 104. vers. 15. Nolite tangere Christos meos.* & Zachar. *2. cap. vers. 9. qui tetigerit vos, tangit pupillam oculi mei.* Quod autem clerici primis ecclesiæ temporibus fuerint sub principum ethnicorum potestate, & paruerint principibus lumine fidei destitutis: Dist. subfuerunt de facto. C. de jure N. sic Ecclesia nunquam destitit suam jurisdictionem in clericos, quantum poterat, asserere & exercere, quandoquidem in canonibus Apostolorum *can. 73.* expresse dicatur, ut Episcopus *de aliquo accusatus*, ab aliis Episcopis citetur, judicetur & puniatur; quinimo adversarii probarent ab exemplo Principum Ethnicorum, quod nequidem in causis spiritualibus clerici à potestate sæculari liberi sint; nam spirituales causas ad se trahere, & renitentes Christianos gravissimis pœnis subjicere nitebantur Principes gentiles. Deinde:

Quod Christus neminem suo jure privet, permitti potest, sed negandum est suppositum, quod sæcularis Princeps in clericos unquam habuerit potestatem, cum illi specialem hierarchiam, ordinem & rempublicam constituant. Deinde cum Christus Petro ejusque successoribus dederit potestatem gubernandi fideles, & pro ecclesiæ utilitate ferendi leges, potuit utique S. Pontifex legem condere, atque clericos suæ jurisdictioni subjicere, absque eo, quod præjudicium intulerit Principibus sæcularibus, quibus jurisdictio solummodo competit in laicos.

Alii dicunt, clericos esse cives & membra reipublicæ adeoque ad onera Reipubl. ferenda obstringi. Sed his respondetur, illos esse quidem cives & membra, sed non qualiacunque, potius autem privilegiata & exempta, cum nec æquitas nec ulla necessitas postulet, ut æquali cum reliquis civibus jure considerentur.

Plures

Plures etiam negant, clericos proprie & vere cives Reipublicæ nuncupari, cum licet in territorio laicorum vivant, non tamen sint de territorio.

Præterea inter solennissima, quæ objiciunt, allegant exemplum Salomonis, qui in testamento veteri summum sacerdotem Abiathar, quod conjuranti Adoniæ consensisset, capitis reum pronunciavit. 3. *Reg cap. 2.* Verum exemplum illud non ostendit, vel subjectionem summi sacerdotis respectu Salomonis, vel hujus in ullum jurisdictionem; quia is dictavit sententiam mortis ex jure Belli, vi cujus supremus Princeps quemcunque aggressorem injustum occidere potest.

Contra hanc clericorum exemptionem opponunt ulterius, quod ad *Rom. 13.* a judicio & potestate gladii nemo eximatur. Verum loquitur scriptura non de supremo capite, sed inferioribus & subditis, in propria cujusque sphæra.

Denique arguunt, Christum Dominum, cujus S. Pontifex est Vicarius, non refugisse judicium sæcule, sed agnovisse potestatem judicandi in Pilato, ex illo Joannis 19. *vers. 11. Non haberes potestatem adversus me ullam, nisi tibi datum esset desuper.*

Resp. Distinguendum esse inter potestatem facti & juris; Pilatus habuit ex permisfione divina potestatem de facto, non de jure in Christum, prout constat ex Lucæ *22. hæc est hora vestra & potestas tenebrarum.*

Altera immunitas clericis con- 23
cessa dicitur *realis*, estque prærogativa, cujus virtute res & bona ecclesiastica, ab omni contributione & onere, quod rebus titulo sæcularis jurisdictionis imponitnr, sunt exempta.

Dicitur 1. *Res & bona ecclesiastica.* Equidem de bonis ad ecclesias ex fundatione vel donatione pertinentibus, dubium non est, quin immunitate reali potiantur. *cap. 4. cap. 7. de immunit. cap. 1. eod. in 6. cap. 4. de censib. in 6. auth. item nulla. C. de episc. & cleric.* de bonis clericorum respectu ecclesiæ vel titulo spirituali acquisitis, rursus apud plerosque receptum est, illis immunitatem realem suffragari. *can. 25. cauf. 23. quæst. 8. cap. 1. de censib. clement. un. de immunit dict. auth. item nulla.* De bonis vero patrimonialibus ac titulo profano receptis, utrum immunitate reali perfruantur, variant sententiæ, affirmativam tenent plerumque canonistæ, cum abbate *in cap. ecclesia, de constit. n. 21.* Pirrhing *ad tit. immunit. n. 57.* Gonzalez. *ad cap. non minus. 4. eod. n. 10.* ob textus mox citatos & *cap. quamquam 4. de censib. in 6.* quorum præcipua ratio est: quia contributiones & onera realia rebus imponuntur ex titulo jurisdictionis, quæ sicut in personas ecclesiasticas deficit, sic etiam in res ipsarum patrimoniales.

Dicitur 2. *Ab omni contributione & onere.* Quo nomine veniunt tributa, collectæ, steuræ, talliæ, vectigalia &c. à quibus pensitationibus libera sunt bona ecclesiastica, si illæ contributiones sint novæ. Num etiam ab antiquis pensitationibus libera sint, AA. rursus variant, interim distinguendum arbitror, inter pensitationes & contributiones, quæ rebus inhærent, ex præcedenti pacto vel jure proprietatis; an autem sint impositæ ex jure jurisdictionis sæcularis; pensitationes prioris generis nec ecclesiasticæ liberttati repugnant, nec ecclesiam potestati sæculari faciunt subjectam, ideoque verificatur illa parœmia, rem transire ad Ecclesiam cum imposito onere. *cap 5. de pign. l. 23 §. 2. de S. P. R. l. 12. ff. commun. præd.* Pensitationes posterioris generis cum adversentur immunitati ecclesiasticæ, ac principaliter imponantur ob subjectionem personæ, ut constat ex illo *ad Rom. 13. Subditi estote* &c. *ideo enim & tributa præstatis.* Non onerant bona ad Ecclesias noviter translata, sed procedit axioma, quod deveniant ad statum, à quo ducere non possunt initium, sed evanescunt. *per l. 98. in fin. princ. ff. de V. O. AA. citati.*

Ex causis, in quibus immunitas realis cessat, singulariter in jure probatur, necessitas ac utilitas communis & tanta, ut laicorum facultates illius sublevationi non suppetant, accedente tamen cognitione cleri ac Episcopi, nec non approbatione summi Pontificis. *cap. 4. & ibid.* Gonzalez. *n. 14. & seq. cap. adversus. 7. de immunitat.* 4

Ratio est: quia si Ecclesia ex motivo pietatis alias debet succurrere pauperibus, indigentibus & captivis, quanto magis tenebitur Reipublicæ indigenti succurrere? D. Francisc. Schmier. *tract de person. reb. & jur. Eccles part. 3. cap. 4 sect 3. §. 3.* quæ hactenus dicta de jure Publico Romanno-Ecclesiastico, sufficiant, & referantur ad majorem gloriam illius, qui est noster ultimus

FINIS.



INDEX.

NOTA.

Primus numerus significat Dissertationem, Secundus significat §phum, Tertius numerum §phi; quod si plures sint numeri, Secundus significabit Sectionem, v. gr. sic: Diss. I. §. 2. n. 4. vel Diss. 5. Sect. 2. §. 3. n. 6.

A.

ABbas quisnam dicatur. 5. 4. 1. 4.
Quam Dignitatem habeat. ibid. 5.
Quam ætatem habere debeat eligendus in Abbatem. 6
Ejus potestas œconomica quænam sit. 7
Potestas jurisdictionis ejus quænam dicatur. 8
An habeat jurisdictionem spiritualem ordinariam in suos religiosos. 9
An in eosdem habeat jurisdictionem quasi Episcopalem. 10
An possit ferre censuras. 11
Etiam in religiosos in alieno Territorio existentes. 12
An possit suos regulares absolvere â censuris. 13
An possit dispensare in regula. 14
Habet liberam administrationem monasterii. 15
Cum qua tamen limitatione. 16
An & quos ordines conferre possit. 17

Abbates quidam Principes annotantur. §. 4. 7. 9
Abbates qui sunt immediati status imperii ex scamno suevico. §. 4. 7. 11
Ex Scamno Rhenano. 12
Abbatia vacante num potestas Abbatis transeat ad capitulum. §. 4. 3. 13
Abbatissæ habent potestatem gubernativam Monasterii. §. 4. 6. 1
An possint præcipere sub virtute obedientiæ. ibid. 2
Non habent spiritualem & ordinariam jurisdictionem. 3
Nequeunt ferre censuras Ecclesiasticas. 4
Quæ sit potestas Abbatissarum sæcularium. 5
In quo differat jurisdictio spiritualis à potestate dominativa Abbatissarum. 6
Potestas gubernativa spectat privative ad Abbatissas, nec à prælatis in ea turbari debent. 7
Abbatissæ Principissæ Imperii quæ sint. §. 4. 7. 13
Abbatiæ fœminarum, quæ fruuntur jure statuum Imperii. §. 4. 7. 14.
Alienari nequeunt sine consensu Pontificis res mobiles Ecclesiasticæ pretiosæ vel immobiles. 2. 4. 1.
Alienatio rerum ad Ecclesias pertinentium, quando de jure communi procedat. n. 2.
Alienantium pœna quæ sit. n. 3.
In alienatione an intercedere debeat consensus Pontificis quoad Ecclesias in Germania. n. 4
Anathema & excommunicatio an differant. 2. 6. 19.
Annatæ ab Episcopo neoelecto solvendæ, unde dicantur, & quotuplices sint. §. 2. 3. 54
à quibus Annatæ solvi debeant 55
Quis fuerit earum author. 56
An licite potuerint introduci. 57
Archi-Episcopi quinam dicantur. §. 2. 2. 1
Recensentur Archiepiscopi & Episcopi Itali. 2
Sclavoniæ. 3
Poloniæ. 4
Scotiæ. 5
Angliæ. 6
Irrlandiæ. 7
Hungariæ. 8
Germaniæ. 9
Sueciæ & Daniæ. 10
In Belgio. 11
In Gallia. 12
In Portugallia. 13
In Indiis orientalibus & occidentalibus. 14
Archi-Episcopus in quo differat ab Episcopo. 15
An & quando habeat jurisdictionem in Episcopos non exemptos. 16
Archi-Episcopi Vicarius an possit exercere aliquam jurisdictionem

nem contra Episcopos suffraganeos. 17
Archi-Episcopus num possit condere statuta pro tota provincia. 18
An habeat jus confirmandi Episcopos suffraganeos. 19
Item an habeat jus Consecrandi. 20
An habeat jurisdictionem in subditos suorum suffraganeorum. 21
n ad Archi-Episcopum possit appellari. 22
An possit visitare provinciam. 23
Aut exercere jurisdictionem in subditos suffraganeorum quando bonum totius Provinciæ id exigit. 24
An & quando ut delegatus papæ hanc jurisdictionem exercere possit. 25
An possit exercere jurisdictionem quando agitur causa criminalis inter clericum & Episcopum. 26
Quando Episcopus est negligens in exercenda jurisdictione, an exercitium jurisdictionis devolvatur ad Archi-Episcopum. 27. & 28
An possit in diœcesi suffraganeorum conferre sacros ordines, dedicare Ecclesias &c. 29
An possit absolvere excommunicatum ab Episcopo suffraganeo. 30
In quo loco possit exercere jurisdictionem in subditos suffraganei. 31
Archi Episcopale pallium quid sit. 32
Ejus figura. 33
A quo conferatur. 34
Quibus concedatur. 35
Intra quod tempus sit petendum & qua forma tradendum. 36
In quo loco & quando licitum sit uti pallio. 37
Non licet uti pallio in Ecclesiis alienæ provinciæ. 38
Neque in sua provincia extra Ecclesiam. 39
Neque extra missarum solemnia. 40
Non nisi certis diebus & quibus. 41
Quid juris conferatur per traditionem pallii. 42.
An transeat ad alios. 43
Quid juris quoad pallium, si Archi-Episcopus transferatur ad aliam Ecclesiam. 44
Argentoratensis Episcopatus describitur. 5. 3. 1. 13
Auditor Cameræ Apostolicæ, modernus quisnam sit & ejus Assistentes. 4. 1. 2
Augustanus Episcopatus refertur. 5. 3. 1. 14
Aula & Aulici S. Pontificis qui nam sint. 4. 5. 1

B.

Bambergenſis Epiſcopatus recenſetur. 5.3.1.21
Beneficia à quo debeant conferri de jure communi. 2.3.1
Beneficia quænam de jure communi ſint reſervata S. Pontifici. ibid. 2
Quænam dicantur vacare in curia. 3
Quænam Pontifici reſerventur per regulas Cancellariæ. 5
Beneficia quænam reſerventur Pontifici per concordata. 8
Beneficia & prælaturæ, quæ ipſo jure vacant ob crimen, an liberæ collationi Pontificæ ſint reſervatæ. 8
An beneficium Decanatus Cathedralis S. Pontifici reſervetur, quando à Decano in Epiſcopum electo ante confirmationem reſignatur. 9
Beneficium quod ſede papali vacante incepit vacare an cenſeatur reſervatum. 11
Beneficium quod incepit menſe papali vacare, an poſſit ab ordinario poſt lapſum trium menſium ſtatim conferri. 2.3.13
Berchtolsgadenſis Princeps & Præpoſitus. 5.4.7.4
Brandeburgenſis Epiſcopatus annotatur. 5.3.4.5
Bremenſis Archi-Epiſcopatus ortus & progreſſus recenſetur. 5.3.6.1
Breve Apoſtolicum quid ſit. 1.5.3
Brixienſis Epiſcopatus refertur. 5.3.5.5
Bullarum ſtylus recenſetur. 1.5.2
Bullæ Pontificiæ quid ſint ibid. 4

C.

Cameralia officia & officiales. S. Pontificis recenſentur. 4.3. per tot.
Campidodunenſis Princeps & Abbas. 5.4.7.2
Caminenſis Eccleſia notatur. 5.3.5.7
Canonicus quis dicatur. 5.4.3.7
Canonici an teneantur reſidere in loco Canonicatus. ibid. 23
Eorum fructus quotuplices ſint. ibid. 24
An ad eorum reſidentiam ſufficiat ſola præſentia in urbe. 25
Abſens ex cauſa neceſſitatis habetur pro præſente. 26
Secus ex cauſa utilitatis privatæ. 27
Sufficit etiam utilitas Canonicatus vel Eccleſiæ. 28
An abſentes per tempus ſibi à jure conceſſum lucrentur diſtributiones quotidianas. 29
Bona Canonicorum & omnium clericorum quotuplicia ſint. 30

Ca-

Canonis Privilegium Clericis concessum quodnam sit. 5.4.9.15
Hoc Privilegium quando locum non habeat & obtendi non possit. ibid. 16.
Capitulum in genere quid sit. 5.4.3.4
Dividitur in sæculare & regulare ibid. 5
In quo hæc duo capitula conveniant. 6
Eorum differentia 7
Quinam pertineant ad capitulum. 8
Capitulum an succedat in potestatem episcopi. 11
Capitulum sede vacante potest exerere omnes actus jurisdictionis contentiosæ ordinariæ. 14
Jurisdictio delegata prælato, non transit ad capitulum. 15
An actus Jurisdictionis voluntariæ possint exercerci à capitulo. 16
Asseritur regula generalis quoad ea, quæ transeunt sede vacante ad capitulum. 17
An capitulum succedat in potestate ordinis. 18
Quando requiratur consensus majoris partis ex capitulo. 19
Quænam dicatur major pars capituli. 20
Quando requiratur Consensus Capituli. 21
Capitulum Cathedrale an possit supplere negligentiam Episcopi. 5.2.3.13
Cardinales obtinent summam post Pontificem dignitatem. 5.1.1
Unde dicantur. 2
A quo Inventum sit nomen Cardinalis. 3
Primitus quinam venerint sub hoc nomine. 4
Quo tempore jus eligendi Pontificem fuerit translatum in Cardinales. 5
Quis hodiedum dicatur Cardinalis. 6
Ab initio quot fuerint. 7
An Cardinales Diaconi olim habuerint titulos. 8
Cardinalium tituli quid sint. 9
Quo tempore introductus sit numerus 70. Cardinalium. 10
Quotuplex sit eorum ordo. 11
Recensentur eorum tituli. 12
Nomina & tituli modernorum & viventium Cardinalium referuntur. ibid.
Cardinales ordinum protectores recensentur. ibid.
Quis creare possit Cardinales. 5.1.2.1.
An Cardinalium Collegium possit creare Cardinalem. 7
An Cardinales sede Romana vacante possint restituere Cardinalem depositum. 3
Quibus temporibus creentur Cardinales. 4
Item quibus ceremoniis. 5

si absens creetur, quæ ceremoniæ interveniant. 6
Neo Cardinalis quas expensas & honoraria debeat elargiri in sui promotione. 8
Quam præcedentiam sibi attribuant Cardinales. 9
An habeant præcedentiam præ S. R. I. Electoribus. 10
Quis titulus attribuatur Cardinalibus, & à quo tempore vocentur Eminentissimi. 11
An prometus ad Cardinalatum possit retinere Episcopatum, quem antea obtinebat. 5. 1. 3. 1
An Cardinalis in Ecclesia in qua habet canonicatum, in eadem possit eligi vel postulari debeat in Episcopum. 3
An Cardinalis, qui obtinet Episcopatum teneatur ad Residentiam in sua Ecclesia. 4
Quot mensibus per Annum Cardinales Episcopi à suis Ecclesiis possint abesse. 5
An Cardinales non habentes Episcopatum teneantur residere in Curia Romana. 6
Pœna non residentium quænam sit. 7
Quam potestatem habeant in suis titulis sive Ecclesiis sui tituli. 8
Cardinales in suis titulis habent jus excommunicandi, suspendendi, interdicendi, visitandi. 19
An habeant jus instituendi. 10
An in suis titulis possint uti insignibus Pontificalibus. 11
Cardinalium Collegium quam potestatem habuerit Sede Papali vacante ante Concilium Lugdunense. 5. 1. 4. 1
Quam potestatem habuerit post Concilium Lugdunense Sede vacante. ibid. 2
An potuerit Sede vacante mittere legatum. 3
An potuerit legatum à Papa missum revocare. 4
An concilium convocare. 5
Quam Potestatem Collegium Cardinalitium sede vacante habuerit post Concilium Viennense. 6
Quæ potestas competat post Bullam Pii IV. 7
An jurisdictio, quam habent congregationes Cardinalium, expiret Sede Papali vacante. 8
Jurisdictio congregationum, Cardinalibus in Conclavi existentibus quiescit quoad ea, quæ expediuntur per subscriptionem Cardinalis præfecti congregationis. 10
An Cardinales possint dignitati suæ renunciare, & quinam. 5. 1. 5. 1.
Recensentur Cardinales qui cum consensu Pontificis abdicarunt Cardinalatum, & ad statum laicalem sunt reversi. 2

An

An S. Pontifex sine Consensu Cardinalium possit deponere Cardinalem. 3. & 4
Censura quid nominis sit. 2. 6. 6
Definitur. ibid. 7
Versatur circa bona spiritualia. 8
Censura regulariter non infertur in perpetuum. 9
Ei subjiciuntur soli baptizati. 10
Ea nequeunt affici mortui. 11
Quænam delicta ei subjiciantur. 13
Supponit contumaciam. 14
Censuræ à quonam possint inferri. 15
Quorum bonorum spiritualium usum auferant. 16
Censura Ecclesiastica est triplex. 17
Cessatio à divinis quid sit. 2. 6. 37.
A Censuris quis absolvere possit. 2. 6. 38
Chiemensis Episcopatus notatur. 5. 3. 5. 7
Chor-Episcopi quinam dicantnr. 5. 2. 3. 5.
Colonienſis Archi-Episcopatus habet tertiam ab imperatore dignitatem. 5 3. 3. 1.
Refertur initium ejus. ibid. 2
Recensentur eius jura & Privilegia. 3
Ejus ditiones & territorium quodnam sit. 4
Ejus officiales hæreditarii. 5
Competentiæ privilegium clericis concessum quid sit. 5. 4. 9. 17
Quibus detur. ibid. 18
Concilium quid sit & quotuplex. 1. 3. 1
Quid requirat. ibid. 2
Quando cæperint celebrari Concilia. 3
Concilium an sit fallibile sine Pontifice. 4
An sit infallibile cum Pontifice. 6
Concilia generalia recensentur. 7
An sit supra Pontificem. 8
An ad Concilium possit appellari à sententia Pontificis. 10
Concilium in quibus Casibus cognoscat super causa Pontificis. 11
Conciliorum decreta cujus nomine edantur. ibid. 12
Concordata Germaniæ quænam dicantur. 2. 3. 6
An Concordatis Germaniæ censeatur abrogatum. cap. 3.
De Præbend. in 6. ibid. 12
Congregationes diversæ in urbe Romana referuntur, earumque moderni præsides & prælati. ibid 4 per tot.
Consistorium quodnam dicatur Romæ. 4. 4. 1
Constantienſis Episcopatus describitur. 5. 3. 1. 15
Curbyenſis Princeps & Abbas. 5. 4 7. 6
Corona Pontificia qualis sit, &

quam

quam habeat significationem. 3. 7. 1.
In Coronatione claves quas accipit Pontifex, quales sint, & quid significent. ibid. 2
Qua solemnitate pergat. S. Pontifex ad Ecclesiam D. Petri ibidem coronandus. 3
Quæ formula verborum pronuntietur in Coronatione Pontificis. 4
Quis & quo idiomate promulget indulgentias à Pontifice neo Coronato datas. 6
Curiensis Episcopatus refertur. 5. 3. 1. 16
Curia Romana ubi dicatur esse. 2. 5. 8
Ad curiam Romanam omnes causæ etiam in prima Instantia possunt deferri. 9
An Curia Romana possit causas incepto jam judicio ab inferioribus prælatis avocare & quando. 10
Curia Romana quas causas ad forum suum trahere possit. 11

D.

Datarii officium quando inceperit. 4. 5. 1.
Unde dicatur. ibid. 2
Recensentur varii officiales Datariæ subordinati & eorum officia. 3.
Datariæ taxatores quinam dicantur. 4
Quis fuerit Inventor taxæ. 5
Recensetur taxa officialium Cancellariæ ibidem. 6
Decanus Ecclesiæ Cathedralis an habeat dignitatem. 5. 4. 2. 3.
Quænam sit Major dignitas præposituræ, an Decanatus. ibid. 4
Quam jurisdictionem habeat Præpositus vel Decanus Ecclesiæ Collegiatæ. 5
In Germania quid observandum sit circa Decanos Ecclesiarum Collegiatarum. 6
Decani ruralis officium. 5 4. 4. 17
An habeat jurisdictionem ordinariam. ibid. 18
Degradatio quid sit, & quænam sint ejus solemnitates. 2. 6. 41
Depositio quid sit, & quotuplex sit. 2. 6. 40
Quid operetur. ibid. 40
Dispensatio quid sit. 2. 2. 1
Pontifex nequit dispensare in jure naturæ. ibid. 2.
An possit dispensare in jure divino. 2. 2. 8
Dispositiones piæ subsunt S. Pontifici. 2. 4. 12

E.

Ecclesia quotupliciter accipi possit. 1. 1. 2
Ecclesia Romana est vera Christi Ecclesia. ibid. 3

An

An possit deficere. 4
Ecclesiæ veræ quænam sint notæ. ibid. 5
Catholica unde dicatur ibid.
Ecclesiæ Romanæ Regimen an sit monarchicum. ibid 6
Ecclesia Cathedralis quænam dicatur. 5.4.2.1
Collegiata quæ nuncupetur. ibid. 2
Ecclesia quotupliciter possit vacare. 5.4.3.10
Ecclesiasticus status quid significet. 1.1.1.
Ecclesiæ universalis Caput an sit necessarium. 1.2.1
An natura religionis Christianæ requirat caput Ecclesiasticum. ibid. 2. & 3
Ecclesiastica jurisdictio an possit esse penes Principem sacularem. ibid. 3
An S. Petrus fuerit caput Ecclesiæ. ibid. 4
Ecclesiasticus primatus Petri an fuerit cum Petro extinctus ibid. 4
Ecclesiasticum regimen an unquam fuerit penes Imperatores. 3.25
Eihstettensis Episcopatus refertur. 5.& 1.10
Einsidlensis Princeps & Abbas. 5 4.7.8
Electio Pontificia an sit juris divini. 3.1.1
S. Clemens an fuerit electus vel à Petro denominatus Pontifex, ibid. 3
Refertur dubium circa alios quosdam Pontifices num fuerint per Electionem assumpti. 3.1.4
In primordio Ecclesiæ clerus & populus interfuit electioni Pontificiæ. 3.21
Quando Imperatores admissi sint, & qua conditione ad electionem Pontificiam. ibid. 2
Refertur Privilegium Caroli magni circa Electionem Pontificiam. 3
Jus eligend. Pontificem quando translatum sit ad solos Cardinales. 4
An Privilegium quo Imperatores interfuerunt olim Electioni Pontificiæ potuerit illis juste auferri. 3.2.6
Jus Eligendi Pontificem hodie competit solis Cardinalibus. 3.3.1
Etiam Cardinalibus solum creatis, qui nondum acceperunt insignia. ibid. 2
Etiam illis quibus os adhuc clausum, vel qui sunt irretiti censura. 3
Eligere ut possit Cardinalis, an debeat esse initiatus certo ordine sacro. 4
An jus Eligendi Pontificem possit remanere penes unum aut duos Cardinales. 5
Ad quem devolvatur jus eligendi

Pontificem, si omnes Cardinales essent mortui. 6
Si tempore concilii generalis moriatur Papa an eo casu jus eligendi competat concilio. 7
Si interveniente Schismate Pontifex deponatur à Concilio, an eidem Concilio, competat jus eligendi. 8
In Electione pontificis an possit unus Cardinalis absens alterum constituere procuratorem ad electionem novi Pondificis. ibid.
Cardinales non quidem vocandi, sed per decem dies tamen exspectandi sunt. 5.3. 1
An Cardinalis non exspectatus possit agere de contemptu. 2
Quomodo conclave, in quo peragenda est electio, adornetur. 3
Quando Cardinales intra tres proximos dies non elegerunt Pontificem, qualiter eorum victus diminuatur. 4
Si quis Cardinalis ab electione & & ex conclavi discesserit, quid observetur quoad ejus suffragium. 5
Refertur & notatur Constitutio Gregorii XV. circa formam Electionis Pontificiæ. 8
Quomodo Pontifex eligatur per scrutinium. 9
Quid sit, & quo modo fiat accessus in Electione Pontificis. 10
An Cardinales præsentes in Conclavi possint inter se convenire, ut valeat electio facta per majorem partem Collegii. n. 11
Referuntur & discutiuntur aliquot modi compromittendi circa electionem Pontificiam. 12
Quænam impedimenta & defectus quoad electionem sint sublati. 13
Recensentur ceremoniæ in electione Pontificis adhiberi solitæ. 14
Electio Pontificia an impugnari possit. 3. 6. 1
Non peracta à duabus tertiis Cardinalium in conclavi præsentium, est irrita, sicut & metu gravi extorta. 2
Item Simoniaca electio Pontificis est ipso jure nulla. 3
Item facta circa hæreticum. 4
Quænam impedimenta & effectus circa electionem Pontificiam sint sublata. 5
Si advertant Cardinales electionem esse irritam, an illis possint novam electionem instituere. 6
Elvacensis Princeps & præpositus refertur. 5. 4. 7. 10
Epikia quid sit. 2. 2. 6. & 7
Episcopi quinam dicantur. 5. 2. 3. 1
à quo immediate acceperint suam jurisdictionem. 2. & 3
An sub nomine Episcoporum veniant Episcopi titulares. 4

Episco-

Episcopus est ordinarius judex totius suæ diœceseos. 7
Concurrit in jurisdictione cum prælatis inferioribus sæcularibus. 8
Cognoscit super omnibus criminibus clericorum non exemptorum. 10
Potest in sua diœcesi libere punire crimina mere Ecclesiastica vel mixta. 11
An valeat præscriptio contra Episcopum qua ei adimatur facultas puniendi & corrigendi, casu quo Prælati inferiores essent negligentes. 12
Episcopus vel prælatus habens jurisdictionem quasi Episcopalem, an per ministros possit capere reos sive clericos sive laicos. 15. & 16
An Episcopus habeat jus inferendi censuras. 22
An & quando possit absolvere à censuris Ecclesiasticis. 23
An possit dispensare in pœnis latæ sententiæ, seu ab ipso jure inflictis. 24
Episcopi Germaniæ possunt absolvere à casibus papalibus sive Papæ reservatis. 25
An & quando Episcopus possit absolvere ab excommunicatione lata per prælatos ordinum non exemptorum. 26
An mortuo delegato papæ Episcopus Possit absolvere ab excommunicatione lata per delegatum papæ. 27
Et quid observandum sit Episcopo quoad alios actus judiciales à delegato papæ inchoatos. 28
Num Episcopus potestatem absolvendi à censuris possit alteri committere. 29
Item an possit dispensare in sacris Canonibus. 30. & 31
Recensentur casus, in quibus possit Episcopus dispensare in jure communi. 32
An & quando ad Episcopum pertineat jus conferendi sacramenta & alia sacra. 33
An possit concedere Indulgentias 34
In quibus casibus jurisdictionem habeat in regulares exemptos. 38
In quo loco possit suam jurisdictionem excercere. 42
An possit eam excercere in loco exempto intra diœcesim sito. 43
Quando incipiat posse exercere suam Jurisdictionem. 50
Intra quod tempus debeat consecrari. 51
Excommunicatio quid sit. *2. 6.* 18
Ex communicatio major vel minor. 20
Ex communicatio quid operetur. 21
Quibus casibus liceat communicare cum excommunicato. 22

Pro excommunicatis non licet publ ce orare. ibid.

F.

Forum quid significet. 2. 5. 3
Forum internum quid sit. 5
Forum competens quodnam dicatur. 6
Forum competens commune omnium Christianorum est curia Romana. 7
Fori privilegium quid sit. 5. 4. 9. 1
Quinam gaudeant foro privilegiato Ecclesiastico. ibid. 2
An persona Ecclesiastica post assumptum clericatum aut professionem religiosam possit in foro sæculari conveniri de contractibus aut delictis in sæculo admissis. 3
An clericus dimisso habitu aut novitius monasterio egressus possint à judice laico castigari ob delicta in clericatu aut novitiatu admissa. 4
An clericus hæres laici teneatur in foro defuncti laici comparere, si tanquam hæres actione quadam defuncti nomine conveniatur. 5
Si lis cum defuncto jam cæpta sit in foro sæculari, an tunc ab hærede clerico ibidem continuari debeat. 6
Clericus actor an possit coram judice laico reconveniri. 7
Quale forum clericus in actione reali sortiatur. 8
Forum competens personarum Ecclesiasticarum in causis criminalibus quodnam sit. 9
Si clericus in servitio vel ministerio apud Principes sæculares constitutus delinquat vel excedat, an ratione delicti ab iisdem Principibus puniri possit. 10
Si clericus non solvit vectigal aut gabellam in emptione venditione præstitutam, an ipsius merces in commissum cadant ibid.
Clericus reus læsæ majestatis an ab offenso Principe coerceri possit. 12
Forum competens clericorum in causis feudalibus quodnam sit. 13
Privilegio fori clerici nequeunt renuntiare. 14
Erisingensis Episcopatus notatur. 5. 3. 5. 4
Fuldensis Abbas & Princeps. 5. 4. 7. 1

G.

Gubernator Romæ quis dicatur, & ejus prærogativæ. 4. 2. 1
Gubernator suburbii quisnam sit. 4. 24.
Gurcensis Episcopatus notatur. 5. 3. 5. 6.

H.

Halberstadienſis Epiſcopatus refertur. 5.3.1.19
Havelburgenſis Epiſcopatus annotatur. 5.3.4.6
Herbipolenſis Epiſcopatus recenſetur. 5.3.1.9.
Item Hildeſienſis. 17

I.

Immunitas clericorum quotuplex. 5.4.9.20
Immunitas perſonalis quid ſit. ibid. 21
Ad quæ ſe extendat. 22
An S. Pontifex potuerit concedere privilegium immunitatis. ibid. 23
Immunitas realis quid ſit, & ad quæ ſe extendat. 24
In quo caſu hæc immunitas ceſſet. 25
Imperium Romanum an fuerit per Pontificem à græcis translatum in germanos. 1.4.20
Imperator primus Romano Germanicus quis fuerit. 21
Imperii translatione quid acquiſiverit Carolus Magnus. 22
In Imperatoria Electione an votum habet S. Pontifex. 23
Imperium Romanum quando cæperit eſſe electivum. 24
Imperatoria electio an aliquo caſu devolvatur ad pontificem. 25
Imperator electus an debeat confirmari à S. Pontifice. 26
Imperialis corona & coronatio quotuplex ſit. 28
Imperator an ſit coronandus à Pontifice. 29
Jus coronandi Imperatorem an ſit contraria conſuetudine extinctum. 30
Imperium merum unde dicatur. 2.6.1
Quid ſit. 2
Dividitur in Eccleſiaſticum & ſæculare. 3
Imperio mero S. Pontificis qualiter inferiores prælati ſubordinentur. 5
Indulgentiæ quid ſint. 2.7.1.
An per eas derogetur meritis chriſti. 2
Quotuplices ſint. 3
Aliæ ſunt reales, locales, perſonales. 5
Quis concedere poſſit. 6
Quid operentur indulgentiæ. 7
An pro defunctis poſſint concedi. 8
Inſtitutio in beneficiis Eccleſiaſticis quid ſit. 5.2.3.18
Cuinam competat jus inſtituendi & deſtituendi. 14
Interdictum quid ſit. 2.6.26
Aliud locale & aliud eſt perſonale. 27

Quibus casibus ipso jure incurratur interdictum. 28
Quid operetur interdictum. 29
Quænam sacramenta possint administrari tempore interdicti. 30
An tempore interdicti possit celebrari matrimonium. 31
Et an benedictiones nuptiales possint intervenire. 33
An tempore interdicti concedatur sepultura Ecclesiastica. 34
Pænæ statutæ in violantes interdictum recensentur. 35
Interdictum ingressus in Ecclesiam quomodo differat ab interdicto personali. 36
Jubilæum quid sit. 2. 7. 4.
Judices & Judicia Romana quoad causas Ecclesiasticas. 4. 4 per tot.
Juramenta an possint relaxari à Pontifice & quando. 2. 2. 11.
Jurisdictio Ecclesiastica summa quid sit, & ejus diversa acceptio refertur. 2. 5. 1. & 2
Jus quotuplex. prolegom. n. 1.
Juris publici Ecclesiastici principia. n. 3.
Jus publicum quid significet. n. 4
Ejus definitio. n. 5.
Jurisprudentiæ publicæ divisio. n. 2
Jus naturæ an admittat Epikiam. 2. 2. 6
Jus nominandi an olim habuerint Imperatores, & quo tempore hoc ab eis sit ablatum. 5. 2. 3. 53.

L.

Lavantinus Episcopatus annotatur. 5. 3. 5. 9
Legatum an fiat caducum ex eo, quod ad usum à Testatore intentum nequeat applicari, 2. 4. 13
Legatum relictum alicui incapaci sub modo licito, & casu quo onera ineunda non impleantur, testator substituat alios, num possit à Pontifie in alios usus converti. 14
Legatum relictum sub modo illicito, quomodo ordinandum sit. 15. & ibid.
Lebusensis Ecclesia & Episcopatus refertur. 5. 3. 6. 6.
Leodiensis Episcopatus unde dicatur, & ejus initium quodnam fuerit. 5. 3. 3. 9
Ejus territorium & ditiones 10
Episcopi titulus. 11
Lex jurisdictionis & diœcesana quænam dicantur. 5. 2. 3. 6
Quænam spectent ad legem diœcesanam. 47
Lex Universalis Pontificia obligat omnes Christianos. 2. 1. 9
Num etiam protestantes & reliquos catholicos. n. 6.
Num ea obligentur non Christiani sive infideles. 8

Legi-

Legibus propriis an S. Pontifex obligetur. 9
A quo tempore leges Pontificiæ incipiant obligare. 10
Ubi debeant promulgari. 11
Ad hoc ut obligent, an requiratur acceptatio populi. 13
An & quatenus Græci obligentur legibus universalibus Pontificiis. 15
Num lex Pontificia obliget in conscientia. ibid.
Lex naturæ qualiter possit mutari. 2. 2, 3
Legis mutatio quotuplex accidere possit. ibid. n. 3.
Leges Imperiales ali æque civiles an possint abrogari per Pontificem. ibid. n. 10
Lubecensis Ecclesia recensetur. 5. 3. 6. 2.

M.

Magdeburgensis Archi-Episcopatus quando fundatus, & quid circa eum sit notandum. 5. 3. 4. 1
Majestas quid sit. 1. 4. 1.
Mensæ Papales quinam dicantur & sint. 2. 3. 10
Metensis Episcopatus refertur. 5. 3. 26
Merseburgensis Episcopatus refertur. 5. 3. 4. 2
Mindensis Episcopatus recensetur. 5. 3. 3. 15
Misnensis Episcopatus refertur. 5. 3. 4. 4.
Modi perveniendi ad dignitates Ecclesiasticas quot sint. 5. 2. 3. 52
Moguntini Archi-Episcopatus initium refertur. 5. 3. 1. 1
Quo anno electoralis dignitas accesserit Archi-Episcopali. 2
Moguntinus est primus elector & totius Collegii Electoralis Decanus. 3
Est per Germaniam Archi-Cancellarius, ubi reliqua Archi-Cancellarii jura referuntur. 4
Est Protector & Director postarum Imperialium. 5
Referuntur cætera jura Archi-Cancellarii. 6
Moguntinus habet jus coronandi Reges Romanorum, & quando. 7
Recensentur diversa alia privilegia Moguntino competentia. 8
Monasterienses Episcopatus initium refertur. 5. 3. 3. 6
Ejus officiales hæreditarii. 7
Ejus ditiones & territorium. 8
Moniales etiam exemptæ quoad clausuram subjacent episcopo. 5. 2. 3. 39
Quæ tamen clausuram non sunt professæ, ad eam amplectendam compelli nequeunt, nisi ob delicta earum. 40
Confessarii & Administratores bonorum monialium etiam ex-

emptarum, qualiter subjiciantur Episcopo. 41
Murbacensis Abbas & Princeps. 5.4.7.2

N.

Naumburgensis Episcopatus annotatur. 5.3.4.3
Neostadiensis Episcopatus describitur. 5.3.5.12
Nuntiorum Apostolicorum dignitas. 5.4.8.1
Quotuplex sit legatorum differentia. 5.4.8.2
Sunt instar Romanorum Proconsulum & Præsidium in Provincia Legationis. ibid. n.3
Possunt condere statuta etiam post discessum suum duratura. ibid. n. 4
Possunt super causa electionis Episcopi examen instituere. 5
An & quando se possit Nuntius immiscere causæ specialiter alteri delegatæ. ibid. 6
Potest judicem delegatum prævenire. 7
Potest sententiam judicis à Papa delegati confirmare. 8
Legati à latere in quo sint digniores nuntiis. 9
Legati à latere an & quatenus possint conferre beneficia in Provincia suæ legationis. 10
Quæ beneficia excipiantur. 11
Legatus à latere vel qui missus, cum potestate à latere, an & quatenus possit absolvere ab excommunicatione reservata Pontifici. 12
Quid proprium sit legatis missis seu nuntiis Apostolicis. 13
Quæ prærogativa competat legatis natis. 14
Recensentur legati nati diversarum nationum. 15
Legati in Provinciis sibi assignatis habent Jurisdictionem ordinariam. ibid.

O.

Ordines equestres à Pontifice creati. 1.4.32
Osnabrucensis Episcopatus initium refertur. 5.3.3.12
Quidnam conventum circa eundem sit per pacem Osnabrugo Monasterienſem. 13
Quos & quot alat Canonicos. 14

P.

Pace religiosa quinam comprehendantur. 2.1.6
Paderbornensis Episcopatus refertur. 5.3 1.18
Pœnitentiaria Apostolica quænam sit, & ejus moderni prælati, procuratores, scriptores. 4.4.1
Pœnitentiariæ Apostolicæ taxa. 4.5.7
Parochia unde dicatur. 5.4.4.1

Eccle-

Ecclesia Parochialis quænam sit, ibid. 2
Parochus habet jus administrandi baptismum. 3
Jus distribuendi Eucharistiam suis parochianis. 4
Administrandi extremam unctionem. 5
Assistendi matrimonio. 6
Quæ jura competant Parocho circa officia divina. 7
Quæ potestas competat circa Parochianos gubernandos. 8
An Parochi habeant Jurisdictionem ordinariam. 12
Ecclesiæ Parochiales eriguntur à solo Episcopo. 13
A quibus reparari debeant. 14
Ad Ecclesiæ Parochialis refectionem non tenentur concurrere patroni. 5.4.4.15
An Decimatores ad hanc refectionem concurrere obligentur. ib.
Passavienſis Episcopatus annotatur. 5.3.5.2
An *Patriarchæ* in dignitate sint præferendi Cardinalibus. 5.2.1.1
Patriarcha quis dicatur. 2
Alii sunt Principales, alii minus Principales. 3
An sit differentia inter patriarchas & primates. 4
Patronus laicus si indignum præsentet ad vacans beneficium, quid juris competat Episcopo. 5.2.3.20
Item quid juris circa Patronum Ecclesiasticum.
Personæ miserabiles quænam dicantur; 2.5.12
Persona miserabilis an dici possit, etiamsi sit dives. 13
Circa personas miserabiles, earumque privilegiatum forum quid practice observandum sit. n. 14
Pietistæ etiam in foro externo & contentioso sunt veri hæretici, & adhuc subjacent pœnis contra hæreticos latis. 2.1.6
Pontifex vel papa quis dicatur. 1.2.6
Pontifex quis olim apud gentiles dictus fuerit. ibid. 6
Pontifex Romanus an sit successor Petri in primatu. 7
Pontificum successio & nomina recensentur. 7
Pontificum successio impugnatur. 7
Primatus Ecclesiasticus an sit Episcopatui Romano annexus ex institutione Christi. ibid. 9
Pontifex nec sponte se concilio subjicere potest. 1.3.13
Ad Pontificem recte appellatur à Concilio generali. 15
An sit infallibilis sine Concilio in doctrina morum. ibid.
An in decisionibus fidei Pontifex sit infallibilis. 17
Pontifices scandalosi quidam recensentur. 19

Pontifex ut Doctor privatus an errare posſit. 20
Infallibilitas quanta ſit in quæſtionibus facti particularis. 21
Quando dicatur loqui ex cathedra 22
Pontifex habet majeſtatem Eccleſiaſticam. 1. 4. 2
In eum committitur crimen læſæ Majeſtatis. ibid.
Habet majeſtatem politicam in ſuo territorio. ibid. 4
An eum fulgere majeſtate, ſit utile? 8
Habet præcedentiam præ reliquis principibus. 9
Eſt ſupra principes quoad jurisdictionem eccleſiaſticam. 10
An poſſit creare reges. 1. 4. 31
An creare poſſit Principes. 3. 4
Pontifex quotuplici Reſpectu conſiderari poſſit. 1. 5. 1
Nondum coronatus quomodo ſe ſcribat. ibid. 2
Unde habeat poteſtatem legislativam. 2. 1. 1
An hanc poteſtatem exercere valeat electus, nondum coronatus. ibid. n. 2
An poſſit legem Univerſalem condere ſine Conſenſu Cardinalium. 3
Num poſſit legem univerſalem præſcribere extra concilium oecumenicum. n. 4
Pontifex an poſſit relaxare vota. 2. 2. 4
An poſſit diſſolvere matrimonium 2. 2. 5
Pontificis poteſtas quoad matrimonium quanta ſit. 2. 2. 12
Pontifex an & quando poſſit res ſuas uni Eccleſiæ auferre, & alteri concedere. 2. 4. 5
An poſſit ſine cauſa juſta epiſcopatum dividere. n. 8
Pontifex an poſſit ſine conſilio Cardinalium alienare bona immediate ſpectantia ad ſedem Apoſtolicam. 2. 4. 17
Ad Pontificem recurri poteſt, quotieſcunque agitur de peccato & pro foro conſcientiæ. 2. 5. 15
Ad Papatum an poſſit aſſumi fœmina. 3. 4. 1
Quid ſentiendum ſit de Joanna papiſſa. 2
An Aſſumendus in papam neceſſario debeat eſſe Cardinalis. 3
Item an debeat eſſe conſtitutus in ſacris ordinibus. 4
An uxoratus poſſit fieri papa. 6
An laicus poſſit fieri papa. 5
Quæ ætas requiratur, ut aliquis poſſit fieri Pontifex. 7
An infans ſit capax Pontificatus 8
Pontificii officiales militares. 4. 7 per tot.
Poteſtas conferendi beneficia ad quem de jure communi ſpectet 2. 3. 1

Pot-

Potestas ordinaria quæ dicatur. 2.4.10
Potestatis plenitudo quid sit. ibid.
Præbenda quænam dicatur. 5.4.3.2
Quotuplices sint præbendæ. ibid. 3
Prælati sæculares vel capitulum an possint jurisdictionem Ecclesiasticam fori externi privative acquirere per præscriptionem, excluso Episcopo. 5.2.3.9
Prælatus exemptus quando est negligens, ad quem devolvatur jus corrigendi & puniendi. 5.2.3.14
Prælati locales non perpetui an habeant jurisdictionem ordinariam. 5.4.5.1
Nequeunt condere statuta regularia ibid. 2
Habent potestatem ferendi censuras, & ab iisdem absolvendi. 3
An absolvere possint à Censuris per superiorem latis. 4
Possunt suæ absolutioni reservare quædam peccata. 5
An habeant liberam administrationem quoad bona temporalia. 6
Primatum titulo quinam hodiedum gaudeant. 5.2.1.5
Protestantes an subsint jurisdictioni Episcopi. 5.2.3.43
In quibus casibus jurisdictio Episcopi quoad protestantes sit suspensa. 44
An possint protestantes beneficium præscriptionis obtendere, si Episcopus per 60. aut 70. annos non sit usus sua jurisdictione. 45
Quid intelligatur per publicum vel privatum sacrorum exercitium. 46

R.

Ratisbonensis Episcopatus recensetur. 5.3.5.3.
Ratzeburgensis Ecclesiæ exordium & suppresio describitur. 5.3.6.4.
Regulæ Cancellariæ quænam dicantur. 2.3.4.
Regulares non exempti potius tenentur parere suo prælato, quam Episcopo, & quo sensu id verum sit. 5.2.3.17
Judices civiles urbis romanæ recensentur. 4.2. per tot.
Rota Romana quænam dicatur, & ejus moderni Auditores. 4.4.3.

S.

Salisburgensis Archi-Episcopatus notatur. 5.3.5.1

Sanctgallenſis Princeps & Abbas. 5.4.7.7.
Secovienſis Episcopatus refertur. 5.3.5.8.
Schlesvicenſis Eccleſia qualiter orta & extincta fuerit. 5.3.6.3
Sedis nomine quid intelligatur. 5.4.3.9.
Senator Romanus quis dicatur, & ejus judicium refertur. 4.2.2
Jus *Sepulturæ* quid ſit. 5.4.4.9
In quo loco extra parochiam liceat eligere ſepulturam. ib. 10
Quid emolumenti conferat jus ſepulturæ. ibid.
Signatura juſtitiæ quænam dicatur, & ejus moderni Votantes, Aſſiſtentes, Referendarii. 4.1.2.
Spirenſis Episcopatus deſcribitur. 5.3.1.12
Stabulenſis Princeps & Abbas. 5.4.7.5
Subſidium Charitativum quid ſit, & à quo peti poſſit. 5.2.3.49
Suerinenſis Eccleſiæ ortus & interitus. 5.3.6.50.
Suſpenſio quid ſit. 2.6.24
Quotuplex ſit. ibid. 25

T.

Territorium & ditiones ſedis Apoſtolicæ quænam ſint. 1.6. per tot.
Teſtari poſſunt clerici de bonis patrimonialibus. 5.4.3.31.
Etiam de bonis quaſi clericalibus. 32
De bonis vere clericalibus quando teſtari poſſint. 33
An de bonis clericalibus ſuperfluis. 34
An ſaltem poſſit introduci conſuetudo, ut clerici teſtentur de bonis vere clericalibus ſuperfluis. 34
Titulus quem S. Pontifex ſibi attribuit. 1.5.5.
Quo titulo Pontifex ſalutetur ab aliis. 6
Quem titulum Papa det Epiſcopis & aliis prælatis ſuperioribus. 8
Quo titulo Pontifex appellet Imperatorem, Reges & Principes. 9
Trevirenſis Archi Epiſcopatus & electoratus initium refertur. 5.3.2.1.
Præfertur Colonienſi & quæ jura ratione hujus prælationis competant. 2
Ejus officiales hæreditarii. 3
Audit primas per provinciam Belgicam. 4
Quot fuerint Archi-Epiſcopi & Electores. 5
Tridentinus Episcopatus deſcribitur. 5.3.5.10

Tullenſis Episcopatus refertur. 5. 3. 2. 7

V.

Vectigal in Emptione Venditione præſtitutum ſi clericus non ſolverit, an merces ejus in commiſſum cadant. 5. 4. 9. 11
Verdenſis Episcopatus recenſetur. 5. 3. 2. 8
Verdunenſis Episcopatus recenſetur. 5. 3. 2. 8
Viennenſis Episcopatus refertur. 5. 3. 5. 11
Ad *Viſitationes* peragendas quinam adhibendi ſint. 5. 2. 3. 36
Tempore viſitationis quid præſtandum ſit Episcopo. 48

VV.

Wormatienſis Episcopatus deſcribitur. 5. 3. 1. 11.

FINIS.



ERRA-

Errata.	Pag.	Columna	Lin.	Corrigenda.
Pag. 13. inter Liberium & Damasum adde Felix XII. Romanus rexit anno uno				
Unctonem	67.	1.	19.	Unctionem
Potificiæ	67.	1.	34.	Pontificiæ.
Jriandicum	70.	1.	18.	Irlandicum.
Insinibus.	71.	2.	13.	Insignibus.
Apostolatis.	72.	2.	30.	Apostolatus.
	82.	2.	35.	ut. deleatur.
Formalte.	93.	1.	32.	formaliter.
Sentiæ.	107.	1.	24.	Sententiæ.
Collectiones	109.	1.	32.	Collationes.
Esser	116.	2.	14.	esset.
Partipatio.	134.	2.	36.	Participatio.
eeempti	140.	2.	8.	Exempti.
	141.	2.	22.	ille deleatur.
Lectionem.	165.	1.	20.	Electionem.
Consequentur	172.	2.	24.	Consequenter.
Exubant.	175.	1.	12.	Excubant.
Impunatio.	178.	1.	10.	Impugnatio.
allico.	179.	2.	2.	illico.
Saræ.	185.	1.	25.	Sacræ.
Eiusdem	201.	1.	12.	Eisdem.
Dispentionem	212.	1.	8.	dispensationem.
Cancellacia.	219.	1.	30.	Cancellaria.
Abbrevaitoribus	219.	1.	38.	abbreviatoribus.
Fiminum.	221.	2.	40.	liminum.
Episcopis.	230.	2.	28.	Episcopus.
Cardinalitum.	238.	2.	30.	Cardinalitium.
Mentes.	249.	1.	18.	Menses.
Dianiæ.	250.	1.	39.	Diaconiæ.
Conciliara	251.	1.	40.	concilium.
Lugumense.	252.	2.	28.	Lugdunense.
Angeliciis.	256.	1.	15.	Angelicis.
Porromei.	559.	2.	21.	Borromæi.
Excommicatus.	282.	1.	40.	excommunicatur
Cathetraiis	371.	1.	19.	Cathedralis.
Cathethrali	275.	1.	36.	Cathedrali.
Ordinairo.	380.	2.	32.	ordinario.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Dissertationes
ad
Jus publicum
Romano
Ecclesiasticum
Joan. Francisc.
Boisc

Th
4738